

Walak

3 v.

514

44-2-7

3.451





CURSUS
THEOLOGICUS
AD USUM PROVINCIÆ
SANCTI JOSEPH
MINORITARUM DISCALCEATORUM.
TOMUS TERTIUS.

COMPLECTENS TRACTATUS
de Virtutibus Theologicis; de Vera Religione; de Ali-
quibus quæstionibus Libertinorum; & de Mu-
nere , ac methodo prædicandi.

DICATUS
SSmis. PATRIARCH. SPONSO DEIPARÆ,
Seraph. Parent. Petro de Alcantara , necnon
D. Paduan. Anton.

AUTHORE
FR. ANTONIO DE ALVALATE,
ejusdem Provincie Sacrae Theologiae Lectore , & D.
Bernardin. Matritensis Conv. Guardiano.

CUM PERMISSU , ET APROBATIONIBUS
necessarijs , ut constat ex primo Tomo.

MATRITI : Ex Typographia Josephi Garcia à Lanza,
in Areola Angeli. Anno M. DCCLVII.

Es del Conv.^{to} de S. Buenav.^a & Palenciar
Fr. Josep sacerd^o Guard^r de el H. H.^o Fr. Euge-
nio de S. Josep, Letor & Theolog^a: año

≈ 1758 ≈

*Dignissimo Sacræ Deiparæ Sponso,
Cui Christus subditus erat.*

*Morum decori, Inclito Minorum Duci,
Christi sacris stigmatibus signato.*

*Lucido semper Alcantarenſi Soli,
Cui pluviae, & venti obediunt.*

*Infidelium pavori, Malleo Hæreticorum,
Arcæ Testamenti, Dei Trhona.*



J AM proditurus in lucem tertius
Thæologici Cursus tomulus,
quem pro operis complemen-
to Dogmaticum obtuli : Opere
prætium duxi in ejus fronte quatuor vene-
rari Patronos. Mos est , ut opera in lucem
prodeant , aliquod insigne eligere patroci-
nium , ut ejus umbra , securitate , tuitio-
ne , & protectione gaudeant. Hanc igitur
electionem , non tam liberam , quam de-
bitam recognosco. Ab incunabulis , Bea-
tissime Joseph , hec tua Provincia te suum
Tutelarem adscripsit , Patronum elegit , &
singularem Protectorem veneratur. Benè
agnoscit patrocinij fructus. Näm si tuum

nomen augmentum interpretatur : quid mirum quod tot , ac tam uberrimos fructus in omni linea produxerit ; si sub umbra tua , quam desideraverat , sedet !

Jure ergo hoc opus tibi sacrari debet ; sic enim tutiori patrocinio fruitur.

Molan. 1.
part. cap.
12.

Hec Isolanus. Mortalium inter Patronos apud Deum arbitror Sanctum Joseph esse efficacorem. Quam optimè noverat tuam protectionem Seraphica Virgo Theresia Eliani Ordinis Montis Carmeli restauratrix ! Ideo

Carthag.
tom. 2. l.
18. Hom.
14.

noster Doctissimus Carthagena sic ait : Legimus , quod pia haec Mater hoc universale patrocinium frequenter experta , filias suas horabatur , ut licet quam plurimos alios Sanctos , Patronos , & Advocatos haberent ; peculiari tamen devotione , protectioni Sanctissimi Josephi confidenter se commiterent : quia magna à Deo beneficia in qualibet necessitate eum devotè invocantibus impetrabat. Ratio hujus specialis prerrogativæ patet ex Div. Thoma.

D.Thom.
in 4. dist.
45. quest.
5.

Sic enim ait Angelicus Doctor. Quibusdam Sanctis datum est in aliquibus specialibus causis præcipue patrocinari . . . at Sanctissimo Joseph , in omni necessitate , & negotio concessum est opitulari , & omnes ad se pie conguientes defendere , fovere , & paterno affectu prosequi. Hoc amplius ex nostro citato Cartha-

thagena patebit. *Quò plures quis habet actiones ad aliquam rem petendam; eò efficacius jus habet ad illam obtinendam.* . . . Manifestum etiam est duo vincula esse uno strictiora, & amplius operari, ut habetur in Autent. de Consanguineis . . . in Sancto autem Joseph tot, ac tam efficacia vincula, tot actiones, & jura concurrunt, ut nulla ratione intercessio ejus repulsam pati queat. Ergo si ad omnes se extendet tua singularis protectio, Sanctissime Joseph, & cum securitate obtinendi: obtineat hoc opus, quod militat contra Hæreticos, patrocinium tuum; ut te Protectore, te Duce, Fides exaltetur, & extirpentur Hæreles.

Non me latet, Seraphice Pater, respectus filiationis in nobis omnibus militans; gloriatur enim tantum habere Parentem. De te dixit tuus dilectissimus filius Seraphicus Doctor. *Facta est super Franciscum manus Domini.* Ex hoc percipitur tua magnitudo. *Magnus coram Domino acclamat*ur in Scriptura Præcursor, cuius magnitudinis causa ex ipsa Scriptura patet: *Nam, & manus ejus cum ipso est.* Cum ergo super te facta sit manus Domini: quanta erit tua celsitudo? Jam illam indicat Mansius apud Francilogium Sacrum. *In Franciseo omnia*

Carthag.
ubi sup.

D.Bonav.
in aur. leg.
cap. I.

Francilog
Sacr. lib.
I. fol. 80.

me-

merita , virtutes , & dona gratiae , que in omnibus alijs Sanctis fuere dispersae , vslut in quodam compendio maritatæ effulserunt . Metitò ergo te prædicat Seraphicus Doctor speculum omnimodæ sanctitatis .

Facta est super te manus Domini . In manu signatur potentia . Qualis apud Deum erit tua , Seraphice Parens ? Non deest , qui dicat , te in Cœlis primum Ministrum esse . Fecit ergo Rex Cœlestis Beatum Franciscum primum in Secretarijs . Ministrum in terris , ut hoc percipiatur , alium respiciamus . Hic est Joseph , cui Pharao dixit . Tu eris super dominum meam , & ad tui oris imperium cunctus populus obediens : uno tantum regni folio te præcedam . Deditque illi in singnum plenariæ potestatis annulum suum Pharao . Tulitque annulum de manu sua , & dedit eum in manu ejus . Si hæc annuli largitio fuit dare Joseph sigillum suæ potestatis plenariæ : quanto major , Seraphice Pater , fuit potestas tibi collata á Christo Domino , quando reparationem suæ Ecclesiæ tibi commendavit ; & in corpore tuo sua sacra stigmata signa nostræ Redemptionis impressit ?

Agnita jam celsitudine tua , sicut , & cognita tua potentia ; non oblitus respectus meæ filiationis : ut Patrem veneror , & ut

Castel. ubi
sup. num.
340.

Genes. 41.
num. 40.
& 42.

ut tales hujus libri Protectorem invoco,
& deffensiorem. Ut Pater , tuus est , & tui
etiam est illum fovere. Ut Protector, illum
sub umbra tua illæsum ab invassoribus ser-
va. Contra Hæreticos robora. Materia , de
qua tractat , tuum specialiter exigit patro-
cinium. Tuis alumnis Ecclesiæ Romanæ Fi-
dem teneri docuisti. Sic erga illam tuum
singularem zelum demonstrasti ; & etiam
nunc tua in Sepulchro miraculosa possitio-
ne demonstras. Ideò dixit Summus Ponti-
fex Gregorius Nonus. *Si Fides Catholica in*
Mundo amitteretur , sufficeret ad eam restau-
randam , circunferre per Orbem Sanctum Fran-
ciscum , Imaginem , & trassumptum Crucifixi.
Hoccine ergo opus protege ; & tuis præci-
bus impetra , ut ubique terrarum fides ex-
tendatur.

Minorem zelum non habuisti ad do-
mum tuam defensandam ; quia similem ti-
bi post te reliquisti , Petrum , scilicet , de
Alcantara. Hunc enim , pœnitentiæ Porten-
tum , altissimum contemplatorem , hæc Jo-
sephana Provincia Fundatorem veneratur.
Quà talis , jus habet , & merító , ut ei Li-
ber dedicetur ; & qua Sol perlucidus , Pe-
tre , Sol terris , oriens iberis , ut Hæresum tei-
nebræ evanescant. Hic labor , hic finis est
sem-

Ap. Joan-
nem Bap-
tistam, Mo-
les, lib.de
Prophet.
& mirac.
Sti. Fran-
cis.

semper à me concupitus , de labore obti-
nendo securus. Testis est mihi Seraphica
Virgo Theresia , cui Christus dixit , ipsum
in Petri nomine petentes exauditurum.
Quid mirum , si fuit mirabilis in Petro
Dominus ? *Mirificavit Dominus Sanctum*
suum , & exaudiuit eum clamantem ad se.

Tanta , & tam efficax est tua interces-
sio , Seraphice Petre , ut Cardinalis Impe-
rialis de te dixerit : *Petri intercessione Cœcū*
vident , claudi ambulant , infirmi sanantur. Sic
te in omnibus mirabilem ostendisti , quia
in te mirabilem se Dominus ostendit. Om-
nes Gentes laudabant te , & in conspectu
Principum admirabilis fuisti. Merito Sol
proclamaris. Sic enim , de te loquendo ,
dixit Cardinalis Odescalcus. *Debet enim ve-*
rō majora inter Ecclesiæ Sydera lucere. Sol est,
ut Anglicus firmat , *cujus radiatione superio-*
ra , & inferiora illustrantur. Et si hoc est ,
esse omnibus omnia ; hoc etiam de te ca-
nit sepulchrale Epithafium. *Singulis omnis*
erat , omnibus unus idem. Si charitate vulne-
ratus creaturas omnes Cœli , & Terræ ad
benedicendum Dominum provocabas : hic
idem effectus , tua intercessione , noscatur
in Hæreticis , ut agnoscant veram lucem ,
suos retractent errores , Ecclesiæ obedient ,
&

Card. Imp
in act. fol.
150.

Anglic. I.
8. cap. 18.

Apud nos-
trum Pol.
in die Sti.
Petri.

& Dominum nostrum Jesum Christum con-
fiteantur.

Hunc , quem *Chorus humilis alacrius in*
jubilo collaudet , in quo Sacerdos nobilis Anto-
nius de veritate gaudet , omnis scientiæ the-
saurum possidentem , in manibus Antonij
Paduani veneramur. Ideò ad te fidenter ac-
cedo tanquam ad Thronum divinæ sapien-
tiæ ; quia scientiam ipsam Divinam Æterni
Patris sapientiam , Unigenitum Dei Filium,
in manu tua habes. Hoc ergo tibi munus-
culum offero. Tuum est , quod tibi conse-
cro ; tām , quia à Sacro Baptismatis fonte
nomen tuum mihi est ; quām , quia à te
sumpsit exordium omnis scientiæ Minorum.
Te etenim primum Sacré Theologiæ Lec-
torem in Seraphica Familia suis patentali-
bus litteris Seraphicus Parens instituit. Hæ-
reticorum Malleus prædicaris. Hac enim de
causa hujus operis Mæcenatem etiam im-
ploro ; & quia in erroribus exulandis tua
noscuntur trophæa.

In Templo Salomonis , asserit Novari-
nus fuisse possitum lapidem unum jussu Re-
gis , quem lapidem errantium nominabant.
Erat lapis errantium. Sic vocabatur petra;
quia errantes ejus immediatione ab errori-
bus se avertiebant. Hic Mysticus lapis est

Invit.Offi-
cijs Sti. An-
tonij.

Novariis
lib. 2. Sche
diam. cap.
18.

Divus Antonius Paduanus ; Divinus enim
Salomon in Edificio Ecclesiæ hunc collo-
cavit lapidem , ut animas de erroribus erue-
ret. Si quæris miracula , Mors , Error , Cala-
mitas , Dæmon , Lepra fugiunt. Singulare elo-
gium tuum , ò Antoni Seraphice , judicat
Psalms.60. Scriptor Seraphicus illud Davidis : *In petra*
exaltasti me. Exaltatur lapis , cùm sit lapis
dirigens ; quia Antonius mysticus lapis , in
dirigendo errantes , & eos ab erroribus
avertendo , sua cognoscit pretiosiora tro-
phæa.

Accipe ergo , & vos omnes , quos ope-
ris colo Patronos , opusculum hoccine acci-
pite ; & sub umbra vestra servate. Sic , in
vestra protectione fidens , spero.

Omnium vestrum affectissimus ,
& vestros pedes osculari desiderans.

Fr. Antonius de Alvalate.

CARM.

CARMINA SAPHICA

Encomiastica in Gnomarum, & Authoris laudem.

Fateor Scotti nonnullos Alumnos,
Ad manus esse , sed minimè adesse,
Noster Antonius , sicut nobis inest
Tutor per ardua.

Omnia quæcumque altissima fatu
Nobis aperuit , locutusque Diva,
In brevi nullus superat , & cursu
Vastoque in Orbe.

Superna scribens noster ALVA tulit,
Dedit , & LATE perindeque gravi
Alto ve stylo Sabaoth , ò Numen,
Lepidè disci.

VALE qui ut ALTA nostrum quondam
agmen
Abibat , in te videat omnia Velle
Luce largiflua latebrarum gryphos
Adigis alio.

FidEM tibi MANU libenter , & cordE
Libat.
In DE tuas sequitur ESt QUI cum arte
VIAS.

ADDITIONAL JUDICIUM

GRATO - POLITICO - ASSERTUM,
quod de Opere faciebat R. Admod. P. Fr.
Julianus à Jesu , ex Domate-Antiqua , hu-
jus Seraphicæ Sponsalitiae Provinciæ S. Jo-
seph, strictioris Observantie indignus Alum-
nus , & in illa Philosophia , ac Sacrae Theo-
logia Ex-Lector , Missionarius Apostoli-
cus , atque Apostolicarum Seminarij Mis-
sionum actualis Praefectus , hoc in Divi
Bernardini extra muros Curiæ
Madrit. Conventu.

OPUS perbellè concinnum , ex mente nost. Subtiliss.
Marianique Doct. ad amissim excerptum , trino
in volumine partitum , atque digestum , luculentèrque
elucubratum à R. admod. Patre Fr. N. Fr. Antonio de
Albalate , in hac nostra S. Joseph Seraphica strictioris
Observantiae Excalceat. Provincia , olim Philosophia , ac
Sacrae Theologia Lectore meritissimo , persæpe in illa
Guardiano dignissimo , ac denique hoc in D. Bernardini
extra muros Urbis Matritensis Religioso Conventu , per-
vigili , præclaroqué Praefule ; magna cum animi volup-
tate sedulò evolvi , atiente vidi , introspxi , ac lectita-
vi , non Censoris munere , sed onere census , & indigna ,
aviditate tam subtilia , quam abdita verè addiscendi à
Herculeo isthoc Procere , & in subtiliorum Schola exi-
mio Mæcenate. Opus , inquam , vidi mihi expectatissi-
mum , & omnibus præstantissimum ; cum Plinio loquar:
Plin. Epis. *Pulchrum , validum , elegans , purum , solium , & cum
20. magna laude diffusum.*

Opus vidi , quod majori acuminis soliditate , ac per-
politissimis facetijs , de omnibus prorsus Sacrae Theolo-
giae

giz veritatibus lepidissimè dissertum. Inveni equidem isto
hoc in opere , sicut quæsivi , agrum à tām acutiori Agri-
cultore alte defossum , in quo adest hortus omnium flo-
rum Theologicarum Odoribus irriguus , & speciosis sa-
pientiæ veræ coloribus variegatus. Perveni ad agrum , in
quo non sine ingentis gloria dispendio thesaurum altissi-
mae Divinitæque sapientiæ manebat absconsum. Ast sapien-
tia absconsa , & thesaurus invisus , qua utilitas ; clamia-
rat Ecclesiasticus. Quare illum Mantuani graphicè liceat
decantare:

Eccl. 20.
v. 32.

*Excitat hic Author studium ; laudataque virtus
Crescit , & immensum gloria calcar habet.*

Mant.ele.
2. & 5.

*Denique non parvas animo dat gloria vires ,
Nam manet irriguis floribus hortus aquis.*

Feracem hunc siquidem Seraphicum agrum studiosè recol-
lat florida nostra religiosa iuventus , & in mentali Ora-
tionis secessu auspicate non desit prospicere , & accurate
meditari veritates Theologicas , ac Divina mysteria in
illis contenta , & sanè gemmascat in fructum , turgescat
in florem , pubescat in fruticem , & quasi non ex Autho-
ris nostri solùm , sed ex Supremi superno Seminario , ve-
lut plantula nova , scientifica germinabit Sacra doctrina.
Grates referat incunctanter , quia jam non in exarando
laboriosè totum ad studium præscriptum iussumet tem-
pus , sed in adipiscendo , & addiscendo quod quidem ex-
cultum , recte , & profundè manet inscriptum , & exar-
atum.

Omnes haud minus gratabundi huic nostræ Seraphi-
cæ Josephanæ Provinciae indesinenter gratari tenemur ,
cujus præclaris Parentibus in mentem venit , quòd hic
ineluctabilis vir , ingenij acumine verè scholastici , ad
quaque paratiissimi dotibus præditus , huic operi certè
utilissimo , & revera novo , obedientiæ stipite innixus ,
& Seraphici CAPITIS galea protectus , operam daret ,
perfacetè facesset , solerter perfecserit , & inerter con-
summaverit. Certè quod dixit Claudianus , adaptare
poterimus:

Or-

Claud. in
Paneg. si-
lit. Conc.

Ornatur fortuna viro plerumque docendâ,
Inhabitat gymnasium, arces respectus honesti,
Jam laurea facundis cesserunt arma prostratis,
Optimo Ductorum fortunatissimo fratribus.

Ildef. lib.
de Virg.
cap. 1,

Ast quæ novitas, est quæ utilitas ulla isthuc in opere? Cum tot extent Authores nedum exteri, sed domestici, qui radiantes, velut stella in suo firmamento valde stipata, veritates Theologicas sunt delibantes, & dissertissime omnibus eas præstinentes. Verum enim vero; cum aliqui fusiori stylo sint illas tuentes, alij concisiore calamo sint tratinantes, non possunt addiscentes adhuc studiosiores peræquè nancisci, ideoque valde proficia hæc nova Scholastica ars; in qua utique confederatur, conciso, haud incompto stylo, adæquatio veritatum cuius fucata doctrinæ concisione, & concisio ex optata subtilissimæ doctrina cum veritatum Theologicarum adæquatione. Hinc utilitas, & inde Novitas. Utilitas, & ad nostratum profectum, & ad aliorum fulcrum, prospectum, & commodum. Novitas ex nova adinventione; sicut ajebat Ildefonsus de alio coœlesti volumine: *Ex novo opere, novo effectu, novo patrato.* Abscedat ergo ob novitatem timor, ne cedat novitas ob timorem; utpoté heroicum illud persuaserat distichon:

Ingratus noxae timor omnis adepto Veterna,
Jam novitas regnat, totus, & Orbis ovat.

Psal. 84.

Hæc novitas concordiam voluntatis parat, dissidias intellectus haud excitat; cum in electione solidioris, ac subtilioris sententia, absque præjudicio melioris, ut innixè noster innuebat Doctor, felici nexu possit Author proclamare: *Justitia, & pax osculate sunt.* Scribat novum, describat, & mirum, cum ita feliciter Divino fœdere protrahat Sermonem de Incarnato Divino Verbo, de ejusque plenissima Matre, quod non ambiguo, conspicuo potius humanæ aëri mentis splendore colluceat. Immo cum istius operis volumen secundum tantæ Immaculatæ Matri cordicitus offerat, ut maximòpere protegat, & maximo amore prosequi satagat. Elucidè canebat Poeta;

Pan-

Panditur int'rea domus omnipotentis Olympi
Turnus ut in fractos aduerso Marte latinos.

Virg. Ecl.
5.

Quid mirum, quod hocce opus tali stemmate ingredia-
tur in Orbe, quia cum Author extet superstes filius, ut
potè Discipulus Doctoris Mariani, in ejus commendatis-
simas laudes est illius, & nostrum immortale fœdus, ex-
cedere magis, quam deficere. Maxima rerum, & vicis-
tudinum adstipulatio! Nam cum hujus Operis Author
sit cognomine de *Alba late* insignitus, & *Alba* sit quædam
urbs *Alba-longa* vocata, sicut Livius exponit, sub qua
mons latitabat Albanus; vel ducens originem ab *Alba*,
lato flumine citerioris *Hispanie*; auspicarique lubeat; quod
Alba-late, mons seu flumen latum sapientia in *Alvam*
Marianam, Aulanque *Maria* amico fœdere confluat, &
ad ejus limen præpropere fugiat. Hac namque Minerva
quodlibet irradiatum, hac Palladis lauro munitum, hoc
scuto Scoticum istud opus defensum, & formidolo sum
hæreseos baratum pœnitus perterritum, atque confus-
sum. Quam apposite sed per eleganter accinebat Ovidius;
& quiddam Devotus laudes virginis decantans:

Liv. lib. r.
de Urb.

Ovid. lib.
6. met.

Poet. Dev.
Cant. laud
Virg.

*In mare sicut Virbius pavescō incidente pronum
Cernit Cinthia vero in vitam volvere tutam;
Virgo pariter annuet intemerataque parens
Maria cuncta Dei sapientia abyss. recondens.*

Tali enim immunitate, & charactere suffultus hic liber,
vere liber exibit, & introbit semel, & iterum in sancta,
veritates orthodoxas animitus propugnando, anti-ortho-
doxas enixè explodendo, & impugnando; præcipue ra-
men in suo isto tertio volumine, sicut in illo, quod vi-
dit Zacharias: *Vidi volumen volans. Falcem volantem*
pervidit Alexandrinus. At quomodo volumen, & falx?
Nam hæc ad internationem, illud vero ad sanitatem. Sed
certè utique volumen simul, & falx utraque parte acutæ;
nam aligeris foliorum pennis vastum Cœli percurrit spa-
cium. Et necnè aduersus alias Catholicas acies? Nenti-
quam. Sed acuitur hæc falx aduersus hæreseos perfidas

Zach. 5.
Alexand.
apud Ala-
pid. hic.

Pha-

Phalanges. Fila foliorum ejus , aliquibus videlicet orthodoxis , sunt voluminis , quā ad salutem ; alijs , scilicet anti-orthodoxis erunt falcis , quā fulgetra ad imperfectiō nem. Optimē hoc decantat Distichon istud :

Doc. Gon
zal. Prim.
Mag. in
Sal. Acad.

Esdri. lib.
3. cap. 4.
Plin. Epis.
20.

Bibl. Se-
raph.

D. Bern.
Epist. 49.

Emman.
Asturic. in
quoddEpi
gr.

*Tu decus immortale tuis , Patriæque parasti ,
Per te tuorum vita , morsque aliorum vigent .*
Non aliter pervolat calamus iste hocce opus inscribens , ut suis foliorum jaculis decēptos Hæreticos contorqueat , & in exterminium redigat. Catholicos vero à naves sophismatum , à vñsana veritatum intelligentia , & ab illorum vñbris rationibas vindicet , & immunes firmicer reddat. Mirum jam non erit quod triumphet , sicut prædixerat Esdras : *Magna est veritas , & prævaleret .* Enim vero Calamus ejus potensis sagitta Martis , & Caducæus eloquentis Mercurij ; ut optimè Plinius exp̄ es it : *Narrat aperte , ornat Celsè , docet , delectat , afficit .* Bené illi istud elegans Distichon :

*Mercurium nostrum vocitet nunc Ebñica Lystris
Dum Calamus mentes ad sua vota rapit .*

Vincit non Calybe , sed Calamo ; non ferro , sed scotico filo ; non Pœseos argutijs , sed solidis argumentis ; ut elegantiora , & efficaciora censeantur , quæ vera redolent sapientia , conscribit Bernardus : *Sermo veræ puritatis , vel puræ veritatis illibatus debet esse , & facilis , nec artificio colorum velamine oportet opacari .* Hoc opus , hic labor Authoris nostri. Ideoque cum vidi librum , & totum opus , novi Magistrum ; qui semper fuit intentus violentia rationum , autoritatum Sacrae Scripturæ , Conciliorum , & Patroni , intellectum , & voluntatem in obsequium Fidei alicere , convincere , & præcaptare. Quare possumus decantare :

*Subjicit & mundum partos canit iste triumphos
Liber expelit dæmonis omne malum .*
Insonnis nocte , pervagilis die , tanti operis scriptioṇi de-
ditus

ditus Author , quiescit dum laborat , vigilans mente,
dum soporatur sensus : Frequenter insomnis , aut lecta
repetit , aut somno interrupta continuat , aut disposita
gerit , aut gerenda pranuntiat ; ajebat Ambr. Quid nam-
què ? si comparationi detur locus , effatur Sydonius : Di-
vidit , ut Socrates , explicat ut Plato , implicat ut Aristoteles , & ut Demosthenes irascitur . Adest igitur hoc in
opere labor , deest , & livor . Quare expedit ut prodeat in
Orbem ; quò velocius , eò felicius . Ut nostræ Seraphicæ ,
& Reformata Familia decus , ut Christianæ Religionis ful-
cimentum , ad perduelles improbos fidei detractores su-
bigendos , ad monstra Hæreseos coercenda , & prava dog-
mata eliminanda . Nulla in hoc opere dissona , immò om-
nia consona , & divinis legibus , & Christianis moribus .
Sic sentio ; salvo semper meliori . Faxit Deus , ut crescet
sicut pluvia doctrina tua , & sicut ros eloquium tuum .
Ad majorem Dei gloriam , & ad Sanctæ Romanae Ecclesie
proiectum . Hoc in D. Bernardini extramuros Matrit.
Conv. die 19. Octobr. anno Dñi. 1757.

D. Ambr.
lib. 2. de
Virg. post.
init.

Sidon.lib
4. cap. 3

Deut.cap.
32.

Tuus obseq. & addit. Subd. & Servus.

Fr. Julianus à Iesu.

Ex Dom. Antiq.

ACROSTICHA QUINQUIES PANEGY-LABY-
rinthica in Authoris, & operis Laudem.

P eforet,	F adiat,	P eserat,	P edimita	P erformaz
P etri:	F aradisus,	P ennis,	P er acuta:	P halange
H acundus,	F acilis,	P amodus,	P acula	P ulgens
A uthor,	F daperiens	P ditus,	P discere	P ultis,
Z udipedum	Z abulum,	Z itor,	Z unismate	Z otus
M heologiae	H ipple;	H omis;	H ifolia	H exta.
O raculum	O lympi	O bsecundans	O mnis.	O pe,
Z ormam	Z oscendi	Z umen	Z otissime	Z actus.
I ndex	I llustris	I ubenta	I ndagini	I usta,
O bservantia	O pima	O stentans,	O pere	O vanti.
D eletat-	D octis	D escriptis	D iscere	D ivi.
E xamini	E xacta	E nodar,	E picus,	E rgo.
D augens	D lcantare	D luminis	D gminis	D lmi,
P aternam,	P iteris:	P umariais	P atrice	P iquet.
E nigmas,	E nememerens,	E lllico	E osphoro	E llè
D iscitos	D cademicos	D lectans,	D nimo	D perto.
F ectorum	F abrum,	F aures,	F ibraria	F ubens,
D rgurias	D itas	D jungens,	D uthor,	D renis,
H rophizum	H imegisti,	H essera,	H empora,	H ecti
E xcollant	E xcalceati;	E dita	E le&tina	E tetnia.

Gratulanti animo recinit *Fr. Antonius*
de Confuegra, S. Theologiae Lector,
ex Dilcalceata Prov. S. Joseph.

ERRA.

ERRATA SIC CORRIGES.

PAG. 26. col. 2. lin. 30. articulos , leg. *articulos*. Pag. 33. col. 2.
num. 19. lin. 15. consetur , leg. *consetur*. Pag. 41. col. 1. num.
12. lin. 28. die , leg. *dic*. Pag. 176. col. 1. lin. 13. quod , leg. *quot*.
Pag. 223. col. 1. §. V. Latherus , leg. *Lutherus*. Pag. 232. col. 2.
num. 6. lin. 4. dianos , leg. *diaconos*. Pag. 247. col. 1. lin. ult. si-
gum , leg. *signum*. Pag. 255. Quæst. VII. leg. *VI*. & sic de sequent.
Pag. 274. col. 1. num. 8. lin. 17. Aust. leg. *August*. Pag. 357. col.
2. lin. 26. quias , leg. *quas*. Pag. 410. col. 1. lin. 1. tenebris , leg.
tenebrae. Pag. 471. lin. 3. col. 2. eligerent , leg. *eligerent*. & lin. 5.
adjudicare , leg. *abjurare*. Pag. 515. col. 2. num. 9. lin. 16. triom-
phantes , leg. *triumphantes*. Pag. 530. & sequentibus , Premium,
leg. *Proæmium*. Pag. 566. col. 1. num. 7. lin. 13. Miserum , leg.
Mysterium. Pag. 592. col. 2. lin. 14. Et andem , leg. *eandem*. Pag.
596. col. 2. lin. 1. excutice , leg. *excute*. Pag. 603. col. 1. lin. 14.
defunctis , leg. *defunctis*.

Cum perlegisset accuratè tertium Tomum Thæologici cursus ad
usum Provinciæ S. Joseph , Minoritarum Discipulorum à R. P. Fr.
Antonio de Albalate , ejusdem Provinciae Sacrae Theologiae Magistro,
nunc in Cœnovio Sancti Bernardini Extramuros hujus curie metuissimo
Præfule , elaboratum : Salvis his mendis inveni conformem suo
exemplari , ita fidem facio. Matri die octavo Novembris , anno
Dni. millesimo septingentesimo quinquagesimo septimo.

Doctr. D. Emmanuel González
Otero.

A. C. M. Generalis Corrector.

T A S S A.

DON Joseph Antonio de Yarza , Secretario del Rey nuestro Señor , y su Escrivano de Camara mas antiguo , y de Govierno del Consejo : Certifico , que haviendose visto por los Señores de él , el Tomo tercero del Libro intitulado : *Cursus Theologicus* , su Autor Fr. Antonio de Alvalate , Lector de Theología , y Guardian del Convento de San Bernardino , que con licencia de dichos Señores , concedida al susodicho , ha sido impresso , tassaron à seis maravedis cada pliego , y dicho Tomo parece tiene setenta y cinco , y medio , sin principios , ni tablas , que à este respecto importa quattrocientos cincuenta y tres maravedis , y al dicho precio , y no mas , mandaron se venda , y que esta Certificacion se ponga al principio del Libro , para que se sepa el precio á que se ha de vender : Y para que conste lo firmé en Madrid à catorce de Noviembre de mil setecientos cincuenta y siete .

Don Joseph Antonio de Yarza.

TRAC-



TRACTATUS PRIMUS.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.



OMEN virtutis Theologicæ hic sumitur , prout significat supremas virtutes Christianas , quibus homo ad supernaturalem beatitudinem dirigitur , & per se infunduntur à Deo ; & innescunt ex revelatione divina , & Doctrina Scripturæ : Unde virtus Theologica dici potest , non solum quia est circa Deum , tanquam objectum supernaturale ; sed etiam quia est à solo Deo , tanquam causa efficiente per infusionem ; & quia per solam revelationem divinam cognita est . Tractare de virtutibus Theologicis peculiariter ad Theologos pertinet ; sicut ad Philosophos Morales de moralibus virtutibus , & de actibus humanis , qui sunt actus liberæ hominis , laude , vel virtutiperio digni , de quo jam satis , dum de liberō arbitrio egimus . Ceterum ut rectius procedamus , ab universalibus ad particularia descendentes , aliqua prælibamus de virtute in genere , atque de ejus divisionibus , ut sic aperiamus , quid dicendum sit de Virtutibus Theologicis in specie ; & hoc per duas sequentes quæstiones potius recitative , quam disputative . Sit ergo :

Tract. I. de Virtut. Theolog.

QUÆST. I. PRÆAMBULA.

*QUID SIT VIRTUS IN
genere, & quotuplex?*

Existentia virtutis adeò est nota, ut Senec. lib. de Officijs dicat, *hoc magnum esse nostræ nature meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum immittat; itaut, qui illam non inquirunt, eam videant, & omnes virtutem confusè cognoscant, exactè autem paucissimi.* Deinde, hoc patet experientia, qua videmus, in multis dari facilitatem ad justè, temperatè, fortiter, & honestè operandum; & quā convincitur ex opposito, quod frequenter acquiritur inclinatio, & facilitas ad malè operandum: Ergo sicut datur vitium, sic etiam datur virtus.

2. Advertendum tamen est, quod virtus multiplicitate potest sumi. **i.** Pro facultate, & potentia efficiendi aliquid: sic Psalm. 32, dicitur: *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum:* sic etiam dicitur communiter, quod cœli, sydera, planete, magnes, & similia habent virtutem; Unde Medici loquuntur de virtutibus planetarum, & Astrologi de Cœlorum virtuti-

bus. **2.** Sumitur pro actu talis potentia; quo sensu Matth. 13, dicitur, *Christum non fecisse virtutes in patria sua.* Et Joan. 2, *lignum attulit fructum suum: ficus, & vinea dederunt virtutem.* **3.** Sumitur pro quovis habitu laudabili residente in corpore, vel anima. **4.** Pro solo habitu intellectuali. **5.** Pro solo habitu morali voluntatis. Nos autem sumimus virtutem pro habitu inclinante ad actus bonos, seu pro quadam perfectione, aut qualitate superaddita creaturæ rationali, cum qua redditur prompta, facilis, & expedita ad bene operandum; homo enim à naturali rectitudine deflectens per peccatum, necessè habuit recuperare aliqua media, quibus ad Deum reddiret; quæ quidem media nihil aliud sunt, quam virtutes. His suppositis, sit:

3. Conclusio 1. *Virtus in genere, & prout communis ad Theologicas, & Morales sic sollet definiri: Est habitus perficiens substantiam intellectualis, & ad bonam operationem illam inclinans.* Per particulam habitus, denotatur genus virtutis; per substantiam intellectualis, denotatur Angelus, & homo, ac potentia ipsorum rationales; per ultimam particulam *ad bonam operationem inclinans*, denotatur, tum effectus formalis virtutis

tis, qui est inclinare ad bonam operationem; tum effectus ipsius in genere causæ efficientis, qui etiam est ipsius finis, scilicet, bona *operatio*. Angelicus Præceptor S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 7. sic illam definit: *Quod sit dispositio perfecti ad optimum*; idest, qualitas bene disponens potentiam naturalem, & inclinans ad actum bonum; nam finis, complementum, & optimum potentiarum, & habitus operativi est actus, & operatio bona. Ab Aristot. 2. Ethic. c. 6. definitur: *Habitus*, qui bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.

4 Idem Philosophus, loc. cit. aliam definitionem afferit, quæ solis virtutibus voluntatis convenit, scilicet: *Habitus electivus in medietate consistens, prout vir prudens, & sapiens dictaverit*. Dixi, quod solis virtutibus voluntatis convenit, quia virtutes intellectuales non sunt electivæ; nam electio est operatio voluntatis. Deinde, virtutes Theologicæ non exigunt medietatem, seu mediocritatem: nemo enim potest excedere in credendo quidquid Deus revelat, nec in sperando promissam beatitudinem, nec in diligendo Deum; quia ut ait S. Bernardus, Serm. 1. de Ult. Coena: *In dilectione Dei modus amoris nullus esse debet. Sine modo te di-*

texit: sine modo cum diligere debet. Et in Opusc. de diligendo Deo, inquit: *Modus diligendi Deum est sine modo diligere*. Et Eccl. 43. *Benedicentes Deum exaltate illum quantum potestis, major est enim omni laude*. Verum est tamen, quod per accidens, & ratione exercitijs potest esse in actibus harum virtutum aliquis excessus; ideo debent exerceri cum moderamine pro mensura, & capacitate naturæ, conditionis, & ingenij nostri: non vero tanto connatu, ut corpus lardatur, nimium debilitetur, aut judicium deperratur. Hinc Melituus Doctor. Serm. ad Fratres de Monte Dei, inquit: *Cum nullum finem, vel terminum habere debeat devotio amantis; tamen terminos suos, & fines, & regulas habere debet actio operantis*. Hoc fortassis potest vocari medium virtutum Theologalium. Videatur Subt. Doct. in 3. d. 26. quæst. Unic. in solutione ad secund. principal.

5 Conclusio 2. Virtus in genere, seu in communis dividitur primo ratione subjecti in intellectualem, quæ residet in intellectu; & in moralem, quæ sedem habet in voluntate. Virtus intellectualis subdividitur in quinque species, prima dicitur intelligentia, seu habitus primorum principiorum; secunda, sa-

¶ Tract. I. de Virtut. Theolog.

pientia; tertia, scientia; quarta, prudentia; quinta, Ars. Sed est advertendum, quod licet Prudentia resideat in intellectu, etiam communiter vocatur virtus moralis: Tum, quia ipsa ad sui usum postulat rectum affectum voluntatis: Tum, quia ipsa judicat, & dictat hic, & nunc, quid honestum, quid v  turpe sit; ac proinde quid sit amplectendum, vel quid respuendum: Unde est quasi Dux, & Regina omnium virtutum.

6 Numerus virtutum moralium est valde magnus, cum omnes virtutes, pr ter dictas, & pr ter Theologicas (de quibus statim) ad mores spectent. Inter illas tamen sunt pr cipu  quatuor, scilicet, Prudentia, Justitia, & Temperantia: qu  quatuor Cardinales vocantur, eo quod illis veluti Cardinibus totius humanae vit  institutio recta, & honesta vertitur, & innititur. Prudentia enim est exterarum virtutum fundatum, & directrix. D. Bernard. i. de Considerat. cap. 8. inquit de prudentia: *Inter voluptates, & necessitates media, quasi quedam arbitra sedens, utrinque certis limitibus exterminat fines: istis assignans, & prevens, quod sat est: illis, quod nimis est, demens.* Insuper, prudentia, qu  ex nomine idem est, ac procul videntia; quia est certa quadam

futurorum pr visio, pr teritorum recordatio, & pr sentium intuitio, distinguitur a Philosophia morali; quia licet h c juciderit de omittendis, & faciendis, est tantum in genere; prudentia ver  ad particulates circumstantias descendit. Aristoteles 6. Ethic. cap. 5. sic illam definit: *Habitas cum vera ratione activus circa ea, qu  homini bona sunt, vel mala moraliter.* Et D. Aug. lib. 1. de Lib. Arbit. cap. 13. *Prudentia est rerum appetendarum, & fugiendarum scientia.*

7 Prudentia subdividitur in politicam, qu  versatur circa gubernationem reipublica; economicam, qu  respicit directionem famili ; & Monasticam, qu  circa directionem hominis privati versatur. Immo juxta Subt. nostr. Doct. cum suis, & alijs, in 3. d. 36. §. quantum ergo ad istum, tot sunt prudentiae secundum speciem, quot sunt virtutes morales acquisita; licet in communi sit una virtus secundum genus supremum; eo modo, quo virtus moralis acquisita sic dicitur generic  una. Ratio Nostri Doct. est, quia sicut ars est recta ratio factibilium, & artificialium, sic prudentia est recta ratio agibilium: ergo sicut respectu diversorum factibilium diversae sunt artes specie differentes; ita pariter res pec-

peccato diversorum agibilium erunt diversæ prudentia specie differentes : nam alia est prudentia dictans de temperate vivendo , alia de justæ operando , & alia de fortiter agendo. Videatur nost. Mastr. in 3. Sentent. disp. 7. q. 7.

8 Justitia est habitus inclinans voluntatem ad reddendum unicuique quod suum est. Dividitur in generalem , seu publicam , qua personam publicam respicit , qua Judex v. gr. decernit unicuique , quod suum est ; & privatam , qua unusquisque alteri tribuit , quod suum est. Subdividitur in commutativam , & distributivam. Commutativa inclinat ad reddendum alteri æquale pro æquali in contractibus , & commutationibus , emptione , venditione , & similibus. Cui opponitur iniustitia simpliciter , & quidquid alteri sit contra jus ; ut homicidium , mutilatio , furtum , rapina , detracatio , accusatio falsa , maledictio , &c. Justitia distributiva inclinat ad distribuenda commoda , & honores communitatis inter illius personas , servando proportionem Geometricam ; & infligendo pœnas juxta demeritum personarum , qua male egerunt. Unde , subdividitur in remunerativam , qua virtuti præmium reddit , & in punitivam , qua criminis infigit pœnam ; & utri-

que opponitur acceptio personarum.

9 Virtutes , quæ ad justitiam reducuntur , sunt sequentes: Prima , Religio , qua est virtus tribuens Deo propter ipsius excellentiam cultum , & honorem , qui non sit prohibitus ab Ecclesia Catholica. Sub istasunt actus sequentes : Devotio , Oratio , Adoratio , Sacrificium , Oblatio bonorum , Votum , Juramentum , Laus , & Adjuratio ; quibus omnibus homo Deo subjicitur , testificaturque ejusdem excellentiam , perfectionem , & supremum dominium. Secundo reducitur etiam ad justitiam pietas ; qua inclinat ad collendos Parentes , cognatos , & Patriam ; cui opponitur impietas , qua ex suo genere est mortalis. Tertio , observantia , qua inclinat ad tribuendum honorem superioribus , & personis in dignitate constitutis ; cui opponitur inobedientia , ex genere suo mortalis. Quarto , obedientia , inclinans ad exequenda mandata Superiorum ; cui opponitur inobedientia , etiam ex genere suo mortalis. Quinto , veracitas , qua inclinat ad conformanda verba menti ; cui opponitur mendacium. Sexto , liberalitas , qua inclinat ad distribuenda bona alijs sine avaritia , & sine prodigalitate , sed juxta prescriptum rationis , dando , & retinendo .

ut oportet; ideo ei per defectum opponitur avaritia, & per excessum prodigalitas. Septimo, amicitia, quæ inclinat ad reamandum amicum, eique amicabilia officia exhibenda; cui per excessum opponitur adulatio; quæ est mortalis, dum maledicta laudantur: cum impedit, ut amicus à peccatis resurgat, vel eum ad majora criminis inducit.

10. *Fortitudo est virtus, quæ voluntatem inclinat ad labores perferendos, & justa pericula aggredienda.* Medium tenet inter audaciam, & timiditatem; quia consistit in perpessione laborum, quos fugit timiditas: & in agressione justorum periculorum; audacia vero ad omnia pericula inclinat, sive justa, & honesta sint, sive non. Præcipuus actus fortitudinis est prudens animadversio cum cautela periculorum, ne exponatur, ut aliquod damnum, aut mors sequatur sine ulla utilitate, vel necessitate: & ideo viri Sancti per actum fortitudinis mortem præcaverunt, quando eam subire non oportebat.

11. *Virtutes, quæ ad fortitudinem reducuntur, sunt Magnanimitas, Magnificentia, Pacientia, Perseverantia.* Magnanimitas est, virtus inclinans animum ad subeundam magna pericula ob bonum virtutis, lumi-

ne fidei presupposito. Magnificentia est, virtus inclinans ad opera sumptuosa, magna, & decentia in ordine ad Dei gloriam, salutem suam, & proximi commoditatem, ut est erexitio Templi, Monasterij, &c. Pacientia est, virtus tollerantia constans in rebus adversis properter Deum; quia sustinens adversa ex amore Dei, vel quia suis peccatis majora debentur, vere patiens est; & tali actu meretur de condigno, si justus est. Unde Christus D. Beatos prædicat, qui patientur propter iustitiam. Perseverantia est virtus, per quam, non obstante temporis diuturnitate, difficultate, & molestijs, homo persistit in bono opere, prout id a recta ratione dictatur. Huic virtuti opponitur per defectum movilitas, quæ stultus sicut Luna mutatur, cedendo difficultati, qua in bonorum operum exercitio occurrit. Per excessum opponitur pertinacia, qua quis ita sua sententia adhaeret, ut nollit cedere quibus, & quando secundum rectam rationem cedere debet.

12. *Temperantia est virtus inclinans voluntatem ad moderandum appetitum circa voluptates corporis, & præsertim ex cibo, potuque, & venere provenientes.* Unde, temperantia circa delectationes sensuum versatur, superans in illarum usitatis dif-

difficultatem specialem, ne illis homo utatur præter mensuram rationis, aut contra finem debitum. Virtutes, quæ ad temperantiam reducuntur, & sp̄eciant sunt abstinentia, sobrietas, castitas, & pudicitia. Abstinentia est virtus, quæ moderatur delectationem cibi, & potus, ut quis non plus edat, aut bibat, quam ad humanam vitam sustentandam, illiusque functiones exercendas, secundum prudenter arbitrium necessarium est. Sobrietas est virtus, qua ita potum moderamur, ut non noceat usui rationis. Distinguitur ergo sobrietas ab abstinentia in eo, quod illa potum moderatur, ut non noceat usui rationis per ebrietatem: abstinentia verò potum moderatur, ut nemo ob delectationem in bibendo, plus bibat, quam decet.

13 Castitas est virtus, quæ moderatur venereas voluptates. Pudicitia est virtus moderans signa impudica provocantia ad venereas delectationes; ut sunt aspectus, oscula, amplexus, &c. At ubi est consuetudo legitime introducta in signum honesti amoris, conceditur prædicta esse licita. Ceterum ubicumque prævidetur periculum libidinis, ibi abstinentium est.

14 Virtutes annexæ temperantiae, sunt mansuetudo, clementia, modestia, humilitas,

studiositas, & eutrapelia. Mansuetudo, est virtus iræ moderatrix, non sinens eam exurgere, nisi contra quos oportet, ut oportet, & quanto tempore oportet. Advertendum tamen est, quod iratus differt ab iracundo in eo, quod iratus ex causa provocatus excandescit, sed intra limites rationis; iracundus verò ex qualcumque causa, & contra dictamen rationis ad iram semper movetur. Clementia est virtus, quæ considerata conditione persona, loci, & temporis, moderatur poenas reis debitas, prout id patitur ratio iustitiae. Distinguitur à mansuetudine quia mansuetudo moderatur, & refranat iram, quæ movet ad poenas dandas; clementia verò aliquid diminuit ex poena, quæ reis juxta leges debetur; quia semper eligit infimam, ex taxatis à lege, & punit citra condignum.

15 Modestia est virtus, quæ modum statuit, qui servari debet in humanis affectibus, & actibus externis, juxta sexum, etatem, statum, conditionem, &c. personarum. Humilitas est virtus refranans animum, ne homo plusquam decet tendat ad excellētā, honores, & dignitates, ratione quarum velit super alios ire. Studiositas est virtus, quæ modum, & ordinem sciendi constituit, ut non excedamus,

nec deficiamus in addiscendo, sed proficiamus, quo ordine, quo studio, quo fine scire quæque oporteat; hoc est, ut scientiam quæramus, & desideremus, non ad innanem gloriam, aut curiositatem; sed ut medium, quo nos ipsos, & deinde alios dirigamus ad salutem. Unde nullus studere debet præcisè, ut doctus, & sciens sit, sed ut per doctrinam utilis sibi, & alijs existat.

16. Eutrapelia est virtus, quæ decorem servat in dicitis, factis ludicris, jocis, & ludis ad animi quietem, & corporis recreationem. In eorum tamen usu tria cavenda sunt. Ne delectatio queratur in operacionibus, aut verbis turpibus, nocivis, & mendacibus, prout apud plures est in usu, qui in conversationibus, & recreacionibus, aut obscene loquuntur, vel proximo in re gravi detrahunt, aut per mendacia perniciosa procedunt. Secundum, ne gravitas animi totaliter resolvatur. Tertium, ut joci, & iudi congruante dignitati personæ, tempori, loco, statui, etaci, &c. Contra hanc virtutem peccat per excessum qui utitur fraudibus, contumelijs, aut dicterioribus, &c. Et qui propter jocos deficit in obligationibus suis: per defectum vero peccat, qui honeste jocantibus, ac ludentibus mo-

lestus est, durus, asper, & agrestis; quia ipse nunquam jocatur, aut ludit.

17. Ex parte efficientis dividitur virtus in communis in acquisitionem, & infusionem. Acquisitionis est quam naturaliter ex proprio labore, & actibus nostris acquifimus; in quantum v. g. exercendo actus temperantiae, fortitudinis, aut justitiae, efficiuntur forces, temperantes, aut justitiae, seu acquirimus facilitatem ad similes actus, ut in Logica diximus. Virtus infusa est, quam Deus nobis impertitor, seu infundit; quæ si ita sit à Deo, ut non possimus eam acquirere naturaliter, vocatur infusa per se; si vero sit quidem à Deo, possemus tamen illam acquirere, quanvis non cum tanta facilitate, aut perfectione; tum vocatur infusa per accidens: primi generis sunt Virtutes Theologicae, quæ ita necessario infunduntur divinitus, ut naturaliter non possint obtineri, secundi generis sunt Virtutes Morales supra explicatae, quæ licet possint acquiri, eas solet Deus infundere in justificatione hominis simul cum Fide, Spe, & Charitate.

18. Ex parte causæ finalis dividitur virtus in Theologiam, & Moralem. Illa est, quæ circa Deum, sive divinam aliquam perfectionem immediate versatur, & sunt tantum tres, sci-

Iciliçet, Fides, Spes, & Charitas. Moralis est, quæ in cæteris rebus mores hominum componit, & circa bonum honestum versatur, ut jam satis dictum. Virtutes Theologicae immediate nos uniunt Deo; Virtutes vero Morales immediate versantur circa objecta creata, & postea ad Deum nos conducunt. Virtutes Theologicæ rectificant partem superiorem animæ; Virtutes vero Morales mouent facultates inferiores animæ, ut parti superiori subjiciantur.

QUÆST. II. PRÆAMBULA.

DE INFUSIONE, ET
connexione Virtutum Moralem.

1 Q UOD Virtutes Morales non sint à natura congenitæ, aut ex temperamento, melius probari non potest, quam ex ratione Philosophi, qui 2. Ethic. cap. 1. docet per experientiam, quod inclinatio naturalis non soleat superari à contraria consuetudine; ut demonstrat ex gravi, quod licet nullies feratur sursum, nunquam opprimitur inclinatio naturalis ad descendendum: sed inclinatio, quam habet homo per virtutes ad bene agendum, corrumpitur per oppositam consuetudinem vicio-

sam: Ergo virtutes non insunt à natura. Deinde sequeretur, quod vanæ essent institutiones, educationes, & præcepta, quæ dantur, ut homines habeant bonos mores, & inclinationes honestas, si ab ipso efformationis exordio homines essent virtute prædicti. In hoc omnes Catholicæ conveniunt.

2 Etiam convenient in eo, quod prudentia ita sit necessariò connexa cum alijs virtutibus, seu potius aliæ virtutes cum ipsa, ut nulla earum sit propriæ virtus absque prudentia. Convenient insuper, quod virtutes intellectuales non sint inter se connexæ, excepto habitu principiorum, in quo fundantur reliquæ. Convenient etiam insuper Catholicæ, quod possint dari veræ Virtutes Morales acquisitæ sine virtutibus infusis. Convenient ulterius, quod charitas non potest esse sine fide; bene tamen potest remanere Fides, & Spes sine Charitate. Convenient etiam ulterius, quod in justificatione aliquorum Sanctorum, ut v. g. Joannis Baptiste, D. Pauli, S. Mariae Magdalena, &c. fuerunt coinfusæ omnes Virtutes Morales simul cum gratia, Fide, Spe, & Charitate. De his, inquam, convenient omnes communiter; sed inter utramque Scholam Catholicam, est quædam controversia circa connexio-

xionem virtutum moralium, saltem acquisitarum; nam Thomistæ contendunt, virtutes morales, in statu perfecto consideratas, tantam habere inter se connexionem, & concatenationem, ut qui unam habet, omnes habeat; & qui una caret, nullam habeat. E contra verò Scotistæ, licet fateantur, quamlibet virtutem ad statum heroicum, & superexcellentem gradum elevatam, habere alias sibi annexas; volunt tamen, unam virtutem moralem posse consistere in gradu perfecto sine alia. Præœulis semper habendo, quod ut suo loco diximus, nullus actus virtutum moralium potest habere perfectionem supernaturalem, seu esse supernaturalis, aut meritorius absque superna divina gratia. Tota ergo controversia debolvitur ad perfectionem pure naturalem.

3 Circa infusionem est etiam inter Catholicos quædam controversia, & quidem valde malesta; an, scilicet, præfatae virtutes morales, aut aliæ, etiam morales, sint per se infusaæ, ita ut petant infundi à Deo divinitus, sicut virtutes Theologicae; & de facto cum illis infundantur in omni justificatione hominis? Afirmant ferè omnes extra nostram Subtilem Scholam; & ita acriter, & mordicus aliqui, ut oppositam dicant esse

erroneam; alij temerariam; alij esse contra definitionem Ecclesiæ; alij tandem communiter dicunt, quod quanvis sua non sit de fide, est tamen probabilior Theologorum sententia, ut videri potest apud nostrum Mastrius in 3. disp. 7. q. 2. n. 24. Opposita sententia est nostri Subtil. Doct. in 3. d. 36. q. unic. quam sequuntur omnes Scotistæ, tam veteres, quam RR. negando hujusmodi virtutes morales per se infusaæ, & a Theologis, ac moralibus acquisitis essentialiter diversas.

4 Conclusio 1. Non dantur virtutes morales per se infusaæ. Sic Subt. nost. Doct. cit. ubi inquit, quod licet de ipsis virtutibus moralibus multa dicantur, scilicet, quod videntur necessaria propter modum, medium, & finem; quia tamen omnis finis, quem non possunt habere ex specie sua, determinatur sufficienter ex inclinatione charitatis; modus autem, & medium determinantur per fidem infusam; ideo non videtur necessitas ponendi virtutes morales infusaæ, sed acquisitas tantum in his, qui habent eas acquisitas, vel habere possunt; nec etiam in alijs, qui scilicet, non possunt eas acquirere propter defectum usus liberi arbitrij; quia non est major ratio de ipsis, quam de illis; ita Doct. nost. lo-

eo cit. Quod & probant aliqui Scotistæ, quia opposita sententia nec ex Sacra Scriptura, nec ex Patribus, nec ex Ecclesiæ definitione, nec ratione ulla efficaci probatur; quod ostendunt argumenta adversariorum solvendo. Vulpes tamen, & Mastr. probant nostram sententiam, non tantum negative, eo quod non sint multiplicanda entia, sine necessitate; sed etiam positivè ex Sacra Scriptura, Conclilis, Patribs, & rationibus. Videatur Mastr. loco cit.

5 Conclusio 2. *Virtutes morales non sunt necessariò conne-
cta cum virtutibus Theologicis,
nei invicem inter se.* Sic Subt.
Doct. in 3. d. 36. q. unica. Pro
batur 1. ex D. Paulo 1. Cor. 13.
*Si linguis hominum loquar, &
Angelorum, si distribuero in ci-
bos pauperum omnis facultates
meas, si tradidero corpus meum,
ita ut ard. am, charitatem autem
non habuero, nihil mihi pro-
deß.* Ecce probatio pro utraque
conclusione: nam Apostolus lon-
go discursu ostendit, posse dari
actus virtutum moralium, seu
morales virtutes absque gratia,
& charitate; & insuper osten-
dit, solam charitatem sufficere
ob illius eminentiam, quæ po-
test cœteras omnes virtutes sup-
plere, vel earum actus ad super-
naturalem suam meritoriè or-
dinare: *Charitas patiens est, non*

emulatur, non agit perperam,
*&c. Omnia suffert, omnia cre-
dit, omnia sperat, omnia subsi-
tinet, &c.* Ergo ex Sacra Scrip-
tura patet, & virtutes morales
per se intusas, præter Theolo-
gicas, esse superfluas, seu non
necessarias; & quod virtutes
morales possunt dari absque
charitate.

6 Probatur 2. ratione à
priori; quia virtutes morales
inter se sunt distinctæ, & una
per se non dependet ab alia; nec
ulla ex illis est pars intrinseca,
aut proprietas alterius; unde
aliquis potest exercere aliquos
actus virtutis temperantia v. g.
vel fortitudinis priusquam exer-
ceat actus aliarum virtutum; &
ita potest sibi acquirere, & in
se generare habitum illius vir-
tutis, ante quam acquirat alias:
Ergo una potest haberi, adhuc
in grado perfecto naturali sine
altera; nou minus quam una
scientia potest acquiri sine alia.
Confirmatur: quia consortium
aliarum virtutum non conductit
per se, ut quis feratur in bonum
castitatis v. g. ob ipsius parti-
cularem honestatem; quia illam
non attingunt, ut ex se con-
stat. Quid igitur conductit ad
castitatem veracitas in loquen-
do, aut è contra, & sic de ali-
ijs? Ergo castitas potest haberi
in summo gradu, & ita perfec-
tè inclinare naturaliter loquen-
do,

do , ad caste vivendum , quando est sine alijs virtutibus , ob suum formalem motivum , ac quando est cum illis .

7 Præterea , virtus ex Philosopho cit . est habitus electivus in mediocritate consistens , prout sapiens determinaverit : atqui sine connexione fortitudinis potest aliquis obtinere habitum electivum temperantia in mediocritate consistentem , juxta iudicium viri prudentis : ergo , &c. Ulterius , si esset connexio necessaria inter virtutes , per accus unius producerentur alijs : atqui quilibet habitus virtutis specie diversus ab alijs , generatur per proprios suos actus , etiam specifice diversos ab actibus aliorum : g. &c.

8 Probatur 3. conclusio etiam ex Apostolo 2. ad Rom. Gentes , quæ legem non habent , naturaliter , quæ legis sunt , faciunt . Ubi Doctor Gentium docet , quod gentiles solo naturali lumine impleant aliqua legis mandata ; quæ impletio legis est quoddam bonum morale , in suo genere perfectum , ut tradidit Chrysostom . in Comment . super hæc verba ; aliás , si actio illa legis executiva esset mala , tales non facerent quæ legis sunt ; cum lex solum bonum præcipiant . Idem confirmatur ex pluribus locis veteri Testamento , apud nostrum Boyvin viden-

dis , 3. part. disp. 3. cap. 1. q. ult. Etiamque confirmatur experientia infidelium , gentilium , & præsertim antiquorum Philosophorum , qui ob amorem aliquatum virtutum moralium erant parati ad persecutions , carceres , & mortem subveniendam .

9 Urgetur ex D. Aug. Serm. de Pacientia , & refertur de Peccant. dist. 3. cap. Si quis non habens charitatem , ubi loquitur de haeretico , & schismatico : Si quis non habens charitatem , quæ pertinet ad unitatem spiritus , & vinculum pacis , ne Christum neget , patitur tribulationes , angustias , famen , siti , persecutions , pericula , carceres , vincula , tormenta , gladium , vel flamas , vel bestias , vel ipsam crux in timore gehenna , & ignis æterni , nullo modo culpanda sunt ista , immò vero , & hæc laudanda est patientia : g. aliquis potest habere veram , & perfectam patientiam , seu fortitudinem absque fide , & charitate , ut hic supponitur .

10 Argumenta contra præfatas conclusiones possunt videiri apud nostrates , præsertim Mastrium , Boyvin , & Panger ; omnia enim non plus probant , quam connexionem in Sanctissimis animabus , quarum operationes sunt omnes meritoriae , & Sanctissimæ in gradu heroico , quod ,

quod , & nos jam supposuimus; vel solùm probant , quod ut sint meritoria vita æternæ , & supernaturales, indigent gratia auxiliante , & justificante , quod , & nos etiam sàpè diximus.

11 Inquires : *Quid sit medium in quo consistit virtus?* Respondeatur , quod medium virtutum est conformitas in operando ad rectam rationem. Sic communiter DD. ex Aristot. 2. Ethic. cap. 6. dicente, *quod virtus est habitus et ceterus in mediocritate consistens quoad nos definita à ratione , ut definierit ipse prudens.* Unde , medium virtutum , seu mediocritas est secundum dictamen rationis , & prudentiæ ; non verò secundum rem ipsam ; quod Aristot. declarat in materia temperantiae , in qua non est præstitutum unum certum medium ex natura rei pro omnibus hominibus ; quantitas enim cibi , & potus , quæ respectu hominis sani , & robusti , est objectum temperantiae , & sobrietatis ; respectu infirmi , & debilis est objectum intemperantiae , & ebrietatis ; hoc idem constat in materia fortitudinis ; nam idem periculum , quod respectu Petri est objectum fortitudinis , respectu alterius poterit esse objectum temeritatis. Hoc itaque dicitur medium rationis , & non rei : nam omnes , & singulæ virtutes inclinant ad

ita attingendum suum objec-
tum , ut se conforment regulæ
rationis , & prudentiæ , non ex-
cedendo , nec deficiendo. Unde,
Deuteron. 5. *Non declinabis ,*
neque ad dexteram , neque ad si-
nistram , sed per viam , quam pre-
cipit Deus vester ambulabit.
Ad Rom. 12. Dico autem vobis ,
non plus sapere , quam oportet
sapere , sed sapere ad sobrietatem . D. Gregorius Nyssen. ho-
mil. 8. in Cant. inquit : *Virtus media est inter duo vitia , nem-
pe , inter defectum honesti , &
exuperationem.* His ergo præ-
libatis , sit:

DISPUTATIO PRIMA:

DE FIDE.

QUÆSTIO PRIMA.

*QUID SIT FIDES , ET
quodnam ejus objectum , tam
materiale , quam for-
male?*

1 **P**luribus modis nomen fidei usurpari sclet.
1. Pro fidelitate , & veracitate in servandis promissis ; sic dicitur homo magna , vel dubia fidei , & i. Machab. 1. *Perseverate adhuc , conservate ad nos fidem.*
2. Sumitur pro fiducia ; sic dicitur Matth. 14. v. 31. *Modice fidei , quare dubitasti ? & Jacobi*

1. v. 6. *Postulet in fide nihil habitan.* 3. Sumitur pro conscientia; sic ad Rom. 14. v. 23. *Quod non est ex fide, peccatum est:* sic etiam dicitur in iure, possessio bona, vel male fidei. 4. Sumitur pro fama, quam quis habet, ut credatur; sic Eccl. 27. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit;* idest, non amplius existimatur fidelis; & in jure dicitur. *Frangenti fidem, fides non est servanda.* Relictis ijs, & alijs fidei acceptanceibus, ad propositionum fides sumitur pro virtute Theologica, quæ est quedam qualitas supernaturalis, in intellectu residens, qua homo est potens ad credendum Deo, & illis, quæ nobis divinitus revealantur.

2 Fides hoc modo sumpta definitur ab Apost. ad Hebr. 11. Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Dicit primo, Fidem esse substantiam sperandarum; non quia fides non sit accidens supernaturale pertinens ad genus qualitatis; sed ut significetur fidei firmitas, & necessitas: Est enim fides veluti prima nostre salutis janua, & initium, spiritualis ædificij fundamentum, & radix omnis justificationis: est basis substans toti ædificio spirituali, quod constituitur ex virtutibus, quæ nos conducunt ad possessionem glo-

riæ æternæ, quam speramus; quia sine fide impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire. Dicit 2. fidem esse argumentum non apparentium; quia tanquam firmum argumentum fides assentire facit veritatibus revelatis propter autoritatem Dei revealantis; loquitur enim de fide obsequiosa, & quæ regulariter habetur in via de rebus obscuris, & non visis, ut tom. 1. tract. de Beatitud. jam diximus. Scholastici autem aliter definiunt fidem; quæ quidem potest considerari, vel ut est actualis, vel ut habitualis: & pro utraque sic:

3 Conclusio 1. *Fides est donum Dei, ac lumen, seu virtus Theologica à Deo infusa, qua illustratus homo, firmiter assentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Ecclesiam, seu Viarium Christi credenda proposuit, sive illa scripta sint, sive non sint.* Dicitur donum Dei; quia non habemus à nobis ipsis, sed est nobis gratis datum pro nostra salute, ut asserit Joann. dicens: *hoc est opus Dei, ut creditatis in eum,* Joan. 6. & alibi: *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis,* Dei enim donum est: ad Philip. 11. Dicitur lumen; sicut enim Sol illuminat oculos nostros, ut omnia visibilia conspicere possint: ita fides intellectum nostrum illuminat ad

ad credendum , & cognoscendum quidquid Deus , qui nec fallere , nec falli potest , nobis revelavit , quantumvis sensui , vel rationi contrarium videatur.

4 Alijs verbis solent communiter definire fidem , scilicet , „ Fides actualis est actus super- „ naturalis intellectus , quo fir- „ miter assentimur omnibus , „ quæ Deus revelavit , propter „ solam revelantis authoritem . „ Fides habitualis est habitus „ intellectualis , quo simpliciter „ disponimur ad credendum fir- „ miter omnes veritates à Deo „ revelatas , & sufficienter no- „ bis propositas , propter solam „ Dei revelantis autoritatem . Jam enim in logica diximus , ha- bitus per se infusos dari ad sim- pliciter operandum ; acquisitos verò ad faciliter operandum ; quia sine ipsis potest haberi ope- ratio , quanvis non faciliter ; si- ne illis autem nec faciliter , nec difficulter . Ab hoc habitu om- nes Catholici , sive parvuli ad- huc sint , sive sint adulti , qui dormiant , aut mente sint capti , fi- deles dicantur . Hæretici autem eo ipso , quo in hæresim lapsi sunt circa quancumque veritatem , amittunt totam fidem supernatu- ralem , & infusam : cujus ratio est , quia habitus fidei est indivisi- bilis , qui totus deperditur in hæ- regico , dum unum articulum

negat , sive dicuntur , & est in- fidelis . Quod si videatur habe- re eamdem facilitatem ad cre- dendum , quæ non negat : illa facilitas procedit à cœnstanti- ne , & à fide acquisita ; non ve- ro à fide supernaturali infusa , quæ tota deperdita est per hæ- resim .

5 Circa 2. quod inquit quæstio , varias quidem , & lon- gas disputationes faciunt AA. ut videre est apud nostr. Mastr. in 3. disp. 6. quæst. 1. quas omittimus , & solum sumimus , quæ ad nostrum intentum , de vera religione contra infideles omnes miseris , conducunt . Re- colenda sunt , quæ in logica di- ximus de objecto tam materia- li , quam formalí cuiuscumque habitus , seu facultatis , & hic ap- plicanda . Sit ergo :

6 Conclusio 2. , Objectum „ materiale fidei est omnis res „ à Deo revelata , quæ nobis „ credenda proponitur , sive illa „ res habeatur ex Sacra Scriptu- „ ra , sive ex Traditionibus , si- „ ve ex Concilijs , vel ex Summ. „ Pontificibus loquentibus ex „ Cathedra : quæ omnia sunt re- „ gula fidei . Hæc conclusio est re ipsa communis inter Theolo- gos ; quanvis enim aliqui Deum assignent , attamen non aliter as- signant , nisi quatenus in Deo comprehenduntur , aut con- tinentur , & ad eum referuntur

omnia mysteria fidei , omnesque res revelatae . Et ratio est clara , quia objectum materiale est , circa quod versatar aliquis habitus , vel potentia : atqui omnes res revelatae sunt circa quæ versatur fides divina , ut patet ex ejus definitione : g. &c.

7 Conclusio 3. „ Objectum „ formale fidei divinæ est Deus „ , sub ratione primæ veritatis in „ dicendo , seu revelando : seu , „ quod idem est , est veracitas „ Dei revelans . Ita communiter Thomistæ , & Schotistæ , ut testatur noster Mastr. cit. num.

21. Probatur 1. quia Scriptura , ut nos ad credendum inducat , semper adducit veracitatem Dei , vel Deum ut testantem verita-

tem : sic dicitur Joann. 3. v. 33.

„ Qui accepit ejus (idest Christi) testimonium , signavit , quia

„ Deus verax est . Item 1. Joan.

5. v. 6. „ Quia spiritus est , qui

„ testificatur , quoniam Christus est veritas . Et vers. 10. di-

citur : „ Qui non credit filio ,

„ mendacem facit eum , quia non

„ credit in testimonium , quod

„ testificatus est Deus de filio

„ suo : g. credimus propter ve-

racitatem Dei : huic enim oppo-

nuntur capacitas mendacij . Ratio

est , quia objectum formale est

ratio , propter quam assentimur :

sed veracitas divina revelans est

ratio , cur credamus r̄s à Deo

revelatas ; g. est objectum forma-

le. Major patet ex definitione objecti formalis . Minor etiam est clara ; quia de ratione fidei in communi est inniti solo testimonio dicentis , propter ejus veracitatem : g. de ratione formalis fidei divinæ est inniti testimonio divino , propter divinam veracitatem . Deinde , posita sola attestatione primæ veritatis , & sublato omni alio , habetur sufficiens motivum credendi ; & è contra , si per impossibile Deus non haberet summam veracitatem , licet cætera omnia haberet , non posset ei prudenter adhiberi fides indubitata : g. ista veracitas est ratio formalis sub qua ; ac proinde objectum formale fidei .

8 Confirmatur ex D. Paulo ad Galat. 4. Notum vobis facio Evangelium , quia non est secundum hominem , nec illud accipi ab homine : nec didici ; sed per revelationem . Ubi Apostolus pro ratione sui Evangelij credendi nil aliud assignat , quam Deum revelantem ; qui non potest falli , propter suam summam sapientiam ; nec fallere propter suam infinitam veracitatem .

9 Circa ipsam divinam re-
velationem , qua revelantur quæcumque credibilia , est dissenso inter AA. an sit de objecto formalis fidei , an tantum conditio requisita ? Communior sententia Scotistarum asserit , esse tantum

Conditione. Ita Mastrius cit. num. 53. qui num. 56. inquit, quod revelatio est potius dicenda applicatio objecti formalis, quam objectum formale. Alij dicunt, quod revelatio est quasi objectum partiale formale fidei. Sententia Scotistarum, & Mastrij, quæ in re est eadem, libenter subscribimus, relinquendo rationes apud ipsos videndas; quia non est magni momenti difficultas, & utiliora nos vocant.

10 Ex dictis sequitur, esse actum fidei illum, quo creditimus, Tobiam habuisse canem, Saul quæsivisse assinas, & similia; quia licet secundum se sint contingentia, sunt tamen infallibilia prout subsunt revelationi divinae. Unde, sub objecto fidei comprehenditur ens, tamen naturale, quam supernaturale; tamen negativum, quam positivum; tamen obscurum, quam etiam aliunde claram, dum modo ob veracitatem Dei dicentis, aut revelantis credatur, de qua veritate nullatenus dubitari potest; nam non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur, Numer. 23. v. 19. Et hoc, sive Deus per se ipsum, sive per os Sanctorum, scilicet Prophetas, Apostolos, & Angelos tanquam suos Ministros loquatur. Quod non tantum de facto, sed etiam de pos-

sibili intelligendum est, ut docent omnes Catholici contra aliquos Sectarios afferentes, quod Deus de potentia absoluta potest mentiri, saltem per alios; quod absdubio est manifesta blasphemia.

QUÆST. II.

*AN DENTUR, ET QUÆ
sint aliqua motiva, quæ redi-
stant objectum fidei evi-
denter credibile?*

Advertendum est, magnam esse differentiam inter veritatem evidenter veram, & evidenter credibilem; illud enim est, manifestè videre ipsam veritatem, prout Beati in Cœlo vident mysteria fidei; hoc vero tantum significat, manifestè credi posse, veritatem revelatam existere, licet non videatur; ita taliter, quod oppositum prudenter credi non possit: quæ evidenter potest dici potius moralis certitudo de existentia veritatis, quam evidenter physica, ut ex communi Doctorum advertit noster Mastr. in 3. disp. 6. q. 10. num. 282. Cum ergo, quæ Deus revelavit per Prophetas, Apostolos, & Ecclesiam, majori certitudine credamus, licet superent nostræ rationis comprehensio- nem, quam quæ proprijs oculis

cernimus, & proprijs tangimus manibus, & naturali scientia scimus; taliter, ut eligere debemus potius mori, & extrema quæque supplicia pati, ut fecerunt tot millions Martyrum, quam vel minima res à Deo revelata negare, aut in dubium revocare; quæritur hic, an dentur aliqua signa, seu motiva, quibus sint evidenter credibilia omnia divinitus revelata?

2 Advertendum est etiam, quod ut credamus, quæ Deus revelavit, sufficit, quod sciamus, Deum ea revelasse. Rationes autem inquirere, divinaque mysteria, & judicia scrutari non licet: *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*, Proverb. 21. *Altiora te né quæsieris: sed que præcipit tibi Deus, illa cogita, & in pluribus ejus operibus né fueris curiosus*, Eccl. 3. Si arrogantis, & impudentis hominis est, fidem non dare gravi, ac sapienti viro aliquid affirmanti, & urgere, ut quod dicit, rationibus, aut textibus probet: quantæ temeritatis, ac stultitiae est, Dei vocis audientem, petere rationes ipsius dicti? *In captivitatem igitur redigere debemus intellectum nostrum in obsequium fidei.* 2. Cor. 10. Credidit Abraham Dño (inquit S. Ambrosius) & quia rationem non quæsivit, sed promptissimam fidei credidit, reputatum est ei

justitiam, lib. 1. de Abraham, cap. 3. Hoc vero non obstante, quia Ezech. 9. *Qui levis est corde, & cito credit, facile decipitur*; quanvis hoc de credulitate humana intelligatur; non vero de Fide Divina, sit.

3 Conclusio 1. *Objectum fidei est evidenter credibile.* Ita omnes Theologi, immo & Catholici omnes. Probatur 1. ex Psal. 92. v. 5. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Et Joan. 15. v. 24. *Si operam non fecisset in eis, quæ nemo aliis fecit, peccatum non haberent;* nunc autem excusationem non habent de peccato suo: g. Christus D. reos declarat Judæos, quod signa evidentia habuerint, & tamen non crediderint. Unde, in primis temporibus prædicationem suam Apostoli confirmaront signis, & miraculis, ut patet Marc. ult. Et Matth. 5. v. 14. Vera Ecclesia comparatur Civitati supra montem possitæ. Prubatur 2. ratione manifesta; si circa objectum fidei tantum esset probabilitas, & rationes credendi tantum probabiles, non posset homo immobiliter, firmissime, & super omnia, objectum fidei credere. Imò sine peccato dissentire posset, cum haberet in oppositum prudentes rationes. *Hinc*, ait D. Thom. 2.2. q. 1. art. 4. ad 2. non crederet quis, nisi videret, ea esse creden-

denda, vel propter evidentiam signorum; vel propter aliquid hujusmodi. Ubi S. Doctor ad Fidei assensum requiri videre, (hoc est evidenter cognoscere) credibilitatem credendorum.

4 Dices: Si datur evidētia objecti, jam non erit fides, sed scientia: g. &c. Deinde, si objectum fidei est evidenter credibile, nemo sanè mentis possit illud respuere: sed respuere, valtim ex parte infelicissimi Hæretici: g. &c. Responsetur ad 1. disting. antec. Si datur evidētia objecti, & veritatis, admittit; si tantum datur evidētia de credibilitate veritatis, nego. Dixi admittit; quia ut Tract. de Beatitud. diximus, præter fidem obsequiosam, datur etiam fides clara; tūm, quia cum evidētia revelationis potest homo assentire revelatis propter testimonium Dei dicentis, ut ait noster Mastr. in 3. disp. 6. q. 3. Tūm etiam, quia de eodem objecto potest dari sciencia, & fides, ex diversis tamen medijs; nam quod Deus est, immò & quod sit unus pertinet ad scientiam, & est per se notum, ut tomo 1. diximus; & etiam pertinet ad fidem ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est. Deuteron. 6. v. 4: Audi Israël, Dominus Deus noster unus est. Et in Symb. Nicæno: Credo in unum Deum. Addimus, quod

firmius, & certius assentimur rei revelatae per fidem, quam per naturalem scientiam. Ita Subr. noster Doct. & communiter Scotistæ, & alij apud nostrum Mastr. in 3. disp. 6. q. 4. art. 4. n. 144. & 147. Unde S. August. 7. Confess. cap. 10. ait: „Et audivi, „&c. & non erat prorsus, unde „dubitarem, faciliusque dubi- „tarem vivere me, quam esse „veritatem, quæ scilicet audi- „verat circa fidem.

5 Ad secundum respondeatur, quod licet motiva sint evidētia; attamen, cum res ipsa non appareat, potest suspendi intellectus. Vel alij ob ignorantiam talia motiva non expendunt; simplicibus autem sufficit, quod videant, & audiant Parrochos, Parentes, hominesque doctos, & pios id dicere, asserendo miraculis esse confirmatum, &c. quibus Deus addit gratias Spiritus sancti. Non tamen video quomodo Ministri, Prædicatores, Magistri, & Peritores possint excusari à culpa ignorantiae, si non habent talem evidētiam credibilitatis, ut intellectus judicet, oppositum esse hic, & nunc prudenter incredibile; ac proinde nostram Catholicam Fidem præ alijs esse amplectendam: nam si non investigant, & expendunt veriora signa, urgentioraque, & solidiora motiva in sua Catholicæ Religionē, quam profitentur,

doçent , & prædicant , quām in alijs sectis , tām antiquis , quām modernis , quas ipsimet rejiciunt , vituperant , & damnant : quomodo judicabunt præfatas secundas esse incredibiles ? Et quomodo id persuadebunt ? Quomodo hæretico invadenti respondebunt ? Sciant ergo , qui scire debent . Infelices tandem hæretici ex depravatione sui affectus resistunt evidētia credibilitatis , & ob superbiam Luciferinam ita obsecantur , ut videntes , non videant .

6 Conclusio 2. „ Motiva
„ credibilitatis , quibus objec-
„ tum fidei redditur evidenter
„ credibile sunt multa , & talia ,
„ ut omni homini , passione non
„ prævento , non possit non ap-
„ parere verum objectum nostræ
„ fidei . Hæc conclusio est etiam
„ omnium Theologorum , qui fu-
„ se agunt de istis signis , seu mo-
„ tivis ; quædam enim movent
„ Judæos , ut Christiani fiant ;
„ alia persuadent hæreticis , ut ad
„ Fidem Catholicam reddant : Et
„ omnia movent Catholicos , ut
„ in sua vera Fide permaneant .
Aliqua breviter pro nunc recen-
„ senda sunt . Primum motivum
„ est , Prophetarum vaticinia . Se-
„ cundum , Miracula . 3. Populo-
„ rum consensus . 4. Evangelij pro-
„ pagatio . 5. Constantia Marty-
„ rum . 6. Doctrinae Christianæ
„ Catholicæ Sanctitas .

7 Quantum ad i. certum
est , prædictionem futurorum
non posse esse , nisi à Deo , juxta
illud : *Annuntiate quæ ventura
sunt in futurum . & sciemus
quod Dii estis vos.* Isai.41.v.23.
Atqui , quæ Prophetæ longè ante
prænuntiarunt , v.g. de Christi
Nativitate ex Virgine , Passio-
ne , Morte , Resurrectione , Af-
fensione , &c. adamussim com-
pleta esse cernimus : g. fides nos-
tra à Deo est ; ac per consequens
vera , & infallibilis . Multa ad-
huc prænuntiata remanent , quæ
nondum advenerunt , ut quod
Christus judicaturus est vivos ,
& mortuos ; quod homines re-
surgere habent in corporibus
suis ; quod vita futura erit æter-
na , &c. Hæc non videmus , sed
esperamus .

8 Respondent Ethnici , &
Gentiles , libros Prophetarum
confectos esse à Christianis post
rerum eventu . Sed contra ; quia
noſtri inimici , ut sunt Judæi ,
nobis dederunt præfatos libros ;
ipſi nobis porrexit Codices
Iaia , Aggæi , Psalmorum , &
aliorum Prophetarum , quod
longè ante adventum Christi le-
gebant in Synagogis suis : At-
qui libri isti futura prænuntia-
bant ea omnia , quæ de Christo
dicimus , & adimpleta nunc cer-
nimus : ergo ridiculum est dice-
re , Christianos conscripsisse ut
futura ea , quæ viderunt fieri ,
quia

quia libri citati non sunt Christianorum, sed Judæorum Christi inimicorum, qui eosdem libros adhuc conservant, & legunt, quanvis non intelligunt.

9 Secundum motivum sunt *miracula*; quia cum superent vires naturæ, sola virtute divina fieri possunt. Miracula à S. Chrysostomo homil. 14. in Matth. dicuntur pignora omnipotenciarum divinarum: ab alijs vocantur signa divinitatis; Matthæi enim 11. Volens Christus probare se esse Messiam, & suam doctrinam esse sanctam, suamque fidem infallibilem, multa miracula edidit coram discipulis Joannis, & dixit illis: „Euntes renuntiate Joanni, „quæ audistis, & vidistis: cœ- „ci vident, claudi ambulant; „surdi audiunt, &c. Hanc etiam potestatem Christus promisit iis solis, qui fidem ejus essent accepturi, seu in eum essent credituri: Joan. 14. „Signa autem eos, qui credide- „rint, hæc sequentur: in no- „mine meo dæmonia ejicient, „&c. Atqui Deus, qui nec fallere, nec falli potest, miracula non facit in confirmationem fidei: g. fides Christi, & nostra verissima, & infallibilis est. Atqui hæc fides sola est Catholica Romana: g. evidens est, eam solam esse veram, & à Deo.

10 Dices, quod prædicta miracula poterunt esse fictitia in narratione. Sed contra est: quia sunt conscripta à personis fidei dignis, à Discipulis Iesu-Christi, & alijs viris Sanctis, qui eorum oculati testes fuerant; nec ullum habebant motivum fallendi hominem: Unde prodigia ab illis relata negare, est prodigium omnium maximum in medium adferre; illud nempé, quod innumeri homines terreni, carnales suis addicti superstitionibus, nullis visis signis, aut prodigijs, amplexati sunt fidem, & religionem carni, sanguini, & cupiditatibus omnino adversantem; ubi prædicatur Deus crucifixus; ubi præcipitur peccatorum confessio, amor inimicorum, divitiarum contemptus, corporis mortificatio, &c. Unde August. contra infideles negantes miracula inquit: „Hoc unum nobis grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine ullis miraculis creditit: lib. 22. de Civit. Dei, cap. 5. Et cap. 8. ait: „Quisquis adhuc prodigia, ut credit, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credet, non credit.

11 Inquires: „An hæc posttestas miraculorum adhuc permaneat inter fideles Catholicos Romanos? Responde-

det. affirmativè: manet ergo in sola Ecclesia Catholica Romana, & perseverabit usque ad finem mundi donum miraculorum: & quanvis non sint ita frequentia in nostro tempore, sicut in principio, ut potè non ita necessaria, propagata jam, & confirmata Religione Catholica Romana; Deus tamen omnipotens miracula per servos suos patrare non cessat, ubi necesse est ad confirmandam fidem, ad sopitam fidelium devotionem excitandam; ad magnificentia gloriae suæ ostensionem; ad hæreticorum pervicaciam confundendam; & multis alijs de causis.

12 Tertium motivum sumitur ex populorum consensu: nam tot populi, tot civitates, immò penè omnes gentes, & innumerabiles viri, quorum alij summa autoritate, summo ingenio, & doctrina, alijque summa virtute prædicti, libenter, & libentissimè receperunt hanc fidem, & Religionem, quæ tam multa proponit credenda, sensibus repugnativa, & omnem intelligentiam superantia; quæ præcepta tradidit ardua, duraque, naturalem hominum inclinationem invertentia, & alia, ut supra retulimus: hoc, inquam, est evidensimum motivum credibilitatis nostræ fidei: „tenet me in

„Ecclesia (inquit D. Aug.) con-
„sensus populorum, atque
„gentium; tenet authoritas
„miraculorum, &c. Si ergo
Augustinus, quem pauci Pa-
tres præcesserunt, hoc motivo
fuit motus; nos ipsi, qui &
Augustinum, & prædecessores
Augustini, & quotquot ipsi
secuti sunt, habemus, nonne
ex tanta virorū scientia, &
virtute illustrium authoritate
evidenter convincimur de ve-
ritate, & credibilitate nostræ
Religionis, & Fidei, quam ip-
si receperunt, & veluti per ma-
nus nobis tradiderunt?

13 Quartum motivum est propagatio stupenda nostræ fidei. Quid enim mirabilius, quam quod Piscatores illitterati, pauperes, abjecti, omni humano subsidio destituti, sine armis, nulli vim inferendo, non divitias, honores, & voluptates proponendo; sed cruces, persecutions, tribulationes annuntiando, cum obligatione illas æquo, hilarique animo ferendi, & tolerandi; sola bona invisibilia pro altera vita promittendo; quid, inquam, mirabilius, quam quod viri illi ignobiles potuerint homines carnales, non simplices, & plebejos solum, sed etiam sapientissimos Philosophos, Politicos, potentissimos Reges, Imperatores, immò fere totum mun-

mundum ad hanc Sanctissimam Religionem, & fidem amplectendam, adducere? Hæc utique omnia erant prorsus impersuasibilia, nisi Deus fabere voluisse suæ prædicationi, & doctrinæ: g. evidentissimum signum, & motivum est hoc nostræ fidei, & Religionis.

14 Non ignoramus Calvinistas, Lutheranos, Mahometanos, & alios Sectarios adducere pro miraculo suorum harassiarcarum prædictionem, quam ipsi fecerunt de multis sequacibus suarum Sectarum. Verumtamen nos pro miraculo tenemus, quod totus orbis non adhæserit illis; nam omnibus concederunt omnia, quæ sensus, & caro appetit: dederunt principibus Ecclesiastica dona: Ecclesiasticis uxores: Civibus sustulit penitentiæ, & restitutioonis jugum: rusticis laborici sui, & Incipi obsecula, nempè dies festos: & omnibus insuper Cœlum lucrandum levi, vel nullo labore, nimirum, sola fide. E contra autem militat nostra vera fides, & religio, ut supra diximus: nam ipsa docet Matth. 11. v. 12. quod Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

15 Quintum motivum est constantia Martyrum, quos nec tormentorum vis, nec exquisita crudelitatis supplicia, nec

mortes acervissimæ, nec munerum, & dignitatum oblatio, nec cuiusvis genere tentatio, nec tota dæmonum machina potuit evertere: immò quo magis sæviebat persecutio, eo magis crescebat fidelium numerus. Sanguis Martyrum semen est Christianorum, inquit Tertullianus in Apolog. cap. 1. inter quos tenerimæ atatis juvencula Tortorum, & Tyrannorum derisserunt fœracitatem, & quam fortiter, & allacriter! Quod sane impossibile esset, nisi Deus ipsarum debilitatem corroborasset potentissimis gratiæ auxilijs; & hoc ut confirmaret religionis, & fidei veritas: erg. hoc etiam est evidentissimum motivum, & signum credibilitatis nostræ fidei.

16 Sextum est nostræ fidei, & Religionis Catholicæ Sanctitas. In ea enim docetur charitas Dei, & proximi; concupiscentiæ, omniumque passionum refrænatio; vita innocencia, pudicitia non corporis tantum, sed & animi; mundi, siue ipius contemptus; inimicorum amor, beneficentia, misericordia, humilitas, mansuetudo, in adversis patientia: uno verbo, vitiorum detestatio, & omnium virtutum exercitatio: nam etiamsi in illa existant plerique, & semper extiterint pravis, & corruptis moribus, ut fuerint.

suerunt Lutherus, & Calvinus,
 & cœteri desertores, attamen
 ex Psalm. 11. „ Eloquia Do-
 „ mini, eloquia casta. Ex Psal.
 18. „ Lex Domini immacula-
 „ ta convertens animas. Et de-
 nique pœnas acervissimas pro-
 ponit vitio, & mercedem exi-
 miam virtuti. Unde cum Pico
 Mirand. concludimus: Magna
 insannia est, „ Evangelio non
 „ credere, cuius veritatem san-
 „ guis Martyrum clamat, Aposto-
 „ lice resonant voces, prodi-
 „ gia stupenda probant, ratio
 „ confirmat, doctrinæ puritas
 „ docet, elementa loquuntur,
 „ demones confitentur, &c.
 Et cum Richardo à S. Vict. de
 Sanctissima Trinitat. cap. 2.
 „ Domine, (inquit) si error
 „ est, quem credimus, à te de-
 „ cepti sumus: ista enim in
 „ nobis ijs signis, & prodigijs
 „ ita confirmata sunt, quem
 „ non nisi à te fieri potue-
 „ runt.

17 Exeant nunc infelicissimi
 Hæretici, & assignent in
 qua ipsorum Secta inveniuntur
 prædicta signa, seu motiva cre-
 dibilitatis? Certè non inven-
 iunt aliquam: nam predicta
 motiva sunt à Deo mundo ex-
 hibita, ut evidenter cognos-
 cant homines veram fidem, ve-
 ramque Religionem, in qua so-
 la vult salvos fieri omnes, &
 ad agnitionem veritatis venire.

Nunc sic: illa fides, illaque re-
 ligio est vera, infallibilis, &
 sola à Deo, in qua reperiun-
 tur talia signa, quæ demons-
 trant evidenter illam non posse
 esse nisi à Deo: atqui sola fi-
 des Catholica, & Religio Ro-
 mana habet prædicta signa, ut
 est ostensum: erg. illa sola est
 à Deo, & in qua sola salvantur,
 quicumque salvantur. Red-
 dite ergo prævaricatores ad
 cor. Reddite ad ovile; quia
 unum ovile, unus Pastor, unus
 Deus, unum Baptisma, una fi-
 des, & hæc est nostra Catho-
 lica Romana: nam vestra om-
 nes Sectæ & carent præfatis
 signis, seu motivis; & vanita-
 tibus, carni, & libertati in-
 dulgent. Sed de hoc iterum,
 atque iterum postea fusius re-
 dabit sermo.

QUÆST. III.

*AN SIT, QUALITER, ET
 quibus necessaria fides ad salu-
 tem consequendam?*

I **S**æpe jam diximus, du-
 pliciter posse esse ali-
 quid necessarium ad salutem,
 & justificationem. 1. *Necessita-*
te medijs; & est illud, sine quo,
 etiam inculpabiliter ignorato,
 salus, seu salvatio obtineri
 nequit. 2. *Necessitate precepti;*
 sine quo, inculpabiliter omis-
 so,

so , salus , seu salvatio potest obtineri. Advertendum est etiam , quod fides dividitur in *explicitam*, & *implicitam*. *Explicita* est , qua assentimur alii cui articulo determinato , seu distincto , claro , & explicito , ut v. g. quod Christus sit in Eucharistia , quod conceptus fuit de Spiritu-Sancto , natus ex Maria Virgine , &c. *Implicita* est , qua assentimur omnibus articulis , seu omnibus rebus à Deo revelatis , & per Ecclesiam propositis , nulla facta ad specialem rem , seu articulum reflexione.

2 Scendum insuper est quod fides potest respicere Deum sub triplici respectu: Primo , tanquam objectum materiale. 2. Tanquam objectum formale. 3. Tanquam finem ultimum. Hinc ex D. Aug. Ser. 181. de tempore , inquiunt Theologi , aliud esse , *credere Deum* , *credere Deo* , & *credere in Deum*. Credere Deum , est credere ipsum , ut rem revelatam ; credere Deo , est credere ipsi , ut relevanti , & veritatis , quas revelavit : & credere in Deum , est Deum credendo diligere. Unde duo isti versus formati sunt:

Crede Deo , credasque Deum ,
plus credo valere ,
Si credas in eum , quam quod
ei , vel eum.

Ulterius distinguunt Theologi triplicem statum , in quo homines vixerunt , scilicet , statum naturæ , qui duravit ab Adamo usque ad Moysen ; statum legis scriptæ , qui à Moyse usque ad Christum protendit ; & tandem statum legis Evangelicæ , in quo feliciter modo versamur. In omnibus his sensibus exagitatur quæstio à Theologis , & presertim à Subtilissimo nost. Doct. in 3.d.
24 q. 1.

3 Supponendum est etiam , quod omnia , quæ credi debent , habentur substantialiter in tribus Symbolis , scilicet , Apostolorum , Nicæno , & Constantinopolitano. Neque successu temporis creverunt quoad substantiam , licet creverint quoad explicationem , & professionem. Ita communiter Theologi. Quia in ijs summarum includitur 1. Arcanum divinitatis sub quo comprehenditur Dei unitas , Personarum Trinitas , creatio , sanctificatio , resurrectio , beatitudo. 2. Etiam mysterium humanae , v.g. Christi conceptio , Nativitas , Passio , &c. Quando

ergo Ecclesia , vel definit , vel proponit aliquod dogma fidei , non condit articulum novum , sed veritates jam divinitus revelatas , quæ non ita perfectè cognitæ fidelibus erant , vel quæ hæresibus obscuratae videbantur , suæ luci reddit , ac fidelibus proponit credendas. Immò certum est , articulos fidei etiam ab origine mundi non creuisse successu temporis quoad substantiam , sed bené quoad explicationem , & professionem : Ita communiter Theologi. Ratio est , quia fuerunt duo articuli primarij , qui semper fuerunt ad salutem necessarij ; hoc indicat Apostol. Hebr. 11. v.6. „ Credere enim „ oportet accedentem ad Deum , „ quia est , & inquit entibus se , „ remunerator sit. Unde , qui credit , Deum esse , credit implicitè ea omnia , quæ in Deo externaliter existunt. Similiter , qui explicitè credit , Deum habere providentiam circa homines , implicitè credit modos particulares , quibus Deus ex suo beneplacito constituit hominem ad finem suum , sive salutem perducere , quanvis non omnia explicitè cognoscantur , aut per discursum deducantur , donec Deo placeat ea reuelare .

4 Supponendum est etiam , Articulum fidei vocari non

quamlibet propositionem credendam , sed 1. eam , quæ primario pertinet per se ad fidem , hoc est , vel ad beatitudinem , vel ad ejus assecutionem. 2. Quæ habent distinctam aliquam specialem difficultatem ad credendam , v.g. Christus est passus , habet difficultatem distinctam ab illo , resurrexit à mortuis , idèo est distinctus articulus : quod autem sit mortuus , & sepultus , non habet nisi unam communem difficultatem. Symbolum enim est vox græca plura significans ; sed prout nobis attinet sumitur pro regula fidei , sive pro summa capitum fidei , quæ omnibus credenda propnuntur. Etiam *Symbolum* significat collectionem ; in quantum componitur ex sententijs inter Apostolos collatis , & examinatis , antequam ad predicationem Evangelij progrederentur ; composuerunt enim quandam formulam Catholicæ fidei , ut idem omnes sentirent , & proponerent omnibus , quos ad unitatem fidei vocaturi erant ; cuius Symboli partes vocantur Articuli , quia sunt veluti artus , & membra quibus Symbolum constat. Singuli enim Apostoli singulos articulos protulerunt Spiritus Sancti influxu , ut patet ex Mystica Civit. Dei , cui favere vi-

de..

detur S. Leo, epist. 13. ad Pulcher. dicens : „ Ipsa catholici „ symboli brevis , & perfecta „ confessio , quæ duodecim „ Apostolorum totidem est signata , nata secentijs. Favet etiam D. Aug. serm. 115. ubi nominatim cuilibet Apostolorum unum articulum assignat. Et S. Bonaventur. in 3. d. 25. art. 1. q. 2. immo , & nostri. Subtilissim. Doct. in 3. d. 25. q. 1. ubi, Theulo referente in suo lib. *Scotus Moralis* , singulos articulos singulis Apostolis distribuit.

5. Diximus, quod *substantialiter* , seu *implicite* omnia quæ credi debent , continentur in Symbolis Ecclesiæ ; nam explicitè non sit mentio de Sacramentis , de Eucharistia , de Invocatione Sanctorum , de Purgatorio , de Summo Pontifice , de ejus primatu , &c. quia si de omnibus ijs , & similibus fieret mentio explicita , non esset propriæ symbolum , seu compendium fidei , nec infirmorum , seu rudiorum juvaret memoriam : „ ideò breviter confecimus , tum est symbolum , (inquit S. Aug. ser. de Temp. 119.) ut mentem instruat , nec one-ret memoriam. Omnia quæ citata sunt , reducuntur ad articulum , quo credimus *Sanctam Ecclesiam* ; credendo enim *Sanctæ Ecclesiae* , credere debe-

mus Indulgentias , Purgatorium , præsentiam Christi realem in Sacramento altaris , Sanc-tos esse colendos , & invocandos , Papam Vicarium esse Christi , supremumque in Ecclesia habere regimen , Missam esse verum Sacrificium , &c. Et multa alia , quæ Ecclesia , tanquam Orthodoxa , determinavit contra hæreses , quæ exortæ sunt , ne fideles ab hereticis facile decipiantur. Oportet hæreses esse , ut qui probati sunt , manifesti fiant per professionem symboli fidei , & determinationis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Credatur symbolum Apostolorum , (inquit S. Ambros. Epist. 7. ad Syric.) quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit , & servat. His ergo præsuppositis , sit :

6. Conclusio 1. „ Pro omnibus tempore , & statu omni homini ad justificationem , & salutem necessaria fuit aliqua fides supernaturalis necessitate medijs , parvulis in habitu ; adultis vero , in habitu , & in actu. Hæc conclusio est communis Theologorum ; & probatur ex D. Paulo ad Galat. 5. ubi ex professo probat , ad justificationem non sufficere Circumcisitionem , aut præputium , idest , opera ex legge , aut natura facta ; sed requiri fidem supernaturalem ; ait

enim, v. 6. „ In Christo Jesu „ neque Circuncisio aliquid „ valet, neque præputium, sed „ fides, quæ per charitatem „ operatur. Et ad Hebr. 11. v. 6. „ Sine fide impossibile est „ placere Deo. Et Marc. ultimo: „ Qui vero non crediderit, „ condemnabitur. Hoc idem docet Concilium Trident. sess. 6. c. 6.7. & 8. ubi omnino tradidit, fidem esse fundamentum, & innitum salutis humanæ, & radix omnis justificationis, & sine illa impossibile esse placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire. Videatur nost. Subt. Doct. in 3. d. 25. q. 1.

7 Dices: Baptismus, & penitentia sunt necessaria necessitate medij: atqui non requiritur, ut re ipsa suscipiantur, sed sufficit quod suscipiatur in voto, si re ipsa haberi nequeunt: g. similiter sufficere potest fides in voto; videtur enim par ratio, alioquin, qui haberet ignorantiam invincibilem fidei, non haberet medium salutis. Respond. neg. conseq. Disparitas est; quia Scriptura promittit salutem alicui actui, scilicet, perfectæ contritioni, & dilectioni Dei super omnia, quæ includit votum baptismi, & penitentiae; seu est Baptismus flaminis in re, & fluminis in voto; non autem promitt-

tit salutem ulli actui, qui sit votum fidei: unde baptismus sufficit in voto, non vero fides. Gamachæus super illud Marcii ult: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur;* notat, quod in hac ultima particula non iteratur, *qui non crediderit, & non baptizatus fuerit;* sed solum, *qui non crediderit condemnabitur,* ut denotetur, adultos posse salvari sine baptismō fluminis in re, modo sit in voto; nullum vero salvari posse, sine fide in re.

8 Conclusio 2. „ In omni statu fuit ad vitam necessaria, adultis necessitate medij fieri, des explicita Dei creatoris, justificatoris, & remuneratoris. Est communis, & pater ex D. Paulo ad Heb. 11. v. 6. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquitibus se, remunerator sit. Unde infertur, quod etiam semper fuit necessarium credere: 1. Deum esse ens summum, Creatorem omnium, &c. 2. Ipsi virtutes placere, & vitia displaceare. 3. Animam esse immortalē. 4. Deum placari per penitentiam, & dari justificationem. Sententia autem, quæ docuit explicitam fidem Dei, ut remuneratoris, non esse necessariam necessitate medij, est

22. ex damnatis ab Innocent.
XI. Ratio conclusionis est; quia si aliqua fides explicita fuit necessaria, ut fuit, maximè ista, sine qua alia credi nequeunt. Quando diximus, necessarium fuisse credere, *Deum existere*, intelligitur, ut per se patet, de cognitione, quæ nitoritur revelationi divinæ; alias non esset fides, nec supernaturalis, nec meritoria salutis. Cum diximus, esse necessarium credere, quod est *Remunerator*, intelligitur non tantum in bonis naturalibus, & temporalibus; sed etiam supernaturalibus, & æternis; ita quod decernit præmia bonis, & supplicia improbis, non solum in hac vita, sed in alia. Qualis autem fuerit illa retributio in alia vita, declaravit Christus D. Matth. 26. *Ibunt hi (reprobi) in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

9 Conclus. 3. „Ante ad-
„ventum Christi, & post lap-
„sum Adæ fuit necessaria ne-
„cessitate medijs fides explici-
„ta Mediatoris, & Redempto-
„ris; seu quod Deus mitteret
„aliquem, qui redimeret ge-
„nus humanum à peccatis, &
„quo mediante, possent ho-
„mines acquirere beatitudi-
„nem. Hæc fides vocatur im-
„plicita fides Christi Domini.
Hæc conclusio est etiam com-
munis, & nostr. Subt. Doct. in

3. d. 25. q. 1. num. 1. ubi ait:
„Sicut fides de creatore sem-
„per fuit necessaria ad salu-
„tem; ita fides Redemptoris
„semper fuit necessaria ad sa-
„lutem post lapsum humani
„generis. Probatur ex Trident.
sess. 6. can. 1. ubi decernitur,
quod nullus unquam fuit justi-
ficatus nisi per Christum. Hæc
autem gratia non potest deri-
bari, nisi per fidem explicitam
mediatoris, seu redemptoris, &
implicitam Christi D. Unde
Act. 4. v. 12: „Nec enim
„aliud nomen est sub Cœlo da-
„, tum hominibus, in quo oport-
„eat nos salvos fieri. Et ad
Galat. 3: „Scriptura conclusit
„omnia sub peccato, ut pro-
„missio ex fide Jesu Christi da-
„, retur credentibus: per pro-
missionem intelligitur Beatitu-
do. D. Augustinus multis in lo-
cis docet, Justos veteris Testa-
menti non fuisse liberatos, nisi
per eandem fidem Mediatoris,
per quam, & nos liberamur, ut
videre est lib. 1. contra duas
Epist. Pelagianorum, cap. 7. Ra-
tio est; quia Deus non vult sal-
vare homines adultos sine illo-
rum labore: vult ergo, ut me-
diatorem, & Medicum deside-
rent; at non possent illum de-
siderare, nisi ipsum cognosce-
rent futurum.

10 Dices: Ergo ab initio
mundi debuit revelari homini-
bus

bus Mediator futurus. Respond. concedendo conseq. Instabis: atqui futuritio Messiae primo revelata fuit Abrahæ, Genes. 22. *In semine tuo benedicentur omnes gentes*: g. Mediator, & Redemptor non fuit revelatus omnibus hominibus. Respond. neg. min. subsumpt. Nam Abrahæ revelatum fuit, quod mediator futurus erat ex semine ejus; revelatio verò mediatoris venturi fuit primo facta Adæ, à quo fides illius transmissa est ad posteros; quorum aliqui semper in omni statu, & in omni gente conservabant fidem ipsius; alij verò illam neglexerunt, & tradiderunt oblivioni; ita quod se se privaverunt medio proximè necessariò ad salutem; licet habuerint semper media remota, nempe gratiam Dei, qua potuissent servare legem, & inde venire ad aliquam notitiam Messiae, quod diximus de medijs sufficientibus ad salutem; & de voluntate, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

11 Concl. 4. Post sufficien-
tem promulgationem S. Evan-
gelij est necessaria necessitate
medij fides explicita Mysterio-
rum Sanctissimæ Trinitatis, &
Incarnationis Filij Dei. Hæc
conclusio est etiam communior
inter Theologos. D. Thom. 2.

z. q. 2. art. 8. S. Bonav. in 3.
dist. 25. art. 1. q. 3. Et Subtil.
nost. Doct. ibidem, quæst. 1.
litt. F. Contraria tamen senten-
tia est aliquorum RR. quam
noster Mastr. vocat valde piam,
& probabilem; in 3. disp. 6.
q. 16. art. 1. Probatur tamen
communior sententia: Tum,
quia est tutior: g. in praxi om-
nino est suadenda. Tum etiam,
quia conformior Sacra Scriptu-
ræ, & Sanctis PP. Nam horum
mysteriorum necessitatem non
minus proponit, quam de Deo
remuneratore, & Judice. Ad
Galat. 2. v. 16. dicitur: „ Scien-
„ tes autem, quod non justifi-
„ catur homo ex operibus le-
„ gis, nisi per fidem Jesu-
„ Christi; id est, de Jesu-Chris-
to. Joannis 17. v. 3. „ Hæc est
„ autem vita æterna, ut cog-
„ noscant te solum verum
„ Deum, & quem misisti Je-
„ sus-Christum. Insuper: per-
fectior fides, & cognitio Trini-
tatis, & Incarnationis requiri-
tur post adventum Christi, &
post Sancti Evangelij promul-
gationem, quam ante: sed an-
te erat necessaria implicita fi-
des: g. nunc videtur necessaria
explicita.

12 Argumenta in contra-
rium tantum probant, non esse
ex natura rei necessarium ista
credere: sed non probant, quod
ex Dei decreto, & ordinatione
non

non sit necesse. Advertendum tamen est , quod rudiores non sic tenentur hæc solemnia mysteria explicitè cognoscere ; sed sufficit , quod credant illa quoad substantiam , nimurum , esse unum Deum , & tres Personas , quarum una est Pater , altera Filius , tertia Spiritus sanctus , et si nesciant distinctè , quid sit natura , & quid Persona , ut ait Subt. Doct. in 3. cit. & quid sit una Essentia in tribus Personis . Sic etiam sufficit , quod credant , Filium Dei esse incarnatum , pro nobis passum , ac mortuum ; venisse , ut nos redimiret ab æterna damnatione , & ut vitam æternam consequeremur ; et si non noverint , quod sint duæ naturæ in una Persona . Ita S. Bonavent. cit. q. 3. Beccan. cap. 12. q. 3. Unde rectè S. Augustinus contra Epistolam Fundamenti , cap. 4: *Turbam tuam facit simplicitas credendi , non vivaxitas intelligendi.* Quæ pro praxi notanda sunt , & pro absolutione impertienda , cuius incapaces sunt ignorantes saltem culpabiliter ista mysteria ; nam Sententia contraria , scilicet , quod ignorantes sint capaces absolutionis , est 64. ex damnatis ab Innocent. XI.

13 Dixit noster Mastr. & bené , quod contraria sententia (scilicet , quod non sit necessaria fides explicita talium myste-

riorum) est valdè pia , & valdè probabilis ; nam illam tenent Vega , Medina , Suarez , Choninch. Lug. Arriag. Turrian. Ponc. & Aretin. Layman , &c. Loca autem Sacra Scriptura & Sanctorum PP. explicant de necessitate precepti. Sic etiam dici potest , quod Innocent. XI. tantum damnaverit sententiam , quæ doceret , illa mysteria nec esse de necessitate præcepti .

14 Et potest confirmari hæc pia sententia ; quia muti , & Surdi baptizati numerantur inter fideles , illisque , suppositis certis signis , administratur Sacramentum Pœnitentia , immo , & Eucharistia , juxta multos DD. Quis autem crederet , istos mutos à nativitate talia arcana , & mysteria explicitè scire , & credere ? Ergo ista cognitio , & fides explicita non est necessaria necessitate medijs , nisi velimus , quod præfati sint à Deo exceptio regulæ . Ex qua sententia patet , quod sine fide implicita Christi D. nullus adultus potest salvari : potest tamen salvari cum sola implicita ob ignorantiam invincibilem , quam verisimile est habuisse Indos , & habere , qui quotidiè à nostris Fratribus cum magno labore reperiuntur : & sic salvati se potuerunt , si contra legem naturæ non peccaverunt , quod ordinariè faciunt , vel propter idolatriam , vel prop-

propter alia peccata , quibus
ovicem ponunt , né ulteriora
media ad salutem acquirant , ut
jam Tract. de Grat. & alibi di-
ximus.

15 Conclus. 5. „ Omnes
„ fideles adulti necessariò ne-
„ cessitate præcepti scire de-
„ bent, & credere, saltem quoad
„ substantiam Symbolum Aposto-
„ torum , orationem Domini
„ nicam, præcepta Decalogi , &
„ Sanctæ Matris Ecclesie Sacra-
„ menta , saltim Baptismi , Eu-
„ charistia , & Pœnitentia , &
„ quidem explicitè . Implicitè
„ verò quidquid Deus nobis
„ revelavit , & per Ecclesiam
„ credenda proposuit. Debent
„ ulterius ita esse animo parati,
„ ut velint credere quovis Ar-
„ ticulos ab Ecclesia proposi-
„ tos , & proponendos , abi , &
„ quando ad eorum cognitio-
„ nem pervenerint. Et est re-
„ gula universalis , quod quæ
„ sunt necessaria necessitate me-
„ dij , sunt etiam necessaria ne-
„ cessitate præcepti ; quia qui-
„ libet tenetur assumere me-
„ dium sibi ad salutem necessa-
„ riū , ex præcepto naturali ,
„ & ex præcepto divino , Marc.
„ ult. Qui non crediderit , con-
„ demnabitur ; & ex præcepto Ec-
„ clesiastico , ut ex Cathecismo
Romano colligitur , & ex mul-
tis decretis , quæ commemorat
Gratianus de Consecrat.

16 Advertendum tamen
est , quod non est necessé , ut
simplices , & idiotaæ ita perspi-
cüe concipient , & veluti pene-
trent omnia prædicta , ut illa
declarare possint ita exactè si-
cūt Doctri; sed sufficit quod ali-
qualiter illa intelligant , non
modo verba , sed sensum ver-
borum intelligendo. Quantum
ad Parrochos , Prædicatores , &
Confessarioes , specialem habent
obligationem cognoscendi dis-
tinguitius fidei mysteria , quæ so-
lent proponi credenda fideli-
bus , & hoc necessitate etiam
medij , qua tenentur fungi mu-
nere suo : nam officium eorum
est , exponere illa , & explicare ,
ac etiam aliqualiter defendere
contra objectiones communes
hæreticorum ; quod non possent
facile , nisi distinctam cognitio-
nem haberent. Crederem ta-
men , (inquit nost. Boyvin)
issis omnibus satis esse , si ha-
beant talē notitiam mysteriorum ,
ut sciant se nihil propo-
nere , quod sit contra fidem ; &
habeant sufficiens aliquod mo-
tivum , ob quod iudicent , hoc ,
aut hoc esse de fide ; quia ita
audierunt à Magistris suis , vel
ab Authoribus acceperunt : alias
quamplurimi Pastores in malo
statu versarentur.

17 Quantum ad Episco-
pos , majorem adhuc debent
habere notitiam mysteriorum ,
jux-

Juxta Paul. cap. 1. ad Titum:
 „ Oportet Episcopum esse, am-
 „ plectentem eum, qui secun-
 „ dum doctrinam est, fidelem
 „ sermonem, ut potens sit ex-
 „ hortari in doctrina sana, &
 „ eos qui contradicunt, ar-
 „ guere, seu ut in textu græco
 „ habetur, argumentis convin-
 „ cere. Quod est conforme Con-
 cilijs, Toletano II. duobus La-
 teranensisibus sub Alexand. III.
 & Leone X. Trident. sess. 22.
 de Reformat. cap. 2. Unde plerique existimant non sufficere
 illis ut habeant secum litteratos viros, qui illis ostendant
 quid sit dicendum de illis My-
 sterijs.

18 Inquires: „ Quando-
 „ nam quis teneatur actum
 „ fidei, saltem internum, eli-
 „ cere? Respond. 1. ad hoc
 teneri, quoties tenatur elice-
 re actum Charitatis, & Spei:
 quia sine fide illi actus non
 possunt elicisci. Quando autem
 illi producendi sint? dicetur
 suo loco. Respond. 2. ad hoc
 teneri, quoties aliquis tenetur
 ad actum fidei externum, qui
 alias mentiretur, si diceret ex-
 ternè se credere, & internè non
 crederet. Resp. 3. Scot. in 3.
 d. 23. asserere, quemlibet Fi-
 delem ad actum internum Fi-
 dei teneri singulis diebus festi-
 vis, non tantum quatenus te-
 netur in illis diebus elicere ac-

tum charitatis: sed etiam quia
 non est potior ratio, cur te-
 neatur Christianus diligere
 Deum, quam credere in illum.
 Ratio Doctoris est, quia illi
 dies sunt specialiter instituti
 ad cultum Dei, qui principa-
 liter consistit in actibus Fidei,
 Spei, & Charitatis.

19 Præoculis est haben-
 dum, quod circa hoc sunt dam-
 natae propositiones sequentes:
 „ Homo nullo umquam vitæ
 „ sua tempore tenetur elicere
 „ actum fidei, Spei, & Chari-
 „ tatis, ex vi præceptorum
 „ divinorum, ad eas virtutes
 „ pertinentium: 1. damnata
 ab Alex. VII. „ Ab infidelita-
 „ te excusabitur infidelis non
 „ credens ductus opinione mi-
 „ nus probabili: est 4. ex dam-
 natis ab Innoc. XI. „ Fides non
 „ consetur cadere sub præcep-
 „ tum speciale, & secundum
 „ se: 16. ex damnatis ab eo-
 dem Innoc. „ Satis est, actum
 „ fidei semel in vita elicere:
 17. ab eodem damnata. Un-
 dè istæ propositiones jam am-
 plius probabiles dici non de-
 bent. Quare ex communi sen-
 tentia Theologorum, tenentur
 fideles ad credenda, quæ su-
 pra retulimus, per proprium,
 & directum preceptum fidei
 in ingressu usus rationis, dum
 primo mysteria fidei audiunt,
 ejusque necessitatem cognos-

cunt; quia tunc ad alia præcepta etiam obligari incipiunt. Advertunt tamen AA. non esse scrupulosé agendum cum pueris; eo quod ipsi raro advertant ad hanc obligationem. Sic etiam fideles, dum orant, symbolum Apostolorum recitant, dum frequentant Doctrinam Christianam, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, dum se signant Sanctissimo Crucis signo, dum conaciones, & Missas audiunt, dumque festa Domini, & Sanctorum colunt, jam censentur elicere actus fidei necessarios.

20. Est etiam communis sententia, quod præceptum assentiendi præfatis fidei mysterijs, & veritatibus, obligat sub mortali infidelibus, postquam fides ipsis sufficienter proposita, & explicata est: tunc autem censetur ipsis fides sufficienter proposita, quando argumentis, aut miraculis, aut signis ita confirmatur, ut suam ratio, seu intellectus illis dicit, fidem nostram esse veram, & ipsorum Sectam esse falsam. Est etiam communis sententia, nos teneri in vita aliquoties elicere actus fidei, & hoc directe, seu ratione ipsius præcepti fidei; sed tempus non est uniformiter ab AA. præfinitum: nam aliqui dicunt, quod semel in annos, alij singulis die-

bus festivis ut supra; alij quod semel in mense; alij quod in bimestre; & alij dicunt, quod diu intra annum differre, est mortale: nam cum actus interni fidei necessarij sint ad nutriendam, & conservandam vitam spiritualem, juxta illud Pauli ad Rom. 1. *Justus ex fide vivit*: Videtur necessarium, & divino præcepto injunctum, ut frequenter eliciantur. Principalior enim cura fidelium debet esse, ut se exerceant in actibus virtutum Theologicarum; & minus propriè diceretur quis illarum exercitio incumbere, si saltem semel in mense non crederet, non speraret, nec diligeret, ut oportet. Notant etiam communiter AA. quod Infantes, quando instruuntur pro confessione, vel pro prima absolutione, ordinariè excitari debeant ad actum fidei, sicut, & Spei, & Charitatis.

21. Est etiam communis sententia, quod directe obligat præceptum fidei in mortis articulo, seu periculo: nam id est tempus opportunum implendi hoc præceptum, & profitendi se Catholicum; maximè, quia tunc quisque tenet omnem curam adhibere, ut suæ saluti certo consulat; & tenetur tunc Deum colere affensu fidei supernaturalis, que est

virtus Theologica , cuius aliquis actus in adultis est necessarius necessitate medij. Etiamque obligat directe hoc præceptum fidei cùm urget gravis tentatio contra fidem ; actus enim virtutum medicamenta sunt, ut actus vitiorum contrariorum impedianter. Tunc igitur exclamandum est : *Credo Domine , adjuva incredulitatem meam* ; Marc. 9.

22 Indirecte vero, seu per accidens obligat præceptum fidei, 1. Quando eliciendus est actus supernaturalis cuiuscumque virtutis, & præcepti , ut actus timoris , spei , doloris, amoris , & similium. Requiritur enim actus fidei supernaturalis , tanquam regula prævia proponens voluntati objectum, in quo tendere debet. Hujusmodi necessitatem agnovit , & docuit D. Aug. in Enchir. de Fide , Spe , & Charitate , ubi cap. 3. & 6. dixit : *Fide, Spe, & Charitate Deum colendum*. Et cap. 7. inquit : *Fides credit, Spes, & Charitas orant : sed sine fide esse non possunt , ac per hoc & fides orat :: quid autem sperari potest , quod non creditur ?* Et cap. 8. in fine ; *nec amor sine spe , nec sine amore spes , nec utrumque sine fide*.

23 Secundo obligat indirecte , quando urget gravis tentatio ad aliquod peccatum con-

tra alia præcepta , cui sine actu fidei non possumus resistere, juxta illud ad Ephess. 6. „ In- „ dite vos armaturam Dei, „ ut possitis stare adversus insi- „ dias diaboli : in omnibus „ sumentes scutum fidei , in „ quo possitis omnia tela ne- „ quissimi ignea extinguiere. 3. Obligat , quando accipienda sunt Sacra menta : quia credere debemus , quodcumque illo- rum institutum esse a Christo Domino ; dare gratiam sanctifi- cantem omnibus non ponen- tibus ovicem , &c. Unde in re- ceptione respondetur *amen*, id- est , verum est , ita Credo. 4. Cum in die festo tenemur au- dire Missam; cui præcepto non possumus satisfacere , nisi cre- damus , Christum verum Deum esse sub hostia , quam adora- ramus. 5. Quoties tenemur nos disponere ad justificatio- nem consequendam , sive per Baptismum , sive per pœnitentia Sacramentum , sive extra. Videatur Trident. sess. 6. c. 7. de justificatione. Sed ut hoc ple- nius , & radicitus sciatur , & facilius memorie comen- detur ; sit:

*** . *** . *** .
*** . *** . *** .
*** . *** . *** .
*** . *** . *** .
*** . *** . *** .

QUÆST. IV.

**QUOT, ET QUÆ SINT
præcepta Fidei?**

CONCLUSIO nostra.
„Quinque sunt præ-
,, cepta fidei, tria affirmativa,
,, & duo negativa. Hæc con-
clusio est, seu debet esse om-
nium Theologorum. Affirma-
tiva sunt, 1. Scire mysteria fi-
dei : 2. Interius assentiri illis.
3. Exterius confiteri fidem.
Negativa vero sunt, 1. Interius
non dissentire fidei : & 2. Ex-
terius non negare fidem. Quæ
omnia ex terminis patent ; &
quantum ad fidem internam
sufficiunt dicta quest. antec.
nunc verò superest tantum, ut
quasdam dilucidemus difficul-
tates circa externam fidei con-
fessionem.

2 Dicimus ergo 1. quod
externa fidei confessio est ac-
tus fidei, quo quis externa vo-
ce profitetur, quod in anima
sensit. Unde ille actus exter-
nus, qui conjungitur cum af-
sensu interno, procedit ab
habitu fidei, qui inclinat ad ta-
lem actum ; & non tantum ab
habitu veracitatis, quo quis
inclinatur ad loquendum con-
formiter menti suæ : alias qui
negaret fidem, argueretur tan-

tum mendacij, & non infidelia-
tis : g. ille actus, quo quis
fatetur fidem, nedum est actus
veracitatis, sed etiam fidei.
Ita omnes Theologi, & patet
ex Apost. 2. Corinth. 4. v. 13.
*Habentes autem eundem spiri-
tum fidei, sicut scriptum est:
credidi, propter quod locutus
sum, & nos credimus propter
quod & loquimur.*

3 Dicimus 2. quod exter-
na fidei confessio est necessaria
ad salutem. Est de fide, & cons-
tat ex verbis Christi, Matth. 10.
v. 33. *Qui autem me negaver-
it coram hominibus, & ego
negabo eum coram Patre meo.*
Lucæ 9. v. 26. *Qui me erubue-
rit, & sermones meos, hunc
filius hominis erubescet, cum
venerit in maiestate sua.* Ad
Rom. 10. *Si confitearis in ore
tuo Dominum Jesum, & in
corde tuo credideris, salvus
eris. Corde enim creditur ad
iustitiam, ore autem confessio
fit ad salutem.* Super quod ait
Aug. *Fides à nobis exigit offi-
cium cordis, & linguae.* Unde
patet, dati præceptum affirma-
tivum divinum externæ confes-
sionis, obligans omnes, & sin-
gulos, non quidem semper (si-
cū obligat negativum, prohibi-
bens dissensum, aut negatio-
nem fidei) sed in duobus casi-
bus, scilicet, quando exigit 1. *Magnus Dei honor.* 2. *Utilitas*

proximi. Tunc autem id exigit honor Dei, quando ex defectu, aut omissione confessionis, vel Deus magna injuria afficitur, vel magnus honor, qui ad eum pervenire poterat, negligitur. Dicitur *magnus*, quia alias fere semper esset obligatio, cum semper aliquis honor Deo subtrahatur ex omissione confessionis. Tunc verò id exigit utilitas proximi, quando per omissam fidei confessionem aliquis à fide avertitur, vel retardatur, aut alio aliquo commodo spirituali privatur, de quo non potest opportune aliter pro loco, & tempore provideri. Hinc, si hæretici conculcent sacras imagines, alijsque injurijs fidem afficiant, tenetur quis ad confessionem fidei, si per eam prudenter speret fructum.

4. Inquires: *An sit licitum, aliquando negare fidem?* Respondetur negativè, etiam si mors immineat. Est de fide, ut patet ex verbis Christi supra allatis: quia negare fidem idem est, ac affirmare, articulos nostræ fidei esse falsos; & consequenter Deum, qui eos relavit, esse mendacem. Idem probatur exemplo Petri, qui licet metu mortis, & abdubio ore tantum negaverit Christum, graviter tamen peccavit, de quo amare slevit. Patet

etiam exemplo tot SS. Martirum, qui potius tormenta omnia subire elegerunt, ac etiam mortem ipsam, quam fidem Christi adhuc ad momentum negare; quod si quis tormentorum atrocitate vixus, & perterritus fidem negasset, vel dissimulasset, tanquam gravissimi peccati reus ab Ecclesia ejiciebatur, nec in eam recipiebatur, nisi publica penitentia peracta. Constat etiam hæc dogma fidei ex Concilio Romano sub S. Cornelio Papa contra hæresim Elzefaitum, qui dicebant posse negari fidem exterius, instante perfectione; dum modo in animo fides retineretur interius. Deinde, Innocentius XI. damnavit hanc propositionem, quæ est 18. *Si à potestate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo & fidem gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum non damno.*

5. Inquires 2. *Nunquid saltem licebit fugere ex ijs locis, ubi ex odio fidei Christiani multoperè vexantur?* Respond. Quare non? per se loquendo licet. Fugere non est negare fidem: immo ipsa fuga testatur homo se esse Christianum. Christus enim ipse exemplum praebuit, adhuc enim infans fugit in Aegyptum; & grandior factus pariter fugisse legitur: Tu-

lerunt laicid sⁱ fidei, ut jacerent in eum, Jesus autem abscondit se, & exiit de templo, Joann. 8. Hoc & docuit oraculo dicens: Cum persequentur vos in Civitate ista, fugite in aliam, Matth. 18. Et hoc etiam fecerunt quamplurimi Pontifices: immo & Paulus ipse, qui cum ē Civitate exire non valeret, per murum demissus est in sporta, 2. Cor. 12. Dixi per se loquendo; quia si quis, v. g. esset Episcopus, vel Curatus, seu Pastor animarum, & ex fuga sua sequeretur periculum perversiois in proximo, cui ex officio tenetur assistere, posset fuga ejus, per accidens esse illicita. Non pauci sunt Pastores, qui cum viderent ex fuga sua periclitari fidem Gregum suorum, statim redierant ad pugnam, & Martyrium fortiter subjerunt.

6. Inquires 3. An sit licet simulare falsam Religionem? Respond: Non licet Christiano professionem Religionis falsæ serio simulare, potest quidem aliquis in tragedijs, & comedijis representare se tanquam Paganum, Turcam, Lutheranum, &c. in alijs autem circumstantijs à supradictis non posset sine gravi peccato. Ratio est, quia mendacium ex sua natura est illicitum, & ille qui fingit, aut simulat falsam Reli-

gionem mentitur, si non verbo, saltem facto. Habemus exemplum assertionis nostræ in Eleazarō sene, qui nunquam acquiescere voluit consilio illorum, qui ipsi suadebant, ut carnem suillam, in lege prohibitam, fingerer manducare: ipse enim respondit dicens: Præmitti se volle in infernum, non enim etati nostræ dignum est fingere, 2. Machabeor. 6.

7. Inquires 4. An possit aliquis occultare suam fidem, quibusdam signis ab infidelibus usitatis? Respond: Si signa illa sint ex se indifferentia, & non instituta ad profitendam falsam Religionem, qualia sunt illa, quibus una natio ab alia distinguatur, vel unus status ab altero, v. g. miles à mercatore, non est difficultas quin illis uti possit ad fidem occultandam: unde Christianus Catholicus inter infideles peregrinans vulgariter eorum habitu vestiti potest, quavis ab ijs, qui illum non norunt, pro infideli sit habendus, cum ejusmodi vestes non sint signa falsæ sectæ. Si vero signa illa sint ex se, aut ex insituto ad profitendam falsam Religionem ordinata, ita ut non solum veram Religionem occultare, sed falsam quoque profiteri censeretur. Hoc omnino illicitum est inquit noſt. Magis etiamsi hoc facret absque animo

mo negandi fidem. Unde inferatur , cum : nostro Mastr. in Theolog. Morali, disp. 10. q. 1. art. 2. peccare contra præceptum negativum fidei , qui Ido lis sacrificat , vel illis genuflec tit , circumcisionem in se ad mittit more Judæorum , Cœ nam Eucharisticam sumit inter Calvinistas , aliasque cæremo nias facit , seu actiones falsæ Religionis ex sua natura pro testativas , etiamsi facte eas fa ceret ; quia actiones hujusmodi institutæ sunt ad actum Religionis significandum , nec alium habent moralem usum; idcirco intrinseca malæ , & supersticio se : Ergo nemini licita.

8 Inquires 5. *Licet ne Catholico peregrinanti , aut degenti inter hæreticos , vesci carnibus prohibitis , v. g. diebus Veneris , & Sabbati?* Respond. Si de morte , aut carcere , vel bonorum amissione ageretur , nec aliunde à tali casu se defendere valerit , non peccaret con tra confessionem fidei carnibus utens. Ratio est , 1. quia eſus carnium præcisè ex ſe eſt indi ferens , neque eſt institutus ad professionem falsæ Religionis indicandam ; nec abſtinētia ab illis statutis quibusdam diebus fuit ab Ecclesia introducta ad diſcernendos Catholicos ab hæ reticis , alioquin Catholicī nunquam poſſent , etiam titulo in-

ſiſtitatis , illis diebus vesci carnibus ; ſed introducta ſolūt fuit ad macerationem carnis. Si tamen ab hæretico appone rentur carnes ad explorandum , an ſit Catholicus , & exinde ſe queretur notabilis divini ho noris diminutio , vel proximi ſcandalum , non liceret comedere. Exemplum habemus in Eleazar o , qui maluit mori , quam car nem ſuillam comedere. Ratio hujus eſt , quod Judæi volebant per hoc , ut Judaismi fidem ab juraret , quod erat tunc lege di vina prohibitedum.

9 Inquires 6. *Utrum peccet , qui templo infidelium , & hæreticorum ingredieretur , eorumque concionibus intereffet , &c.* Respond. Distinguendum eſt. Qui curiositatis cauſa , vel ad tractanda cum iphis ſæcula ria negotia introiret , aut con cionibus , & eorum cæremonijs intereffet animo conſutandi eorum errores , & abeffet ſcandalum , & ſubversionis periculum , non videtur , quod ea bono fine peragens , vel ſaltem indi ferenti , fine animo deserendi cultum Dei , non videtur , in quam , fore prohibitedum. Si ve rō Princeps iſta præcipereſt in contemptum fidei , vel ad profitendam eorum ſectam , tunc templo eorum ingredi , ac con cionibus , vel cæremonijs inte reſſe non liceret.

10 Inquires 7. *Qua necessitate sit necessaria fidei confessio?* Respond. Communis opinio affirmat esse necessariam tantum necessitate præcepti: Ratio est, quia quæ sunt necessaria necessitate medij, ita sunt necessaria, ut sine ipsis in re habitis non potest salus obtineri; quia non possunt suppleri per votum, sicut nemo potest sine interiori fide in re salvari: sed externa fidei confessio est tantum necessaria in præparatione animi, & in voto, non autem in re ipsa: ergo non est necessaria necessitate medij, sed tantum præcepti. Patet major ex declaratione præmissa necessitatis medij, & præcepti. Minor probatur; quia externa fidei confessio est tantum necessaria ad manifestandam alijs nostram fidem internam: sed posset aliquis per interiores tantum actus coram Deo justificatus statim mori, & sic salvari antequam ullam confessionem externam faceret, supponendo, quod mortuus sit ubi, & quando nullus alter erat præsens, cui interiore suam fidem manifestaret: ergo externa fidei confessio non est necessaria necessitate medij in re, sed tantum in voto, sicut reliqua præcepta. Quod autem hic in tali casu salvaretur, ex eo patet, quia cum supponatur per interiores actus co-

ram Deo justificatus, nullum haberet peccatum: at nullus damnari potest, nisi ob aliquod peccatum: ergo, &c.

11 Dices. Vel homo ad Religionem Christianam accedit parvulus per Baptismum, & confessionem Parentum, & in tali casu tenetur aliquo actu exteriori fidem internam, quam in baptismō accepit, profiteri, & manifestare saltem cum primum rationis usum attigerit: vel accedit adultus ad Religionem Christianam, sine qua nemo salvari potest, & sic tenetur extero signo illam amplecti, & confiteri: Ergo exteriori fidei confessio est necessaria necessitate medij, & non tantum præcepti. Respond. neg. conseq. Argumentum enim probat solū, externam fidei confessionem esse necessariam tantum necessitate præcepti, qao quis obligatur, vel cum ad perfectum rationis usum pervenit: vel cum primum adultus Christianam Religionem amplectitur: Ubi etiam advertendum est, ut communiter DD. docent, ad tale præceptum adimplendum non esse necessarium peculiarem actum externum interioris fidei manifestativum ab alijs actibus distinctum, quibus cætera adimplentur præcepta: nam illis eisdem actibus sufficienter satisfit præcepto de ex-

Externa fidei confessione.
 11 Ex Decreto Trident. sess. 24. cap. 1. & cap. 12. tenentur ad professionem fidei faciendam, i. Episcopi, Archi-Episcopi, Primate, & Patriarchæ in prima sua Synodo. 2. Provisi de beneficijs habentibus curam animarum intra bimestre, & hoc sub pena fructuum beneficij. Quod Pius IV. extendit ad Praelatos omnium Religionum. Pius V. autem ad Docatores, Magistros, Regentes, &c. Non tamen ad id obligantur provisi de beneficijs tantum simplicibus, aut Canoniciatis non Cathedralibus. Posse etiam fieri per procuratorem, docent aliqui contra communio rem. In Religionibus tamen, in quibus dicta Constitutio Pij IV. non est usi recepta, vel contraria usu abolita, non tenentur Praelati Regulares eam facere, prout non est usi recepta quoad Regulares, ut declaravit Sac. Congregatio. Idem die de Lectoribus eorundem. Formæ vero Professionis, tam pro Superioribus, quam pro Professoribus habentur in Bullis Pij IV. quarum prima incipit: *In junctum vobis. Secunda: In Sacro sancta, & habentur in fine Concilij Tridentini. Insuper, & in nostris Constitutionibus, fol. 121. num. 268. ubi præcipitur ut professionem*

Tom. III.

fidei faciant omnes Praelati, Lectores, & Predicatores.
 13 Ex hucusque dictis constat, quod quotiescumque alius Catholicus interrogatur publice de sua fide, tenetur illam palam profiteri: Si autem illam negat, aut celat utendo verbis æquivocis coram multitudine, committit quatuor peccata: 1. Commissionis contra præceptum de non mentiendo, & quidem gravissimum, quia merititur in materia fidei. 2. Commissionis etiam contra præceptum negativum, non negandi fidem. 3. Omissionis contra præceptum affirmativum de confitenda exterius fide. 4. Scandali, quod multiplex est juxta numerum personarum, quibus est scandalo. Si autem non mentiatur, sed tacet, duo peccata committit; alterum omissionis, fidem non profitendo; & alterum commissionis, propter scandalum, si aliqui sint praesentes; alias unicum erit. Unde merito D. Chrysost. in cap. No. liti timore: *Non solum ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem, palam mendacium loquitur; sed etiam, qui liberè veritatem non pronuntiat, quando oportet.*
 14 Sed controvertitur inter Theologos, an hoc intelligatur non modo, quando interrogatur à persona publica;

F

sed

sed an etiam quando interrogatur à persona privata? Communiter tamen respondent, hoc intelligi in primo casu, scilicet, cum interrogatur à persona publica, ut est Rex, Princeps, Magistratus, Gubernator, vel quicumque alius ex illorum commissione. Ratio est; quia in hoc casu censetur interrogari in odium fidei, & tenetur illam profiteri. Si verò persona interrogans sit privata (inquit p̄fati AA.) quod non tenetur, & posset tacere, vel interrogacionem eludere, dicendo, v. g. *Quid ad te? Quis te constituit Judicem?* Cum nemo sit adeo Barbarus, ut ignoret, me non teneri passim, & ordinariē interrogantibus respondere, quis ego sim. Unde tunc silentium, & tergiversatio potius cedit in contemptum interrogantis, quam in erubesciem fidei; nam privata persona non censetur interrogare in odium fidei.

15. Hoc non obstante, quamplurimi alij cum Suarez sustinent, nullam esse differentiam inter personam publicam, & privatam interrogantem: Ratio est, quia obligatio fatendi fidem non nascitur ex qualitate, seu potestate interrogantis persona; sed ex circumstantia, & occasione, in qua non potest occultari fides sine gravi dimu-

nitione honoris divini, & sine gravi scandalo proximorum; ac per consequens sine gravi noctumento sui ipsius. Quā sententia est tutior, & mihi plus arridet: nam ratio D. Thomæ, & omnium Théologorum videtur universalis, & sine distinctione publicæ, aut privatæ personæ; inquit enim S. Doctor, 2. 2. q. 3. art. 2. in corpore: *Si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel, quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alij per ejus taciturnitatem avertererentur à fide; in hujusmodi enim cassibus confessio fidei est de necessitate salutis.* Ecce quomodo, S. Doctor, non distinguit personas; sed solū tempus, & locum, scilicet, quando per omissionem confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & utilitas proximi. Unde, si credo ex taciturnitate mea, & omissione confessionis, aliquos, vel aliquem defectum à fide, vel vacillatum, aut putaturum fidem esse falsam; non solum ex charitate, sed ex ipsa præcisa, & formalí confessione fidei tencor (a quocumque interrogat) confiteri eam: quia ex ipsa formalí omissione confessionis fidei in eo eventu per se sequitur defectus ille, vel illa vacillatio; & sic gravis injuria interrogatur fidei,

dei , & irreverentia ejus Authori: ac propterea silentium est per se damnable; quia est per se signum timoris confessionis fidei , & erubescencie. Videatur nos. Matthæuc. cautela Confessarij lib. 2. cap. 12. num. 3. & 4.

16. Quæres insuper : *An licet suscipere Sacra menta cum hæreticis?* Respond. non licere cum Calvinistis suscipere Sacramentum Eucharistie; quia apud illos Eucharistia non est verum Sacramentum: Nec cum Lutheranis; quia etiam errant circa illum, nec habent verum ex defectu Sacerdotum legitimè institutorum. Baptismus autem validus est apud illos; unde in casu necessitatis ab illis peti potest; non verò extra casum necessitatis. Et quanvis Catholicus possit esse Patronus pueri hæretici ; tamen Catholicus non potest filio suo Patronum hæreticum assumere. Non tamen est illicitum interesse nuptijs, aut exequijs hæreticorum, dummodo non sit scandalum, nec periculum perversi onis. Catholici viventes inter hæreticos , si contrahant Matrimonia coram Ministro hæretico, peccant ; quia testantur se illum agnoscere verè fidei Ministerum , quod falsum est , & hæreticum. Licitum autem est testari coram Magistratu civi-

lii se contraxisse Matrimonium, ut filij pro legitimis habeantur.

17. Quæres insuper : *An Matrimonia inter Catholicos, & hæreticos licita sint?* Respondent aliqui ; quod ex gravi causa , accedente saltem dispensatione, secluso scandalo , & perversi onis periculo, licita esse. Quæ verò causa sufficiat ? non adèò constat. Sufficere , putant aliqui , spem moraliter certam conversionis conjugis, quæ spes facilior est in muliere quam viro. Immo aliqui Theologi putant , sufficere , quod , Catholici cum hæreticis permixtum vivant , etiam sine alia dispensatione ob consuetudinem receptam , & toleratam. Unde si una pars non fecerit promissis, potest peti divortium quoad thorum , & mensam. Pacta autem quæ inter conjuges tales quandoque ineuntur , ut quidam ex filijs nascituris fidei Catholicæ, alij autem hæresi adhærent, ab authoribus prorsus ut impia , & irrita proclamantur; quia omni jure filij a suis parentibus in vera fide instruendi sunt. In casu tamen quodam raro , si ob publicum bonum tale matrimonium fieret , nec posset à marito impetrari , ut omnes proles catholice educantur , non videtur illicitum adjicere cautionem , ut saltem

aliqua pars filiorum non impeditente marito catholicè nutritantur , nihil interin quoad ceteros liberos præjudicando Catholicæ matri , quæ pro viribus tenetut filios omnes catholicè instruere. Addunt, quod illi qui pactum prædictum de dimidia parte etiam contracto matrimonio observare volunt, non sint absolvendi, nisi forte ex pia instructione tam exiguus fructus speretur , & tam gravia mala immineant à matritis , ut judicio prudentis definat obligatio de liberis pie educandis.

18. Quæres 3. *An disputare liceat de rebus fidei?* Respondetur , in c. 2. §. *Inhibemus*, de hæret. in 6. Laicis prohibetur nè disputerent sub pena excommunicationis ferendæ. Sed hanc prohibitionem (dicunt aliqui) esse abrogatam , ubi hæretici grassantur. Immò Catholicus, ab hæreticis lacessitus, tenetur injuriam Ecclesiæ repellere , si potest , & Clerici non adsint , aut non possint. Clericis autem , & Religiosis id non prohibetur per hanc legem , nisi propter infiditatem ex lege naturali prohibeantur. Probabile est non obligare laicos per se sub mortali , cum excommunicationis pena sit tantum ferenda sententia. Immò , laicos doctos omnino non comprehen-

di sub illa prohibitione , cum tales & scriptis de fide differant. Alij volunt , etiam doctos comprehendendi , cum lex sit universalis.

19. Quæres 4. *An loqui , & conversari liceat cum hæreticis?* Respondent aliqui ; quod hodie post Concil. Constantiense in Bulla *Ad evitanda* , nulli excommunicati , ac proinde nec hæretici vitandi sint ; nisi vel nominatim excommunicati , & à superiore publicè denuntiati , vel notorij Clericorum percussores sint : & hoc tam propter consuetudinem contrariam , præsertim ubi à Principibus permittuntur , quam propter alias rationes , quas afferunt; ad quod non sufficere , dicunt, ut sint notorij juris , sed etiam requiri notorium facti. Item quod denunciatus , si appelleat, pendente appellatione , vitandus non sit.

20. Quæres 5. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente Catholico accusante se conversatum esse cum Judæis?* Resp. 1. Animadvertis , Catholicis ad vitandum Christianæ religionis contemptum , perversionis periculum , & scandalum proximorum , esse prohibitam communionem cum Judæis in respicientibus Religionem : etiam in politiis est interdicta communio , ex qua

qua potest resultare nimia familiaritas, & societas, & propinquitatem idem periculum imminere; ideo non licet Christianis simul habitare cum Judæis in eadem domo, cum eis spuriissimè commisceri, nec uti opera medici hebræi, nec cum eisdem ad ludos, & nuptias, & convivia ire, nec in eodem balneo se lavare; nec azyma comedere, vel continuò eis servire, nec nutribus Christianis in ipsorum domibus, ipsorum filios nutrire; neque possunt Christiani conjugia cum Judæis, alijsque infidelibus celebrare: cap. sœpè, cap. nullus, cap. omnes, cap. cœvo, non oportet, cap. si quis 28. q. 1. Ut distinctio sit patens inter Christianos, & Judæos, & istorum illi valeant vitare consortia, debent in terris Christianorum Iudei uti habitu, per quem à Christianis discernantur: cap. in nonnullis de Jud. & Saracenis.

21. Resp. 2. Consideret, an Christianus communicando cum hebreo habuerit in intellectu errorem, vel credendo eorum legem esse veram, vel Ecclesiam errare prohibendo tale commercium; nam tunc excommunicatus esset excommunicatio ne Bullæ Cœnæ (applica ad conversantem cum hereticis) quod si talema errorum non habuerit,

interrogandus est, an saltem cum Judeo communicaverit ex contemptu Ecclesiæ, vel Episcopi, vel cum scandalo populi, & periculo amittendi fidem: & tunc communicatio, quæ alijs posset esse venialis, fore mortalis. Respond. 3. curet inducere pœnitentem ad contritionem suorum peccatorum, ostendendo ei gravitatem delicti, periculumque, cum se exposuit. Respond. 4. Eum inducat ad eliciendum actum fidei, & protestandum. Judæorum legem, ac ritus, supersticiosos, & falsos esse; eique juxta qualitatem delicti, & circumstantijs accommodatam pœnitentiam satisfactoriam, & preservativam injungat.

22. Quæres 6. An possint Christiani cum Judæis contractus emptionis, & venditionis, alijs licitos celebrare, & mercaturam licite exercere? Resp. affirmativè, ubi Judæis conceditur mercaturam exercere. Ratio est; quia communio, quæ cum Judæis interdicitur, est illa, ex qua nascitur nimia familiaritas, & societas, seu, quæ aliunde affida, & diuturna est; ideo qui causa, & fortuito cum Judæo in eodem convivio, vel balneo convenit, non tenetur ab eodem statim declinare; propter necessitatem, si alius non foret aptus ad curandum morbum,

bum, posset cum consilio Parochi, medico hæbræo uti: quemadmodum, si ex necessitate famis cum eo manducaret, à peccato excusaretur, cum hic necessitas, quoque excusat: quemadmodum in cæteris transgressionibus Ecclesiasticis, ut in præceptis de jejunio servando, audienda Missa, & simili bus, magna necessitas excusat. Engel. Collect. Jur. Canon. lib. 5. tit. 6. num. 7. Gabant. in Manual. Episcopor. verb. Hæbræi, apud nostr. Matthæum sup. cit. Sed de his omnibus iterum infra redibit sermo.

QUÆST. V.

QUOT, ET QUÆ SINT peccata contra fidem?

I **C**ONCLUSIO nostra. Peccatum contra fidem est quæcumque fractio cuiuscumque præcepti ex quinque fidei supra numeratis. Hæc conclusio debet esse communis omnium Theologorum, & patet ex terminis. Unde, ignorantia Mysteriorum Fidei, interius non assentiri fidei, & exterius fidem non confiteri, sunt peccata omissionis, contra tria præcepta affirmativa: interius dissentire fidei, & exterius negare fidem sunt peccata commissio nis, contra duo præcep-

ta negativa. Ex quibus inferatur, quod non omne peccatum contra fidem est hæresis: nam ignorare mysteria, omittere actus credendi aliquando, &c. sunt peccata contra fidem. Et similiter legere libros prohibitos, proferre blasphemias hæreticales, se exponere periculo perdendi fidem sunt peccata etiam contra fidem; & tamen non sunt hæresis; quia, ut jam dicemus, hæresis est error pertinax hominis baptizati circa aliquam fidei veritatem; seu est sciens, & volens tenere aliquid contra ea, quæ proponit Ecclesia, ut fide credenda. Circa ignorantiam negant aliqui, quod sit peccatum distinctum à peccatis contra præcepta ignorata: sed communiter tenetur, quod sit peccatum contra fidem distinctum ab alijs peccatis. Videatur P. Larrag. tract. 24. §. 1. &c. 3. Et præcipue nostr. Doctis. Mastr. in Theolog. Morali, disp. 15. q. 6. art. 2. num. 103. ubi ait universaliter, quod ignorantia vincibilis, quæ est causa peccati semper est peccatum, & est speciale peccatum distinctum ab eo, quod sit ex eadem ignorantia; ita Alens. D. Bonav. & alij antiquiores in 2. d. 22. & nostri RR. ex Scoto in 4. d. 6. q. 8. hoc p. Peccata contra præcepta negativa, seu peccata commis sio-

sionis contra fidem reducuntur ad infidelitatem, quæ subdivi-
tur in hæresim, Apostasiam, Ju-
daismum, Paganismum, Ma-
hometismum, Atheismum, &c.
de quibus aliqua breviter pro-
ponemus, plus recitativè, quam
disputativè. Igitur,

3 Infidelitas, est vitium
Christianæ veritati oppositum,
quo illi omnes qui non habent
fidem, infideles dicuntur. Du-
plex est infidelitas, negativa
una; contraria, seu positiva al-
tera. Negativa est ea, que re-
peritur in illis, qui nihil un-
quam audiverunt de fide? Po-
sitiva infidelitas ea est, quæ re-
peritur in illis, qui fidem sibi
sufficienter propositam contem-
nunt, vel ei pertinaciter con-
tradicunt? Infidelitas negativa
per se non est peccatum: qui
enim nihil unquam audivit de
Deo, nec audire potuit, ut
supponuntur ij, qui terras ad-
huc nobis ignotas inhabitant,
non peccant peccato infidelita-
tis, nec propter illud damna-
buntur; sed propter peccatum
originale, & alia peccata, quæ
sine fide remitti non possunt.
Ipsi enim de numero eorum
consentur de quibus loquitur
Apost. *Quomodo credent ei,*
quem non audierunt? Rom. 10.
Ergo non peccat, eo, quod tali
notitia careat, quam, ut sup-
ponitur, habere non potuit?

4 Confirmatur ex verbis
Christi Joann. 15. *Si non ve-*
nissim, & locutus eis non fuis-
sem, peccatum non haberent:
Ergo cum illi, de quibus lo-
quimur, nihil de Evangelio au-
dierint, peccatum non habent,
si Evangelio non crediderint.
Nec refert, quod Evangelij so-
nus in omnem terram exicerit;
hoc est ad principales partes,
non in omnes, & singulas mun-
di partes. Deinde Ecclesia se-
quentem Baij propositionem
damnavit: *Infidelitas negativa*
in his, quibus Christus non est
prædicatus, peccatum est: ergo
contradictoria vera est: Infide-
lis negativa peccatum non est:
quia, scilicet, ignorantia est
invincibilis.

5 Infidelitas positiva est
peccatum gravissimum ex ge-
nere suo, cum propter eam
quis inferno adjudicetur: *Qui*
non crediderit, condemnabitur,
Marc. ult. Quod intelligendum
est de adultis, qui credere po-
tuerunt, & non crediderunt.
Est enim per se gravis injuria,
non credere Deo dicenti post
sufficientem rerum fidei propo-
sitionem; quia parvipenditur
prima veritas, &c. Alia est in-
fidelitas, quæ privativa dici-
tur, & reperitur in eo, qui nec
credit, nec dissentit, aut culpa-
biliter res fidei ignorat, & vo-
luntariè circa illas errat: pri-
va-

vativa vocatur, quia est absentia formæ, seu actus, qui deberet inesse: nam isti non habent actum, vel habitum, quem deberent habere.

6 *Paganismus*, ad quem reducitur Atheismus, & Mahometismus, est quando nullius mysterij revelati fides habetur, & Scriptura utriusque Testamenti rejiciuntur. Ut faciunt Gentiles, & Etnici, qui Pagani dicuntur. Quare dividitur *infidelitas positiva*, in Paganismum, Judaismum, & Hæresim, ad quam Apostasia reducitur. Et nomen *Paganorum* ortum habuit à tempore Constantini Imperatoris. Cum enim statuisset, ut qui vellent militare cum ipso, deberent baptizari: illi qui noluerunt hoc Sacramentum suscipere, remanerunt in pagis suis, & inde *Pagani* dicti sunt. Sic (inquit D. August. 2. Retract. 43.) *falsorum Deorum vultores, usitato nomine, Paganos vocamus.*

7 *Judaismus* est eorum qui admittunt tantum Vetus Testamentum, rejiciuntque Novum, & sic negant Christum, seu Messiam de facto venisse; hi *Iudei* sunt, qui olim *Populus electus* dicebantur, propter eorum infidelitatem nunc à Deo *Populus reprobatus* dicuntur. *Hæreticismus* est eorum, qui fidem Christi suscepserunt, & ab

ea, quoad aliquas veritates defecerunt, in errores oppositos abeuntes cum pertinacia. Quod si fides suscepta in totum abiciatur *Apostasia* dicitur. Subdit videtur *Hæreticismus* in plures species, quæ denominantur vel ab Authoribus earum, ut *Lutherani*, à Lutherō; *Calvinistæ*, à Calvino; *Jansenistæ*, à Jansenio, &c. Vel ab erroribus, quos tuentur, ut *Trinitarij* propter hæresim de Trinitate; *Sacramentarij*, *Anabaptistæ*, propter errores circa Baptismum, & Sacraenta.

8 *Hæresis* enim est *error intellectus liber, & pertinax contra fidem in eo, qui fidem suscepit*. Unde negans fidem verbo, vel facto, interius tamen fidem servans, minimè est hæreticus: quia qui fidem solum exterius abnegat, non potest dici habere errorem in intellectu, liberum, & pertinacem, cum nullum interius Judicium ferat contra fidei veritates; non est igitur *hæreticus*, neque pœnas contra hæreticos latas incurrit, saltem in foro conscientiæ: nam in foro externo possent Inquisitores contra ipsum procedere; quia ex signis exteris internum hæresis peccatum presumitur. Aliqui docent, *dubium in fide, non esse hæreticum*: quia, inquit, hæresis essentialiter consistit in *Judicio* con-

contra fidem, dubius vero non habet tale judicium, sed potius judicij suspensionem: ergo non est haereticus. Melius tamen alij affirmant, ipsum esse haereticum: Et probatur autoritate Stephani Papæ dicentis: *Dubius in fide est haereticus*, cap. 1. de Hæret. Item ex Hug. Victorino, lib. 1. de Sacram. cap. 2: *Ubi dubitatio est, fides non est*. Ratio hujus aperta est; quia dubius de re fidei sufficienter proposita, judicat illam rem non esse certam, aut non esse certo revelatam; adeoque forte esse falsam: & sic facit injuriam Deo revelanti, aut proponenti tales regulas, quibus sufficienter colligitur ~~en~~ articulum esse à Deo revelatum.

9 Quæres: *Potestne Ecclesia cogere infideles non baptizatos ad fidem suscipiendam?* Respond. Certum est, quod qui semel baptizati sunt, sive in infantia, sive invitis parentibus, sive in adulta ætate, possit ipsos cogere Ecclesia ad fidem suscipiendam, & servandas leges Ecclesiasticas, cum per baptismum subditi facti fuerint Ecclesiae. Ad quæsumus dicendum est, infideles non baptizatos cogi non posse, sive sint subjecti Principibus Christianis, sive non. Et patet ex dicto Apostoli: *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt judicare?* 1. Cor. 5. Et

confirmatur ex Concilio Trid. sess. 24. cap. 4. ubi dicitur, Ecclesiam in neminem judicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.

10 Quæres 2. *Habetne Ecclesia jus prædicandi Evangelium in terris infidelium?* Respond. Ecclesiam hebere jus prædicandi Evangelium infidelibus; colligitur ex illo Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra; euntes ergo docite omnes gentes.* Hinc sequitur, licere Principibus Christianis Catholicis, infideles prædicationi Evangelij resistentes, cogere ad non resistendum.

11 Quæres 3. *Potestne Ecclesia, vel Princeps Christianus infideles sibi subjectos cogere ad audiendam prædicationem Evangelij?* Respond. Ita est, cum videamus Romæ Pontifices cogere Judæos sibi subjectos sub quibusdam pœnis ad prædicationem semel in hebdomada audiendam. Ratio est; quia prædicatio potest considerari, ut aliquid pertinens ad bonum politicum, cum ordinetur proxime ad tollendam ignorantiam circa virtutes necessarias: ergo non excedit potestatem Pontificiam. Quod autem non possit Princeps Ethnicus similiter suos subditos cogere ad audiendam

prædicationem Gentilismi, non oritur ex defectu potestatis, sed ratione materiae, quæ turpis est. Quod si Princeps Christianus nullam in infideles jurisdictionem habeat, non potest illos cogere: Christus quidem dedit Ecclesia potestatem ubique prædicandi, non vero cogendi ad audiendum.

12 Peccatum contra fidem est etiam blasphemia, quæ juxta ethimologiam nominis sumi potest pro omni convitio, quo detrahitur de honore aliquius; secundum vero usum communem DD. blasphemia est improperium in Deum, false dicendo aliquid inesse, quod illi non inest: vel illi deesse, quod inest re vera. Ratione primi, blasphemant Calvinistæ dum dicunt, Deum esse Autorem peccati. Ratione secundi, blasphemant Judæi negantes divinitatem in Christo. Vel aliter blasphemia describitur sic: *Est convicium, seu locutio per modum convicij, aut contumelie, & maledictionis in Deum, vel Sanctos.* Cujus species sunt simplex, & hæreticalis. *Hæreticalis* est, quæ errorem sapit in fide: seu est locutio contumeliosa contra Deum, continens errorem contra fidem: quatenus aliquid contra fidem per modum indicativi de Deo affirmat, vel negat. Et ideo

hæreticalis non est, cum pronunciatur per verba imperativi, vel optativi modi; ut *Deus sit maledictus*: quia per hos modos, cum indicativi non sint, nil falsum dicitur de Deo, nisi in tali locutione aliquid affirmativum, vel negativum includatur contra Deum, ut si quis dicat, *o Deum injustum*, quodquidem valet, ac *est injustus*. *Simplex* non sapit hæresim, nec contra fidem aliquid affirmat, sed solum verba injuriosa, & irritoria, ac maledictionis in Deum, & Sanctos enuntiat.

13 Quæres 4. In quo differat blasphemia hæreticalis ab hæresi? Respond. In hoc, quod hæreticus corde credit aliquid contra fidem: blasphemus autem hæreticalis nil contra fidem sentit, licet verba proferrat continentia errorem contra fidem: explico; ore pronuntio, *Deus est injustus*: si corde credo esse injustum, sum hæreticus, etiamsi pro unico instanti cum pertinacia crediderim; quia, sicut cætera peccata, potest hæresis crimen in unico instanti committi. Si autem id non credo, sed iustissimum esse, solum blasphemus hæreticalis efficior. Patet à simili: possum verba injuriosa dicere contra Paulum, vocando spuriū, non credendo, quod sit

sit spurius : & vocando spuriū , & simul credere talem esse ; quæ certè est major injuria , dum aparte rei talis non sit.

14 Quæres 5. *An blasphemia posuit esse venialis ex sola levitate materiae?* Resp. negativè. Ratio est ; quia blasphemia Deus injuriatur ; levis autem injuria certè non est, quæ fit Deo proferendo verba contumelie , & improperij , ac maledictionis in ipsum , cuius infinita excellentia offenditur, & ipsius divine bonitati derogatur : Venialis , & levis esse potest ex non plena advertentia , & surreptione , ut , si quis convicium in Deum diceret; vel contra Deum ex subito motu loqueretur non advertens verborum sensum : nam tunc diccretur proferre verba non formaliter , & perfectè significative.

15 Quæres 6. *An blasphemus debet intendere Deum injuriari , vel ipsius honori detrabere?* Resp. negativè : sed ad malitiam contrahendam, sat est, quod voluntas advertenter faciat actum de se inhonorativum Dei , & in contemptum ipsius cedentem , quanvis honoris detractio exprestè non intendatur : quemadmodum , ut quis peccet peccato furti , sufficit , quod rem surripiat, quam

alienam cognoscit , quanvis non intendat offendere Deum. Suarez tom. I. de Relig. cap. 6. n. 8. certè , si blasphemia prolata sit cum formalí intentione inhonorandi Deum , est circumstantia intrinsecè aggravans , & augens Dei despectum , & irreverentiam. Immò, cum ea intentio soleat sàpè provenire ex odio , quo quis velit Deo illud malum irreverentia , & contemptus , (quod est pactum distinctum à blasphemia) debet Confessarius interrogare pœnitentem de intentione , qua eam protulit , & si ex ea intentione prolatam , & hæreticalem invenerit , eum triplex commississe peccatum judicet: alterum odij contra charitatem , & Dei dilectionem: alterum blasphemiae contra reverentiam , & cultum , ac laudem Deo debitam : & tertium contra externam fidei confessionem.

16 Advertendum verò est, quòd blasphemia in Spiritum-sanctum, quæ Matth. 12. Marc. 3. & Luc. 12. dicitur irremissibilis , diversimodè sumuntur; sed tribus modis principaliter. Primò ab Origine , & Novatianis pro quocumque peccato commisso post acceptam Spiritus-sancti gratiam in baptismo , juxta ad Hebr. 6. „, Im- „, possibile est , eos qui semel

, illuminati sunt , iterum re-
 „ novari ad pœnitentiam , sed
 hoc est hæreticum . 2. Sumitur
 ab Aug. serm. 12. de verbis
 Domini pro finali impœnitentia ;
 hoc est , pro perseverantia
 in peccato usque ad mortem :
 & sic sumpta , est irremissi-
 bilis in hoc sæculo , & in fu-
 turo , supposito , quod quis
 perseveret in peccato usque ad
 mortem inclusivè , sic Scot. 3.
 Sumitur à Magistro sentent. in
 2. d. 43. pro omni peccato , in
 quo est gradus malitiae particu-
 laris , quæ malitia opponitur
 Spiritui-sancto , cui appropria-
 tur bonitas , & ista peccata sex
 numerantur communiter , nem-
 pè , desperatio , præsumptio ,
 impugnatio veritatis agnitiæ ,
 invidentia fraternæ gratiæ , im-
 pœnitentia ; seu propositum
 non pœnitendi , & obstinatio ,
 seu voluntas adhærendi pecca-
 to. Si sic sumatur blasphemia
 in Spiritum-sanctum , non est
 irremissibilis absolute , sed dif-
 ficilimè remittitur. Quis au-
 tem absolvere possit blasphemiam
 hæreticalem (dummo-
 do non sit simul hæresis mixta)
 videatur Pat. Larraga tract. 29.
 De hac materia. Videatur etiam
 nost. Mastr. in Thelog. Moral.
 disp. 11. q. 3. n. 40.

)(*)(

DUBIA INCIDENCIA.

17 **Q**uanvis postea de
 cunctis hæreticis ,
 de eorum erroribus
 acturi simus ; interim tamen ,
 ut paulatim & minus confusè
 juvenes instruantur , quorum
 profectum hic præcipue inten-
 dimus , placuit aliqua dubia pro-
 ponere , & breviter resolvere ;
 quorum primum sit .

18 Dubitabis 1. Qualis
 fuerit prima hæresis , quæ post
 adventum Christi reperitur ?
 Respondeatur , suisse illam Sy-
 monis Cyttæi Samaritæ , qui
 existimavit , donum Spiritus
 Sancti posset pecunia emi , &
 vendi. Ex Greg. Magno l. b. 7.
 ep. 5. Et ex Reg. ep. 112. &
 116. Et ex Greg. VII. lib. 9.
 ep. 34.

19 Dubit. 2. Qualis fuerit
 causa moralis , sive origo om-
 nis hæresis ? Resp. Quod su-
 perbia , vel gloria vana , vel
 luctum aliud temporale. Sua-
 detur ex Aug. lib. de utilit.cre-
 dendī , & habetur in Cann. Hæ-
 reticus 24. quæst. 3. ubi ait:
*Hæreticus est qui alicujus tem-
 poralis commodi , & maxime
 gloriæ , principatusque sui gra-
 tia , falsas , vel novas opinio-
 nes , vel gignit , vel sequitur.*
 Confirmatur ex Eccli. 10. v.
 14. *Initium superbiae hominis
 apos-*

apostatare à Deo; ubi Glossa de superbia nascuntur hæreses, Schismata, &c. Prætereā Apostolus in 1. ad Timoth. 3: Si quis non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, superbus est, & nihil sciens: Ergo mater hæresum superbia est.

20 *Dubit. 3. Circa quam materiam potest contingere hæresis? Respondetur, quod hæresis potest dari circa omnem materiam, quæ est de fide, scilicet, circa Sacram Scripturam, circa Dominicæ, & Apostolicæ Traditiones ab Ecclesia receptas, & sufficienter propositas; & circa omnia dogmata à Concilijs Orthodoxis, & à Romanis Pontificibus definita; insuper circa omnia præcepta Decalogi, & Sanctæ Matris Ecclesiæ; & circa potestatem Legislativam Romani Pontificis, Regum, Principum, & omnium Prælatorum, qui posunt condere leges obligantes in conscientia ad culpam mortalem. Uno verbo circa omne illud potest dari hæresis, circa quod debet esse fides: atqui supra omnia prædicta debet dari fides: erg. & circa omnia prædicta potest esse hæresis. Minor patet; nam de fide est Sacr. Scriptura, Traditiones Dominicæ, & Apostolicæ, & omnia definita à Romanis Pontificibus*

ex Cathedra, sive cum Concilio, sive sine eo, ut postea dicemus, dummodo pertineant ad fidem, & mores gregis Christi; insuper de fide est, quod in Summo Pontifice est potestas condendi leges Canonicas universam Ecclesiam obligantes; & quod in Imperatoribus, Regibus, Reginis, quando ad eas jure hæreditario, vel alio pertinet Regnum, est potestas Legislativa Secularis: item in Communitatibus, seu Republicis, secundum modum regiminis, est etiam talis potestas condendi leges obligantes in conscientia. Totum hoc est de fide, contra quamplorimos hæreticos negantes hanc potestatem in hominibus: quia nolunt, quod unus homo sit alterius subjectus. Sic docuerunt Wicclef, Joannes Us, Lutherus, Calvinus, & alij apud Castr. Villalob. & Mastr. in Theolog. Moral. dip. 2. q. 4. art. 1.

21 *Sed contra omnes constat hæc fidei veritas Matth. 16: Tibi dabo claves Regni Cœlorum: quodcumque ligaveris, &c. Et 1. Cor. cap. 11. Laudo vos, quia præcepta mea tenetis. Ad Rcm. 13. Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi à Deo. Itaque, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et paulo post: Qui resistunt, ip-*

si sibi damnationem acquirunt.
Et infra: *Subditi estote non solum propter iram, sed propter conscientiam.* Hoc est, non tantum ob pœnam ab humano judeice infligendam; sed etiam ob culpam, quām incurretis, si non obediatis. Et Matth. 18. specialiter de Ecclesia dicitur, quod qui illam non audierit, sit vel ut Ethnicus, & Publicanus. Videatur nost. *Subt. Doctor in 4. d. 15. q. 3. art. 2. Maestrius, cit. Villalob. tom. 1. tract. 2. diff. 6. & 18.*

22 Contra hanc fidei veritatem objiciunt hæretici, quod Christus abrogavit leges Mosaicas, tūm propter earum multitudinem; tūm propter difficultatem: Ergo Christianis imponi non debent leges Civiles, & Ecclesiasticae, que multo plures, ac difficiliores sunt, quām Mosaicae: alioquin durior esset conditio Christianorum, quām oīum Judæorum, quod est contra illud Christi: *Fugum meum suave est, & onus meum leve.* Consequentia patet; quia in lege veteri erant sola præcepta Mosaica parvo libello contempcta; in lege nova, præter Sac. Scripturam, sunt leges Pontificum, pœnas censuratum fulminantes contra animas; & leges Imperatorum, & Regum in magnis Codicibus supplicia orrenda adversus corpora minan-

tes, qualia non erant in lege Moysi: Ergo lex nova est gravior. Hoc argumento utitur D. August. epist. 119. ad Jannuar. cap. 19. ubi conqueritur, tollerabiliorem fuisse conditionem Judæorum, quām modò sit Christianorum; quia Judæi tametsi multa haberent præcepta, habebant tamen divina: at Christiani, & plura habent, quām Judæi, & non habent divina, sed humana.

23 Respondetur neg. conseq. Ad probationem inquit Subtil. nost. Doct. in 3. dist. ult. q. unic. quod lex vetus quantum ad præcepta cæremonialia fuit multo gravior nostra, & quantum ad multitudinem, & quantum ad difficultatem observandi; nam Rabbi Moses enumeravit plusquam Sexcenta præcepta, ad quæ omnia illi tenebantur, quorum quædam erant valde difficilia, ut quod omiae masculinum ter in anno præsentaretur in Hierusalem, quantuncunque distarent, & multa talia. Subdit etiam Doctor, quod adhuc quoad præcepta moralia, & judicialia lex Christi, ut à Christo est, est levior, quām Mosaica; ut à Prælatis tamen, & Principib⁹ augmentur præcepta, & pœnæ, concedit, legem Christi esse graviorem; quia tunc non licuit Sacerdotibus,

bus, vel Judicibus condere leges, sicut modò licet Principibus Christianis; addit tamen, quod attendendo gravitatem legis ex defectu remedij ad portandum onus impositum, adhuc multò gravior est lex vetus, quam nova; plura enim, & efficaciora adjutoria habemus in lege nova, quam erant in veteri; quia plura Sacra menta habemus, quæ cum efficaciam habeant à passione Christi jam exhibita, plus gratiæ conferunt, quam Sacra menta veteris legis. Deinde, in lege nova habemus doctrinam veritatis magis explicitam; & insuper multo plura Sanctorum exempla, quam in veteri. Neque August. nobis obest; nam loco cit. expressé approbat non solum præcepta Dei, sed etiam Ecclesiæ, & Conciliorum; & tantum rejicit quofdam abusus, qui contra communem Ecclesiæ consuetudinem in quibusdam locis irreperant; unde conqueritur ibi August. de Particularib. statutis, & præceptis sine ratione multiplicatis in laquæum, & damnationem animarum; quia licet licitum sit Prælatis, & Principibus leges condere, non tamen est licitum, eas sine urgente causa multiplicare.

24 Instant hæretici, Genes. 1. Declaravit Deus, se facere

hominem, ut præferset animalibus; non autem, ut unus homo præferset alijs; sed omnes homines essent inter se æquales: Ergo in nullo debet poni potestas legislativa respectu alterius, saltem quæ obliget in conscientia. Respond. neg. conseq. Nam licet homines sint natura æquales, & habeant præstantiam, & præsidentiam super animalia; non tamen negavit Deus, posse inter illos institui ordinem moralis, quo unus habeat autoritatem præsidendi, & imperandi alijs: Immo ipsa hominum natura hoc postulat, quatenus sociabiles sunt, & in Communitate viventes; nam hæc societas diu stare non posset, nisi publica aliqua potestate gubernetur, juxta illud Sapientis Proverb. 11. v. 14. *Ubi non est Gubernator, populus corruet;* nam membra non bene conjunguntur in unum corpus, nisi sub uno capite. Unde, Deus condens naturam humana m, & volens, ut homines assidentur in Republica, dedit eis potestatem leges condendi, & transgressores puniendi usque ad necem: & ideo in Sacra Scriptura nominantur Reges, & Judices, tanquam veram, & legitimam potestatem habentes super populos. Et Proverb. 8. inquit Deus: *Per me Reges regnant, per me Principes im-*

perant, &c. Et 1. Peri 2. Subiecti estote omni humane creaturæ propter Deum: sive Regi, quasi præsellenti; sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem, vero bonorum; quia sic est voluntas, ut bené facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Et Roman. 13. Omnis potestas à Deo est, &c.

25 Dubit. 4. Utrum præter hæresim formalem, sit etiam admittenda hæresis objectiva? Respond. affirmative; & prob. sic: Præter fidem formalem admittitur fides objectiva: g. similiter est de hæresi. Præterea, hoc patet ex praxi Ecclesiæ damnantis doctrinam hæreticam: sed in ea datur hæresis objectiva, sicut in doctrina revelata datur objectiva fides: g. &c. Ex quo infertur, quod hæc propositio: *Non dantur tres personaæ divinae.* Est hæresis objectiva, absque ullo respectu ad authorem illius; sicut hæc propositio: *Dantur tres personaæ divinae,* est fides objectiva, independenter ab actu formalis creditis. Similiter, hæc propositio: *Romanus Pontifex non potest obligare sub mortali ad abstinentiam, ad jejunium, &c.* neque Reges, nec Prælati possunt præcipere sub mortali, est hæresis objectiva, independen-

ter ab hæresi formalis, quam habet, qui talibus propositionibus præbet assensum. Christianorum igitur est servare mandata; sed Catholicorum est mandata iusta credere. Infertur etiam, quod licet dentur plures gradus hæresis, non dantur plures species hæresis essentialiter diversæ: quia omnes hæreses specificè convenient in eo, quod opponuntur doctrinæ revelatae, sicut omnes actus fidei convenient specificè in assentiendo doctrinæ revelatae propter veracitatem Dei in revelando.

26 Dubit. 5., Utrum hæretici interni simul, & externe, terreri queant ab Ecclesia, puniri, & coerceri? Respond. affirmative; scilicet, quod terreri, puniri, & coerceri possunt, & debent. Prob. 1. nam in veteri testamento puniebantur: g. &c. Prob. antec. ex Deuter. 13. v. 14. ubi Dominus ait: „Quære sollicité, ac diligenter; & si invenieris, certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores urbis illius in ore gladij. Et cap. 17. v. 12. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, &c. morietur homo ille, &c. cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.

„bia. „Confirmatur , ex facto Petri cum Simone Mago, Actor. 20. Et ex Pauli facto circa hæreticos , 1. Timoth. 1. v. 20.

27 Dub. 6. *Quibus pœnis sunt hæretici puniendi ?* Resp. quod pœna antiqua hæreticorum erat Excommunicatio , & separatio in diuinis , ut constat ex lib. 2. *Conf. Apostel. cap. 61. in Can. Apost. cap. 45.* & 64. in *Concil. Laodic. cap. 9.* & 33. Verum olim excommunicatione non incurrebat ipso facto : nam saltem pro decem sæculis non legitur sic imposta, ut notat Lauræa. Nunc verò incurritur ipso facto : quoniam in *Concil. Lateran. IV.* sub *Innoc. III.* lata est sententia excommunicationis ipso facto incurrienda generaliter contra omnes hæreticos , & alia multæ inhabilitates & pœnæ impositæ sunt eis , & eorum filijs, quas refert Cardinalis *cit. disp. 15. art. 2. à num. 36.*

28 Dubitat. 7. *Ex quo tempore , & a quo statuta sit pœna mortis contra hæreticos , & quod genus mortis ?* Resp. quod pœna mortis contra hæreticos obstinatos reperitur imposta ab Imperatoribus Christianis , & non improbata , sed potius approbata , vel permis- sa ab Ecclesia , etiam im pri- mis sæculis, ut constat ex lib. II.

Tom. III.

cod. *Justin. de Hæret.* Ubi dicuntur : Ubicumque Manichæi inveniantur , capitite plectendi sunt. Et congruum fuit , ut hæc mortis pœna contra hæreticos impenitentes , ac relapsos statueretur : nam exemplis Sacra Script. Moyses Exod. 32. Viginti millia Judæorum occidi curavit , eo quod à fide unius Dei ad idolatriam deflektissent. At quanvis olim diverso mortis genere necarentur hæretici impenitentes , vel relapsi : tamen à sex ferè sæculis ignis pœna vivi necantur : & mos ista comburendi hæreticos invaluit ex constitutione Friderici II. Imperatoris , emanata in initio tertijdecimi sæculi , quæ constit. inserta est in Constitutione prima *Innoc. IV.*

29 Tamen Ecclesia non per se , nec per suos Ministros infligit hæreticis pœnam mortis; sed per judices sæculi , eos ipsis tradens , ut faciant de eis quidquid leges sæculi statuerunt. Judex verò sacerdotalis , nec potest processum examinare , nec appellationem hæretici audire , neque executionem differre , quantumvis Inquisitor , aut episcopus protextetur , & efficaciter oret , ne eum occidat , juxta dispositionem capituli , *Novimus de Verb. signif.* Quia hæc cærimonialis præcatio significat mansuetudinem Ecclesiæ,

H

qua

quæ non intendit manus suas humano sanguine inficere. Verum , ad Ecclesiasticum tantum Judicem spectat contra hæreticos procedere , processus formare , judicare , ac sententiare: nam licet non deceat , quod Clerici per se pœnam sanguinis exequantur , at possunt judicare , qui sint digni ea pœna ; & cum ultimo supplicio plectendi sunt , eos confignat Curia Sæculari. Hæc est praxis Ecclesiæ , & procedit de jure , causas hæreticorum non posse , nisi ab Ecclesiasticis judicari , eosque ab eisdem damnari , ut decrevit Conc. Tolet. 12. cap. 9. Idem decrevit Ful. III. Conf. 14. Litteret à diversis , & Gregor. XIV. Conf. 5. cum alias.

30 Dubitat. 8. Quibus titulis , & qualitatibus propositiones opposite veritatibus fidei solent ab Ecclesia , & à Summis Pontificibus reprobari? Respondetur: Aliæ dicuntur hæretice , aliæ erroneæ ; sapientes hæresim ; male sonantes , scandalosa , piarum aurium offensiva , temeraria , seditionis , blasphemæ , &c. Quædam notantur una , & pluribus ex his , aut similibus notis , quarum explicatio non displicebit , nec erit inutilis. Prima propositio hæretica , est illa cujus contradictione est de fide , seu à Deo revelata , & per Ecclesiam definita.

Sic hæretica formaliter , & directe est hæc propositio Arij: *Christus non est Deus , seu Patri consubstantialis.* 2. Erronea non dicitur propriè omnis propositio non vera , sed tantum illa cujus contradictione non est quidem explicitè revelata , sed est conclusio illata ex una revelata , & alia evidenter nota , vel quæ opponitur propositioni communiter receptæ in Ecclesia , quanvis non definitæ. Sic erronea est ista , v. g. *Christus non est risibilis* ; quia opponitur alteri revelatae ; nempè , *Christus est homo*. Ex eo enim quod *Christus est homo* , recte infertur.

31 3. *Sapiens hæresim* , illa est , quæ ex vi verborum significare potest hæresim. 4. *Suspecta de hæresi* , illa est , quæ dat occasionem credendi probabiliter ex circumstantia personæ , loci , vel temporis , quod in authoris mente latet hæresis: qualis est ista : *Christus est creatura* , quæ prolata à Catholico , Catholica est ; quia intellecta de humana Christi natura : prolata verò ab Ariano sapit hæresim ; quia gravis est falsipacio , nè intelligatur de Christi *supposito* , ita ut Christus non sit Deus , cum creatura sit. 5. *Sapiens errorem* , ea est , quæ cum erronea similitudinem habet aliquam , ut v. g. si quis negaret

ret propositionem: qua negata videretur istam negare, *Christus est visibilis.* 6. *Male sonans,* ea est, quæ duplē patitur sensum, scilicet Catholicum, & hæreticum, vel quæ abutitur vocibus extra communem significationem; ut si quis dicat: *Christus non est in Cœlo,* vel *in Eucharistia;* quia vox est, ut propositio sit vera, sumitur pro *manducat,* quod est significatum minus commune hujus vocis: secundum vero communiorē usum significat, quod Christus non existit in Cœlo: quod est hæreticum.

32. 7. *Piarum aurium offensiva*, ea est, qua profertur aliquid indecens de Deo, vel de Sanctis, licet non esset falsum, ut si quis diceret, v. g. *Magdalena meretrix, Petre perjure, orate pro me.* Illæ enim, aliaeque similes propositiones pias offendunt aures, & timoratas lèdent conscientias. 8. *Scandalosa* ea est, quæ dat occasionem ruinæ spiritualis inclinando ad peccata, vel averrendo à virtutam exercitio, ut si quis data opera diceret: plura sequi incommoda *ex jejunis, ex votis, ex peregrinationibus, ex confessione Sacramentali, &c.* Unde homines redderentur segniores, ad vendendum, peregrinandum, & confitendum. 9. *Temeraria* ea

est, qua aliquid assertur sine solido fundamento contra communem Scholasticorum, & Patrum mentem. Est enim magna temeritas, tot & tantis Magistris contradicere. Vel ut expli- cant alij, propositio *temeraria* ea est, quæ nullo authore fide- digno, nulla probabili nixa ra- tione extra communem Theo- logorum sensum vagatur: ut si quis assereret, finale mundi ju- dicium post centum, vel du- centos annos immediate fu- rum. Vel si quis, Beatam Vir- ginem in Cœlum jam quoad corpus assumptam negaret.

33. 10. *Schismatica* ea est, quæ potest promovere, vel ex- citare seditionem, divisionem, vel scissionem Corporis Christi mystici, scilicet, Ecclesie, seu quæ fideles ab unitate, à pace, vel à subordinatione, & ab obedientia debita, retrahere na- ta est. 11. *Seditiosa* ea est, quæ in materia virtutum, vel reli- gionis excitare potest sedicio- nem: sed si hoc dicitur in ma- teria politiæ, tales proposicio- nes solent prohiberi, sed non censura notari. 12. *Blasphema,* quæ & impia dicitur, ea est, quæ injuriam contra Deum, Deiparam, aut Santos conti- net, illis debitas detrahendo perfectiones, vel indebitos af- fingendo defectus. Quod si er- torem contra fidem contineat,

dicitur *blasphemia hæreticalis*: impia verò, si lèdat pietatem. Sic si quis videns bonos malis opprimi, & malos bonis affluere omnibus, *Deum injustum vocaret*, hic ut impius, & blasphemus puniendus foret. Sic injurius, & blasphemus esset, qui *Paulum* vas fractum, *Petrum* Christi abnegatorem, *Joannem* juvenem stolidum, *Matthæum* fœneratorem, diceret.

34 Porro, una eademque propositio aliquando meretur plures ex illis censuris, si multiplici modo fidei sit nociva. Ut si quis fidelis diceret hodie cum Pharisæis: *Christus non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub Principe dæmoniorum*; hæc enim propositio nèdum esset falsa, sed etiam temeraria, scandalosa, impia, blasphemica, & hæretica. Falsa esset, quia opposeretur veritati: Temeraria, quia sine ullo fundamento contradiceret communī Theologorum doctrinā: Scandalosa, quia retrahens à Christo: Impia, quia dæmones ejiciendi potestatem Christo negaret. Blasphema, quia Christum Beelzebub inferiorem ostenderet. Hæretica, denique esset, quia directe Fidei Catholicæ opposita.

35. *Injuriosa ea est,* quæ facit injuriam alicui, vel

personæ, vel statui. Dixi personæ, vel statui; nam si sit in Deum est blasphema. Sic si quis, v. g. de Religioso Ordine aliquo diceret: *Eo in ordine nullus ordo, & nulla prorsus regularis observantia viget, sed libera cuique permitta est vivendi ratio*: ille sine dubio injuriosè loqui de illo ordine censendus esset; quia sic loquens tali ordini injuriam irrogaret maximam. Vel aliter sic, propositio injuriosa eam dici, qua infertur injuria Principibus, sive Ecclesiasticis, sive Sacerdibus, alijsve personis, Collegijs, vel Universitatibus, &c. Probatur ex ipsa nominis etymologia. Nam *injuria* eo sic dicta est, quia *non jure fiat*. Et Ulpian. l. 1. ff. de *Injur.* & *Fam.* libell. dicit, quod *injuria fieri potest facto, vel verbo*. *Dum verbo sit, dicitur convicium:* & dum coram injuriato sit, dicitur *contumelia*: dum verò facto sit *injuria*, ad nos non attinet qui solim loquimur de propositionibus, & doctrinis.

36. Dubitab. 9. *Quando aliqua persona est suspecta de Hæresi?* Respond. quod suspecti de hæresi sunt in triplici differentia: quidam leviter suspecti; quidam vehementer; & quidam vehementissime, sive violenter. Signa autem eorum, qui suspecti judicantur,

latissimè referuntur ab *Emmennentissimo Lauræ*, tom. 2. de *Fide*, disp. 16. art. 1. per tot. Signum verò generalius suspicionis, & regula in praxi ea est, suspectum fore de Hæresi, qui ea facit, quæ solent facere hæretici: quapropter suspicione erit major, vel minor conformiter ad ea, quæ in suspecto videntur. Multa quidem signa suspicionis in genere sumi possunt ex *Genes.* 38. v. 15. Et

1. *Reg.* 22. v. 15. Et *Job.* 15. v. 21. Et 2. *Machab.* 3. v. 30. & cap. 4. v. 34. Et *Actor.* 25. v. 18. Præterea, de suspicione levi loquitur *Alexand.* IV. in cap. *Accusatus de hæret.* in 6. Si autem levis, &c. Insuper, in quolibet agibili dicatur suspectus de aliquo facto, qui aliquid facit habens connexionem aliquam cum facto, ut ex praxi criminali clarum est. Sic, si viderimus Titium ritum aliquem Judaicum exercentem; vel juramentis Judæorum utentem, et si alias diceret, se esse Catholicum, haberemus eum suspectum de Judaismo. Et si quis diceret Spiritum-Sanctum esse Ministrum Patris, licet etiam diceret quod est Deus, esset suspectus de hæresi Macedonij. Præterea, si quis diceret, inutile esse circumferre per Plateas Sacramentum Eucharistia in solemnitate Cor-

poris Christi, (hoc exemplum adducitur à Lorca, disp. 60. num. 10.) etiam si diceret, Christum esse veré, & realiter sub speciebus panis, & vini, foret suspectus de hæresi negantem realem præsentiam Christi in Eucharistia. Coeterum, si quis frequenter deridet instituta Regularium, etiam si fateretur non esse mala, fore de hæresi suspectus. Et sic de alijs similibus.

37 Alia quamplures malas hujusmodi qualitates propositionum in rebus Theologicis, ut sunt *superstitione*, *arrogans*, *vana*, *stulta*, *insana*, *improbabilis*, *judaica*, *pagana*, *Atthea*, quæ non sunt propriæ censuræ Theologicæ, vel saltem non multum in usu, & quia ex ipsius vocibus vel terminis facile cognoscuntur, omittuntur.

QUÆST. VI.

*IN QUA RESOLVUNTUR
aliqua dubia circa Mar-*

*I D*iximus supra, quod externa fidei confessio obligat in aliquibus casibus cum periculo vitæ. Nunc ergo videndum est, an sine Martyres, quotquot vitam perdunt propter fidem?

2 Dubitabis 1. *Quid sit Martyrium?* Respond. Martyrium rigorosè sumptum est confessio fidei cum persecuzione mortis à persecutore, illata in odium fidei. Patet ex Apost. ad Hebr. 11. ibi. *Sancti per fidem, &c.* Et S. Cypriano lib. 3. ep. 6. ibi. *cum voluntati nostre, & confessioni in carcere, & in vinculis accedit terminus moriendi, consummata Martyrij gloria est.* At martyrium late sumptum, & incruentum, juxta mentem SS. PP. est quodlibet grave incommodum perpessum, sive per deomonem, sive per mandatum, sive per concupiscentiam in exercitio alicujus heroicæ virtutis. Sic tenent expreſſe S. Hieronym. in epist. ad Demetriad. *de virginitate servanda.* S. Ambros. in Psal. 118. Octon. 21. ibi : *Multis persequentes me.* Et S. Joan. Chryſoft. in orat. de S. Barlaam, ibi : *Evidem ſcio, &c.* Et S. Aug. in ſerm. de S. Laurent. 32. ibi : *Quotiescumque bonis actibus, &c.* Insuper Martyrium nomen græcum est, quod significat *confessionem*, ſeu *testimonium* Deo datum per passionem, aut mortem pro ipso toleratam. Dixi *per passionem*; quia antiquitus Martyres etiam vocabantur, qui aliqua supplicia pro fide substituerant.

Dixi *pro Deo* : nam non *pœna*, ſed *cauſa* Martyres facit. Pœna est communis Latroni, & Martyri, Hæretico, & Catholico, qui omnes mortem pati poſſunt; ſed diſpar eſt cauſa; quia Martyr moritur ut testis, hoc eſt, pro tuenda divinitate, aut fide Catholica.

3 Dubitab. 2. *Qui ſunt Martyrij effectus?* Resp. cum Martyrium Baptismo comparetur, gratiam confert tam parvulis, quam adultis, & hos ultimos penitus purgat ab omni culpa tam mortali, quam veniali, niſi voluntatem actualiter peccato inherentem habuerint. Secundo remittit peccatum originale cum omnibus alijs, ſi quæ ſint, & hoc ex ſpeciali privilegio, aut publica protestatione à Christo facta: *Qui perdidit animam ſuam, id est vitam ſuam, propter me, inveniet eam*, Math. 16. v. 25. Et quidem *ex opere operato* ut docent nonnulli: Et patet in parvulis ab Herode occisis in quibus Martyrium non potuit cauſare gratiam *ex opere operantis*, defectu uſu rationis. Unde de Martyribus dicitur: *Laverunt ſtolas suas in sanguine agni*, Apoc. 7. Et idcirco Ecclesia Innocentes à temporibus Apostolorum ſempre coluit ut veros Martyres. Tertio tandem Martyrium

remitit omnem penam peccato debitam, tam aeternam, quam temporalem. Et quidem infallibiliter, quatenus nempè Christus voluit, ut Martyri initatori sua passionis remittatur tota culpa, & pena. Hinc Aug. clarè confitetur injuriam facere Martyti eum, qui orat pro Martyre, cujus debemus orationibus commendari, serm. 17. de verb. Apost.

4. Dubitat. 3. *Que acceptatio mortis requiritur in adulatis ad Martyrium?* Respond. Ut mors Martyrem faciat, requiritur, quod sit ab eo acceptata; quia adulto non datur gratia nisi volenti, nec Deus in suam amicitiam admittit, nisi in illam aliquomodo consentiat, ut patet in sacramentis, ad quorum valorem requiritur intentio, & consensus suscipientis. Resp. 2. Talis debet esse, ut Martyr non se defendat, aut resistat; quia alioquin non satis Christo se conformaret, qui ut habetur 1. Petri 2. *Cum pateretur, non commingebatur.* Et Isai. 53. *Quasi agnus coram tondente se obmutu*t*.* Hinc Catholici milites, qui in bello sancto contra Turcas, fidei causa, pugnant, occiduntur, non sunt Martyres. Nunquam enim tales pro Martyribus agnovit Ecclesia, licet plurimum mereantur. Si aliqui SS. Patres quo-

dam Santos Confessores vocent Martyres, loquuntur de martyrio per quandam similitudinem.

5. Respond. 3. Mors debet esse etsi sponte electa, attamen violenta & injusta, à Tyranno veritatem, & justitiam, aut aliquam virtutem persequebitur illata. Unde infuritur, qui se exponunt pro servitio pestiferorum, & in eo moriuntur, non sunt proprie Martyres; sed solum per quandam similitudinem: *Qui contempserunt vitam mundi, pervenerunt ad regna cœlestia.* Qui enim sic moritur maximam charitatem erga Deum, & proximum ostendit se habere, declarante Christo apud S. Joan. Majorem charitatem neminem se habere, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. Respond. 4. Causa mortis debet esse honesta, ex motivo supernaturali, cum sit actus virtutis: quia si non sit causa honesta erit martyr diaboli, non Christi. Si non sit ex motivo supernaturali, moritur non ut Christianus, sed ut Philosopher. Unde si quis mortem sibi in odium Christi illatam sustineret ob vanam gloriam, ut constans, & fortis appareret, non esset martyr. Igitur ut aliquis sit verus martyr debet mortem pati ob honestam causam; qualis est conservatio dei,

dei, religionis, castitatis, immunitatis Ecclesie, vel ob aliam qualemcumque christianam virtutem.

6 Dubitabis 4. *Quæ dispositio requiratur ad Martyrium?* Respond. In homine justo, & in gratia Dei existente non alia requiritur dispositio, quam ipse status gratiae. Quod si quis non foret baptizatus, tenetur ante Martyrium suscipere baptismum, si occasionem haberet. Quod si negliceret, non haberet gratiam per martyrium, neque per Pœnitentiam. Si vero baptizatus sit, & in peccato mortali, tenetur si potest peccata confiteri, etiam si per contritionem deleta, si necdum fuerint clavibus subiecta. Item tenetur conari elicere actum amoris Dei super omnia, & contritionis, saltē si peccata occurrant: subiturus enim Martyrium non liberatur ab obligationibus, quæ sunt omnibus *etiam justis* communes. In peccatore, præter acceptationem mortis, requiritur pœnitentia, seu dolor supernaturalis de peccatis, vel formalis, vel saltē virtualis. Colligitur ex Conc. Trident. ubi less. 14. can. 1. declaratur, pœnitentiam universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam consequen-

dam necessariam esse; etiam illis qui baptismi Sacramento ablui petivissent. Si ergo semper necessaria fuit pœnitentia ad effectum baptismi, & Sacramenti pœnitentiae, à fortiori requiritur ad effectum martyrij, cum dicta Sacra menta sint media per se instituta ad justificationem peccatoris, non Martyrium.

7 Dubitab. 5. *Quid esset de illo qui existens in peccato mortali, & dormiens in odium Christi occideretur?* Respond. Actum esset de salute ipsius, supposito quod ante somnum peccatum non retractaverit, nec actum doloris, seu contritionis, aut saltē attritionis elicuerit. Sicut enim baptismus in re, vel in voto est ad salutem necessarius his qui ante peccaverunt; ita & pœnitentia his qui peccaverunt post baptismum. Nam qui dixit: *Nisi quis renatus fuerit, etiam dixit: Nisi pœnitentiam egreditur, omnes peribitis.* Ita ut si quis morem pro Christo subiret, & actualiter adhæreret peccato mortali, aut cum iam in martyrij agone constitutus esset, peccata in mentem ipsius venirent, & de ijs non doleret, non salvaretur, sed ad infernum descenderet: *Nihil enim coquinatum intrabit in Regnum Cœlorum,* Apoc. 11.

Dormiens autem in peccato lethali est coquinatus : g. Si tunc occidatur , non admittetur in Regnum Cœlorum . Quamquam eo ipso quo quis mortem obiret ob Dei causam , ipsamet Martyrij susceptio voluntaria esset actus amoris , quo præcepto divinæ dilectionis satisfaceret .

8 Unde suadendum est omnibus Catholicis , ut ante quam mortem subeant , actum amoris Dei eliciant , quam poterunt perfectissimum : immò ad id tenentur , in quantum in mortis articulo urget præceptum amoris Dei , & morituri ex charitate erga se ipsos tenentur quām possunt certissime suā saluti consilere : *Si corpus meum tradidero , inquit Apostolus , ita ut ardeam , charitatem autem non habuero , nihil mihi prodest , Corinth.* 13. Item suadendum est omnibus , & singulis , ut frequenter in vita se Deo offerant , ad subeundum pro Christo martyrium , quod maximæ charitatis indicium est . Etenim nulla securior via perveniendi ad coronam immortalem , quam pro Christo mortem subire . Idcirco Ecclesia in solemnitatibus Martyrum ita canit : *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum , qui Christi vestigia sunt secuti ; & quia pro ejus amore sanguinem*

Tom. III.

suum fuderunt , ideo cum Christo exultant sine fine . Hoc est , in ruerunt habere coronam illam perpetuam , quia tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia .

9 Dubitabis 6. *Quinam heretici Martyrium improbarerunt ? Respond . Plures numerantur : aliqui ut Cerinthiani blasphemi martyres afficiebant : alij negabant absolute meritorum esse martyrium . Basiliiani tempore Adriani Imperatoris , & Alexandri Papæ Primi circa annum 224. stultum fore tempore persecutionis mori pro fide Christi profunda reputabant . Credebant enim vitam esse ita rebus omnibus præferendam ut ab unoquoque posset citra crimen Christus negari pro vita ipsa conservanda . Paulo post , anno scilicet 239. regnante Julio Maximo Imperatore , & Fabiano Pontifice Ecclesiam regente eamdem hæresim amplexi sunt Elchesaitæ , sic dicti à quodam Pseudo Prophetæ nomine Elchesæ . Hi dicebant , negare Christum non esse peccatum , ac proinde Martyrium nedum esse superfluum , immò perniciosum , & de genere homicidij ; quia putabant velle mori pro Christo idem esse , ac velle se occidere inordinate , & indebitè . Et idem asserebant , nullum hominem posse*

assequī vitam æternam moriendo, etiam ex motivo dilectionis Dei, & charitatis; quia, ut dicebant, hæc dilectio non dispensat in præcepto *Non occides*. Eorum ratio erat; quia, qui in corde suo fixus est se in fide permanfurum, potest Christum lingua negare tempore persecutio-nis, &c. At hæc ratio est impia, ut colligi potest ex supradictis gratiæ, & benedictionis affectibus martyrio annexis, qui certè non nisi a causa bona, & Deo grata provenire possunt.

10 Dubit. 7 *Si conservatio vitæ sit homini naturalis, qua ratione potest inculpabili-ter se voluntariè martyrio exponere?* Respond. Quia martyrium, quod est actus virtutis quadruplicis, scilicet, Fortitudinis, Pacientiæ, Charitatis, & Fidei, quo ad vitam æternam pervenitur, prævalet conservationi vitæ corruptibili-
lis, absque eo, quod violetur præceptum, *Non occides*. Nonne licet civibus pro defensione Reipublicæ mori, & militibus pro defensione Regis, etiam cum vitæ periculo, militare? A fortiori licebit nobis expo-nere vitam, dum urget neces-sitas tuendi existentiam, & ve-ritatem authoris vitæ, quippè cum ab ipso, & in ipso vivamus, moveamur, & simus, cer-tumque habeamus testimonium

de gloria cœlesti statim in æternum consequenda.

11 Dubit. 8. *Si quis pro suis peccatis, & Cœlo securius acquirendo se ipsum interime-ret, esset ne Martyr?* Respon-detur negative: sed verus ho-micida foret. Refert August. lib. de Hærel. cap. 69. quod anno D. 349. tempore Con-stantij Imperatoris, & Julij Papæ, quidam hæretici, Cir-cumcelliones dicti, terram cir-cuirent, ut ille qui eos inveniret, occideret eos. Immò si quibus occurrerent, ipsos co-gebant ad tantum nefas per-pe-trandum, quod tamen rem me-morabilem, & honorabilem falso existimabant; credentes ad mar-tyrium nihil aliud requiri præ-ter occisionem, illumque esse Martyrem, qui ab alio occi-sus esset, quacumque ex causa. Dum verò non inveniebatur, qui vellet occidere eos, per mortes varias, maximè præci-pitorum, aquarum, & ignium se ipsos necare confueverant. Et in hunc furorem alios seduce-bant, ut se ipsos occiderent si vellent pervenire ad palmarum martyrij. Petilianus secta Do-natista pariter sustinebat eos, qui se pro peccatis interimunt, debere Martyres nuncupari, eo, quod in se puniant delicta, quæ commisserunt, & moriantur pro eo, pro quo mortuus est

Chris-

Christus, scilicet, pro peccato. Sed

12 Contra est 1. Nam quod Deus ob peccatum commissum non exigat à delinquente mortem sui corporis, sed penitentiam, patet ex illo. *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat.* Contra 2. Occidens se ipsum, aut petens ab alio occidi non potest esse Martyr; quia martyrium pro objecto Deum habet. Unde, mori pro se, aut pro alio motivo distincto à Deo, non potest habere vim, nec naturam martyrij, cum non interficiatur pro ejus gloria, adeoque potius homicida est, quam Martyr. Deinde, Deus hoc præcepto, *non occides,* quamlibet hominis occisionem prohibet, si excipiatur illa, quæ sit ex mandato Judicis in vinclam malefactorum, juxta illud: *Maleficos ne patiaris vivere,* Exod. 22. v. 18. Unde, si non licet occidere alium, multo minus licebit se ipsum occidere, aut velle occidi ab alio, præciso motivo charitatis, aut sublata necessitate profundi fidem Christi.

13 Confirm. ex Aug. dicente: *Vide ne tibi subrepas, ut te ipsum velis occidere, sic intelligendo, quod debes odire in hoc mundo animam tuam.* Hinc enim quidam maligni at-

que perversi homines, & in se ipsis crudeliores, ac sceleratiores homicidae, flammis se dominant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereant. *Hoc Christus non docuit;* immo etiam diabolo sibi præcipitium suggestenti respondit: redi retro Satanam, Scriptum est enim, non tentabis Dominum Deum tuum. *Petro autem dixit:* Cum essem junior :: ibas quo volebas, cum autem senueris, alter te feret quo tu non vis: *Ubi satis expressit, non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi,* Tract. 51. in Joann.

14 Dubitat. 9. *Qua ratione ergo Ecclesia celebrat martyria quarundam Virginum, & Confessorum, qui se ipsis influmen, aut ignem projecterunt?* Respond. Verum est, quod plura referantur exempla, tam in Veteri Testamento, quam in Ecclesiastica Historia. Fortissimus Samson seipsum cum hostibus ruina domus oppressit. Quod si de facto hoc laudetur, hoc est, inquit S. August. & S. Thomas; quod latenter Spiritus sanctus hoc jussérat, qui per illum miracula faciebat. Idemque de Sanctis quibusdam Virginibus, & foeminis, quæ sibi ipsis mortem procurarunt, ut S. Apollonia, S. Pelagia, ejusque Sorores, & Mater, &

nonnullæ alia ; quas , ut inse-
catores suæ pudicitia devitarent
tempore persecutionis , specia-
li Spiritus-Sancti impulsu mor-
tem sibi ipsis procurasse pîe
creditur. Et hæc exempla sus-
cipienda sunt , non imitanda:
„ Nec violemus præcepta , dum
„ paßim sectamur exempla.
August. lib. contra Mend. c. 9.

15 Nullus potest se ipsum
morti tradere , nisi ei con-
fet ex Dei revelatione. Nemo
tamen facile huic revelationi
credere debet , & nisi sit evi-
dens utilitas Ecclesiæ , cultus
que divini , rejicienda est tam-
quam illusio diaboli. Sic neque
in pœnitentiam alicujus pecca-
ti commisi potest quis sibi mor-
tem injungere. Pœnitentia enim
fieri debet , juxta præscriptum
Ecclesiæ , & non juxta exem-
plum Judæ proditoris , qui pœ-
nitentia duetus *laqueo se suspen-*
dit. Hanc autem occisionem
faisse factam propter peccatum
commissum , constat ex propria
ipius confessione : *Peccavi tra-*
dens sanguinem juxtam. Et ta-
men Judas , non obstante hac
morte , est damnatus. Neque
etiam , ad evitandum pericu-
lum proximum peccati , po-
test quis se ipsum interficere ,
quia debet expectare auxilium
à Deo , qui fidelis non permit-
tet nos tentari supra vires : ta-
liter , quod virgo proxime op-

primenda ab infideli , nequit
se interficere , ut conservet vir-
ginitatem. Non enim est cri-
men mulieris per violentiam
violatae , si consensus non ad-
sit : quia non inquinatur cor-
pus , nisi de consensu mentis ,
ut præclare testata est Lucia ad
Paschasiūm Præfectum , ad lu-
panar eam duci volentem ; cui
B. Virgo corde virili respon-
dit : *Si invitam jufferis viola-*
ri castitas mihi duplicabitur
ad coronam. In tali igitur casu
virgo , voluntate dissentiens , non
peccat , & remanet intrinsece
virgo , licet in corpore corrupta.

16 Dubit. 10. Utrum li-
ceat carnem macerare jejunijs ,
flagellis , vigilijs , & alia pœ-
nitentia modis , & instrumen-
tis , quibus citius mors infer-
tur ? Respond. Hæc omnia li-
cita sunt , & laudanda , mo-
dò tendant ad bonum spiritua-
le animæ , ut caro spiritui sub-
jiciatur , non autem ad mor-
tem , quæ omnibus prohibetur
hoc præcepto Decalogi , *Non*
occides. Apostolus de se ipso
dicebat 1. Cor. 9. *Castigo corpus*
meum , & in servitutem redigo.
Hæc autem servitus non erat
ad mortem , sed ad fugam pec-
cati , id quod est virtutis opus.
Falsum tamen est , inquit Nost.
Mastr. licere sic se macerare
ex intentione citius moriendi:
quia hoc esset direkte se sensim

occidere. Unde , si quis ad-
verteret vitam suam jejunis,
& macerationibus carnis nota-
biliter minui ; & nihilominus
continuaret , graviter pecca-
ret. Quod si moderate ijs aflic-
tionibus se afficeret ex inten-
tione placendi Deo , & sub-
jiciendi carnem spiritui , jam
diximus esse licitum. Quare , si
quis contra regulas prudentiæ
indiscretæ supra vires suas fese
cruciaret , & affligeret , unde
notabiliter vitam sibi brevio-
rem redderet , peccati homici-
dij reus esset , sic cit. Mastr.
disp. 10. q. 6. art. 2. Nullus
enim ita dominus est vité suæ,
ut possit se occidere , quin in-
juriam faciat Deo , qui est vi-
ta , & mortis Dominus. Me-
ritó igitur Concil. Bracarense,
cap. 34. eos damnat , qui se
ipsos voluntariè , & sponte oc-
cidunt , cum pro illis orare
prohibeat : *Placuit , ut si quis*
sibi ipsi voluntariè , aut per
ferrum , aut per venenum , aut
per præcipitium , aut per suspen-
dium , vel quolibet modo vio-
lentam inferunt mortem , nul-
la prorsus pro ipsis in oblatio-
ne fiat commemoratio.

17 Dubitat. 11. Utrum
hereticus occisus pro vero arti-
culo fid. i sit verus *Martyr?*
Idem interrogatur de schisma-
tico. Respond. negativé. Sic
expressé S. Cyprianus , lib. de

uitate Ecclesiae , contra Nova-
tianos , ibi : *Tales etiam si oc-*
cisi , &c. Et in Epist. 104. ait:
Martyrem non supplicium , sed
causa facit. Et S. Aug. lib. de
Fide Catechum , ibi : *Firmiter*
tene , &c. S. Gregor. Magn.
lib. 18. Moral. c. 14. ibi : *Qui*
de Deo perversa sentit , &c.
Confirm. ex Apost. 1. cor. 13.
dicente : „ Si tradidero corpus
„ meum , ita ut ardeam , cha-
„ ritatem autem non habuero ,
„ nihil mihi prodest : sed hæ-
reticus nec habet veram cha-
ritatem , nec veram fidem ,
ex alibi dictis ; ergo , &c. „ An
„ illi damnentur ? Affirmat S.
Fulgent de Fide ad Petrum , his
verbis : „ Firmissimè tene , &
„ nullatenus dubites omnem
„ hæreticorum diabolo , æter-
no ignis incendio , „ partici-
„ pandum , nisi ante finem vi-
„ ta Catholicae fuerit incorpo-
„ ratus Ecclesiae.

18 Dubitat. 12. „ An , si
„ catholico peccatori occiden-
„ do à Principe infideli prop-
„ ter delicta , offeratur libera-
„ tio , & vita , si neget fidem ;
„ ipse autem nollet fidem ne-
„ gare , sed mortem sustinere ,
„ sit verè martyr ? Respond.
quod si alias de peccatis suis
verè pœnituit , fuit verè Mar-
tyr. Ratio instat : Nam ex Aug.
„ Martyrem non facit pena ,
„ sed causa : sed talis Catho-



licus despexit vitam , & susci-
nuit mortem ob causam fidei,
ut supponitur in casu : Ergo
probabiliter defendi potest,
quod esset verè Martyr.

19 Dubit. 13. *An Marty-
rium cadat sub præcepto?* Res-
pond. Dari præceptum condi-
tionatum , & in præparatione
animi , scilicet , si casus con-
tendæ fidei ad illud adigeret.
Suadetur ex alibi dictis , quod
fidelis debet prius vitam expo-
nere , & offerre antequam defi-
ciat in fide. Præterea , de præ-
paratione animi agit S. Ambr.
in ep. 2. ad Cor. cap. 5. Et
Tertull. in Scorp. cap. 9. Non
verò datur præceptum absolu-
tum de Martyrio : quia nus-
piam in lege Evangelica reperi-
tur tale præceptum , quin potius
contrarium , Matth. 10.
Cum persequentur vos in Civi-
tate ista , fugite in aliam.

20 Dubitab. 14. *Quot sint
gradus Martyrij veri?* Resp.
esse quatuor. 1. Infantium oc-
ciso , sicut Innocentes abimatu-
& infra , de quibus Origines ,
Hom. 3. in Matth. 2. Marty-
rum desiderio : De his agit S.
Cyprian. tract. de Mortalit. Hi
enim pro Christo mori parati
sunt , ardenter id appetunt , om-
nem adhibent diligentiam , vel
ut mittantur , vel missi , ut
Evangelicent , & non martyrio
voluntas , sed voluntati Mar-

tyrium desuit ; ut de S. Didaco
canit Ecclesia. 3. Eorum , qui
in tormentis non moriuntur;
tamen applicata fuerunt eis
tormenta , vel ærumna pro con-
fessione fidei : De his agit Ter-
tull. in Scorpiano , cap. 8. ubi
tres pueros Hebræos , Martyr-
es appellat , ibi : *Proinde , &
trina fraternitas , &c.* 4. Eu-
rum , qui propter fidem , vel
propter aliquam virtutem à fi-
de dictatam , mortem in effec-
tu sustinent , vel in cruciatibus ,
vel post virtute cruciatuum , vel
per ærumnas inflictas. De his
agitur Apoc. 2. ibi : *Antipas
testis meus fidelis , &c.* Et Ac-
tor. 7. ubi de S. Stephano. Et
S. Cyprian. lib. 3. ep. 6. *Si au-
tem inquiras.* Verum , si quæ-
sieris , quando fiat Martyr , qui
tormenta sustinet , & miraculo-
sé ejus vita conservatur à Deo?
Respondeo cum Subt. Doct.
Scoto ; quod in illo ipso instan-
ti , in quo naturaliter morcre-
tut vi tormenti : nam alias , si
non moritur , est quoniam per
miraculum à Deo conservatur.

QUÆST. VII.

*AN SIT , ET IN QIBUS
obligatio de propaganda
fidei?*

I **D**e propagatione fidei
agit Subt. nostr. Doctor. in 4. dist. 3. q. 4. Nos ve-
rò

rō brevitate possibili aliqua dubia cum nostro Arbiol resolvemus.

2 Supponendum est 1. quod primus propagator Fidei Catholicæ fuit Christus D. Ipse quidem exitit authoritativus Fons, & Origo, Seminator, & Propagator legis Gratiae. Suadetur ex Luc. Acto. 1. ubi ait: „Primum quidem sermonem feci de omnibus, à Theophili, le, quæ cœpit Jesus facere, & docere. Ergo primus Doctor authoritate, & exercitio ad propagandam Catholicam legem fuit Dominus, qui cœpit facere, & docere. Confirmari potest ex innumeris Sacrorum Evangeliorum locis, ubi dicitur: „Docebat eos... Erat in Synagoga docens... Erat in Templo docens, &c.

3 Supponendum est 2. quod post Christum D. Propagatores fidei Catholicæ fuerunt Apostoli. Patet ex Sacra Scriptura juxta illud: „In omnem terram exivit sonus eorum, & in finis orbis terræ verba eorum. Et juxta illud Pauli: „In omni Ecclesia doceo. Et in Evang. Marci cap. 16. v.20. „Ipsi vero profecti prædicaverunt ubique: Domino cooperante, & sermonem consequente sequentibus signis. Post Apostolos, & tempore Apostolorum numerandi

sunt inter Principes fidei Propagatores Septuaginta duo Discipuli Domini.

4 Inquires: „Quo anno „Romam pervenerint Petrus, „& Paulus? Respond. Petrum Romam intrasse ann. 44. & statim cœpisse prædicare, ut refert, & probat Eminentis. Laura, tom. 2. à n. 60. Paulus autem Romam advenit anno Christi 59. ex Baron. cod. ann. & exceptus a Christianis, qui erant à Petro conversi, disputabat cum Judæis multoties à manè usque ad vesperam. Videatur Baronius anno citato.

5 Suppon. est 3. quod circa annum Christi 140. per omnes totius Orbis Nationes, ac Regiones erat dilatata Christiana Fides, & in omnibus aderant Ecclesiæ, seu Cœtus fidelium. Suadetur ex Scriptoribus Ecclesiasticis à Baronio re-latis eodem anno. Adest in super testimonium Justini Martyris, qui tunc florebat, in *Dialogo cum Triph. & Irenai*, qui in eodem saeculo vixit, lib. 1. cap. 3. „Etsi in mundo loquela dissimiles sint, &c. Et Tertulliani in Apologet. cap. 37. „Exteri sumus, & vestra omnia implevimus, &c. Loquitur ad Gentiles. His suppositis, sit

6 Conclusio 1. „Omnes Episcopi tenentur prædicare „fi-

„ fidem in suis Diocesibus, tam
 „ infidelibus, gentilibus, & Ju-
 „ daeis, quam haereticis, vel
 „ per se, vel per idoneos Mi-
 „ nistros. Probatur Conclusio.
 Apostoli habuerunt hoc praeceptum, ut constat ex ultimis capitibus Matth. & Marci: Sed Episcopi succedunt loco Apostolorum, ex Clement. I. ep. 1. & ex Anaclet. I. ep. 2. & habetur in can. *In novo dist. 21.* ibi: „Apostoli juvente Domi-
 „ no, &c. g. &c. Confirmatur,
 ex Jerem. 34. „ Quod infir-
 „ mum fuit, &c. & ex Apost. ad Tit. cap. 1. „ Oportet Epis-
 „ copum esse Doctorem, &c. Præterea, suadetur ex Joann. 10. v. 16. ubi Dominus ait:
 „ Alias oves habeo, quæ non
 „ sunt ex hoc ovili, & illas
 „ oportet me adducere, &c. Ex Aug. contra Epist. fundam.
 cap. 14. in fine: „ Oves iste
 „ sunt gentiles: g. exemplo Christi idem dicere debet Episcopus: g. si in territorio aliquius Episcopi sunt Infideles, Gentiles, Judæi, vel Haeretici, tenetur per se, vel per alios illis evangelizare.

7. Confirmatur. 2. Nam tanta est obligatio Episcoporum circa haeresum extirpationem, ut pena privationis etiam sit eis imposta, si in hoc negligentes reperiantur, ex Conc. Later. IV. cap. 3. & nunc ha-

betur in cap. *Excommunicamus*, §. fin. de Haeret. g. &c. Videatur Concil. Trid. sess. 5. de Reformat. cap. 2. & sess. 24. de Reformat. cap. 4. ubi dicit, præcipuum munus Episcoporum esse prædicare. Confirmatur 3. ex Gregor. Magno in ep. ad Januarium Episcopum Calaritanum, lib. Regist. 20. ubi incolcat Episcopis onus prædicandi Evangelium Infidelibus; & reprehendit aliquorum in hoc obeundo negligentiam. Confirm. 4. ex Concil. Tribunien. I. cap. 32. ubi ait, quod *Episcopis sunt creditæ animæ Populorum*: g. quæcumque sint animæ, sive Infidelium, sive Haereticorum, dummodo intra terminos Episcopatus commorrentur, tenetur Episcopus per se, vel per alios eis fidem prædicare.

8. Conclusio 2. *Episcopus tenetur persequi Hereticos omnibus medijs à jure prescriptis.* Probatur conclusio, ex Gregor. I. lib. 4. epist. 1. can. *Quando*, 23. q. 4. & ex August. tract. 11. in Joan. Ex can. *Qui peccat*. Et si Episcopus haereticos non persequitur, Episcopatu privatur, & alias subrogatur, ex cap. *Excommunicamus*, §. fin. de Haeret. Ad hæcque perficienda debent invocare brachium Principis Secularis, can. *Nostri adversus*, 23. q. 3. Quo-

Quomodo autem procedere debeant Episcopi contra hereticos? Jam dispositum Jus Canonicum, in tit. de Hæret. Cod. in 6. atque Clementinis. In Hispania quidem, & ubique sunt Tribunalia fidei Inquisitionis, munus Episcoporum quo ad partem levamen aliquod accepit, instat vero semper prædicandi præceptum, vel per se, vel per alios in omnibus sui territorij Civitatibus, & Populis, omnibusque in eis degentibus, sive fidelibus, sive infidelibus.

9 Conclusio 3. *Episcopi in partibus fidelium existentes non obligantur ex justitia adeundi partes infidelium, vel ad eas mittendi, ut eis prædicetur Evangelium.* Probatur hoc: Nam nullo Jure, nec Divino, nec Naturali, vel Canonicō videtur eis imposita talis obligatio. g. &c. Probatur antec. Quoniam de Jure Divino Solis Apostolis impossuit Christus D. præceptum prædicandi Evangelium in Universo Mundo, ex Matth. & Marc. ult. cap. Ex Jure Naturali satis liquet non esse obligatos: quoniam nec quilibet Episcopus est destinatus Magister totius mundi, nec a toto mundo sustentatur, sed a sua Dioceesi. De Jure Canonico est manifestum: Nam cuilibet Episcopo est præscriptum

Tom. III.

territorium, eique non est permisum extra eum exercere manus aliquod Episcopale, ex Concil. Constantinop. 1. can. 3. Obtenta vero Apostolica Summi Pontificis benedictione, non nulli Episcopi sive requisiti a Principibus, aut Populis, aut exponente ex Dei inspiratione; vel in persona adierunt ad prædicandum in partibus Infidelium; vel alios Missionarios ad id munieris destinartunt. Hoc facillime suadetur: nam passim in Ecclesiasticis Chronocis hujusmodi reperiuntur Sanctor. Episcoporum Historiae. Videatur. Baron. ann. 183. 396. 400. 565. 698. 700. & alibi. Advertendum vero, quod Gregor. XIII. per litteras in forma Brevis datas ann. 1585. die 28. Januarij, ut refert Constit. Urbani VIII. Ex debito data 22. Februarij 1633. interdixit omnibus Patriarchis, & Episcopis, Clericis, & Ministris Ecclesie, tam Secularibus, quam Regularibus cuiuscumque Ordinis, ne ad Provincias Japonicas proficiendi auderent ad prædicandum, &c. propter quod Missiones ad eas Infidelium partes est Jus solius Romani Pontificis, & non alterius.

10 Conclus. 4. *Romanus Pontifex habet jus prædicandi Fidem omni hominum Nationi per se, vel per alios Missionarios.* Proba-

tur conclusio ex Joann. 21. ubi Christus ait Petro: *Pasce oves meas*: sed omnes homines, sive credentes, sive non credentes, sunt oves Christi, g. &c. Prob. min. ex Joann. 10. v. 16. ubi etiam Dominus ait: *Habeo alias oves, quae non sunt ex hoc ovili, quas oportet adducere, & fieri unum ovile, & unus Pastor*: sed D. Aug. super hoc asserit, & exponit alias oves esse gentiles, tract. 47. in Joann. *Gentes dicam esse illas alias oves, de quibus loquebatur Christus*: Ergo dum Christus ait Petro, *pasces oves meas*, ius ei dedit prædicandi, & pacendi omnem hominum Nationem, quæ sub Cœlo est: g. &c. Confirmatur 1. ex Act. cap. 10. ubi in linteo de Cœlo demisso, pleno animantibus immundis, significata sunt gentes: g. &c. Confirmatur 2. ex Joann. III. epist. unic. ubi S. Petro omnes creaturæ, tanquam oves suæ sunt traditæ. Et ex Gregor. I. lib. 7. ep. 97. ubi ait: *Sancto Petro per clavum traditionem omnes creaturæ sunt traditæ*. Et ex Can. *Sacrosancta, dist. 22. Petrus dicitur est Cæphas, quia caput omnium hominum*: sed Summi Pontifices succéidunt Petro in omni potestate: g. &c.

11. Confirmatur 3. Nam vinea Domini est uora hominum

collectio: sed Christus, illuminat omnem hominem ueniens in hunc mundum: non est Judeus, & Gentilis, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, servus, & liber; sed omnia in omnibus Christus: vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire: g. omnes homines pertinent ad ovile Christi. Atqui legitimus Pastor in terris est Summus Pontifex: g. &c. Præterea, Sunim. Pontifex jus habet cogendi hæreticos, ut ad Fidem Catholicam reddeant, ex Leone I. in Conc. Rom. I. Et Fabian. epist. 1. & lib. 6. Constit. Apostolic. cap. 18. & 25. Postmodum, Romanus Pontifex tenetur omnem curam adhibere, ut Evangelij prædictio perveniat in partes infidelium, in quibus, vel forte non est adhuc prædicatum; vel si olim fuit prædicatum, desperita est ejus memoria, vel per hæreses fides depravata est. Suadetur hoc est Constit. 26. Gregor. XV. *Inscrutabili, qua Congregatione de Propaganda Fide instituit, & aperte confitetur hanc Papæ obligationem ex Sacr. Scriptura; quam per extensum transcribit Emin. Lauræa, disp. 17. de Fide, art. 8. n. 440. Idem onus, & obligationem agnovit, & pluries confessus est Urban. VIII. const. 64.*

Zelo domus, &c. Ad hoc instituta sunt tot Missionariorum Collegia in Urbe, & extra Romanam, ubi instruuntur, & præparantur habilissimi juvenes, & parati sunt Viri consumati obedientia promissa Venerabili, & Emin. Sacro Collegio de Propaganda Fide, ut mitti possint ubicumque fuerit opus. Præterea, omnes Romani Pontifices agnoverunt obligationem relatam, ut latissimè probat cit. Lauræa: g. &c.

12 Dubitabis 1. *An, & à quibus prohibi debeant libri hæreticorum?* Respond. quod ab initio Ecclesiæ prohiberi cœperunt, immò & comburi publicé per Ecclesiæ Pastores libri falsorum dogmatum hæreticorum, & Gentilium. Constat ex Acto. 19. v. 19. ubi ex Apostolorum mandato legimus hujusmodi libros fuisse combustos: *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combufferunt coram omnibus.* Et computatis pretijs illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta milium. Hos libros fuisse Magiæ videtur apud Expositores. Ex factis Conciliorum confirmatur resolutio, à primo Concil. Niceno, ex Baron. ann. 325. Et licet aliquando Imperatores, ac Reges libros hæreticorum, & Gentilium prohibuerint: ex of-

ficio tamen, ad Ecclesiæ Pastores attinet eorum prohibitio: nam præcipuum Pastorum Ecclesiæ munus est, oves suas à pascuis noxijs arcere, & nihil noxijs hæretica doctrina; ex Apost. ad Timoth. 2. cap. 2. v. 17. ubi ait: *Sermo eorum, ut cancer serpit.* Vid. Baron. ann. 325.

13 Dubitab. 2. *Utrum hæreticorum libri unam tantum hæresim continent, sint prohibiti?* Respond. affirmative. Et probatur: nam litteræ Bullæ Cœnæ Urbani VIII. Corst. 62. Pastoralis, §. 1. sic habent: *Excommunicamus legentes hæreticorum libros hæresim continent, vel de Religione tractantes.* Verum alij hæreticorum libri hæresim non continent, nec de religione tractantes prohibiti non sunt: nam Regula 2. Indicis, sic ait: *Hæreticorum libri, qui de Religione non tractant, à Theologis Catholicis, iussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati, & approbati permittuntur: g. &c.*

14 Dub. 3. *An sit differentia inter libros prohibitos?* Respond. affirmative, Duplex statuitur librorum prohibitum clas. In prima, ponuntur libri hæreticorum tractantes de Religione, vel hæresim continent. In secunda verò, libri cuiusvis authoris, etiam Ca-

tholici , qui prohibentur propter doctrinam , quam continent , falsam , non sanam , suspectam , offensivam , scandalosam , &c.

15 Dubitabis 4. *Quinam libri dicantur tractare de Religione , vel hæresim continere?* Respond. Hæresim continet , qui aliquid docet contra aliquem articulum fidei , v. g. Septem non esse Sacra menta : Sub speciebus panis , & vini non esse Corpus Christi : Pontificem Romanum non esse verum Christi Vicarium , & Petri successorem , &c. De Religione tractat qui de ijs agit , quæ ad fidei expositionem spectant , in quibus Divina Scriptura , aut aliqua pars illius explicatur ; aut , qui tractant de Theologia Scholastica , vel Morali , vel de aliqua illius parte , aut agit de cultu , Deo , & Sanctis debito ; de Sacris Ritibus ; de Clericis ; de Monachis , & Prælatis ; de visibili , & invisibili Ecclesia. Hæc omnia ad Religionem Catholicam spectant.

16 Dubitab. 5. *An , & qua pœna ligetur , qui legit hæreticorum libros , hæresim continent , vel de Religione tractantes ?* Respond. Ligatur excommunicatione in Bulla Cœnæ , reservata Pontifici : nam in ejus primo Canone excommunicant , scienter abque Sedi Apostolice licentia , le-

gentes , aut retinentes , imprimentes , seu quomodolibet defendentes , publicè , vel occultè libros hæreticorum hæresim continent , vel de Religione tractantes . Et quia loquitur per disjunctivam , vel sufficit , quod aut hæresim contineat , vel de religione tractet ; & necessè non est , quod ex instituto , vel ex professo de hæresi tractet ; sed sufficit unicam continere ; quia unam continens verificatur , hæresim continere : expressè tamen debet de Religione tractare , nec sat est obiter unam , vel alteram propositionem de Religione intermiscere cum materia diversa , quam ex instituto tractat. Discri men habes ex istis : *Hæresim continent , vel de Religione tractantes.* Quatuor itaque conditiones requiruntur ad excommunicacionem incurrendam . 1. Ut libri sint hæreticorum . 2. Ut hæresim contineant , vel de Religione tractent . 3. Ut scienter legantur , vel imprimantur , hoc est , cum notitia quod sint tales . 4. Ut fiat sine licentia Sedis Apostolicae .

17 Dubitab. 6. , , *An re quiratur quod author sit damnatus natus ?* Respond. negativè . Sed sat est ut sit hæreticus , sive damnatus , sive non : nam de hæretico non damnato , nec inqutorio vere dicitur , quod sit

hæreticus , & in Bulla absolu-
tè ponitur : *libros hæreticorum*.
Advertens in legendō , hære-
sim in libro contineri, etiam ig-
norato authore , tenetur cessa-
re ; quia licet ignorantia ex-
cusat à censura , tamen tunc
non ignoratur author , sed so-
lum certus , & damnatus.

18 Dubitab. 7. , Utrum
,, incurrat censuram , qui non
,, legit , sed audit legentem li-
,, brum prohibitum ? Resp.
quod licet non incurrat censu-
ram , quoniam ipse non legit;
tamen incurrit culpam , ob pe-
riculum , cui se exponit rumi-
nando dogmata falsa , vel alia
objecta prohibita.

19 Dubitab. 8., An scien-
,, ter legens librum hæretici ,
,, simul hæresim continentem ,
,, & de Religione tractantem
,, dupli excommunicatione in-
,, nodetur ? Respond. affirmati-
ve. Ratio est , quia alteru-
trum per se ad excommunica-
tionem sufficit : Ergo dum si-
mul concurrunt , duas indu-
cunt ; alioquin æqué puniendus
foret , qui duplicatam habet
in transgressione malitiam ,
quam , qui simplicem ; quod
non conceditur.

20 Dubitab. 9. , Utrum
,, qui cognoscit , se habere li-
,, bros prohibitos hæreticorum ,
,, possit ex semetipso eos com-

„ burere ; vel teneatur alicui
„ superiori consignare ? Res-
pond. quod tenetur Inquisitoris
bus consignare. Nam sic statuit
Pius IV. constit. 76. Cum pro-
munere. §. 4. cum enim.

21 Dubitab. 10. , An ad
,, censuram Bullæ incurrendam
,, sufficiat legere manuscripta
„ ab hæretico , si hæresim con-
,, tineant , aut de Religione
,, tractent ? Respond. affirma-
tive. Nam sunt verè libri : Un-
de excommunicantur , qui præ-
fatorum allegatos libros , vel
eorum partes legunt , etiam
in ea parte , in qua hæresis non
continetur. Item , si legatur
index libri , procæmum , & littera
ad lectorē , quia hæc sunt
pars libri ; quod debet esse in-
ter DD. commune , ut pote seu-
tentia tutior. Nam Index to-
tam libri summam amplectitur ;
procæmum , & littera ad Lec-
torem , ea , quæ in libro tra-
cantur , & Authoris mentem
aperiunt , in quibus legendis
est periculum perdendi fi-
dem.

22 Sed quid „ si legat fo-
„ lia , & fragmenta in librum
„ non congesta , seu tractatus
„ non integros ? Respond. Ea-
dem censura ligatur ; quia ve-
ré hæc sunt partes libri. Qui
librum prohibet , singulas ejus
partes prohibere reputatur;
ideo,

ideo , sicut in libro legi nequeunt; sic nec extra: maximè, quia in folijs , & fragmentis reperiri potest illa sola hæresis, ob quam liber erat damnatus, & periculum imminet semper infectionis hæresis , & erroribus hæreticorum succumbere, cui legens se exponit ; & quanvis Bulla libros nominet, non ideo excludit folia , & fragmen ta, quæ sunt partes libri ; alias in fraudem legis , per folia in volumen non redacta , tutò legi possent hæreses , & sic dis seminari. Exprimit itaque Bulla libros, quia eorum frequen tior est usus ; at nominatis ijs, etiam censentur , expressa alia, quæ ad hæc reducuntur : Rigori verborum standum non est, quoties præsumitur intentionem legis extendi , & speciem prin cipalem pro genere accepisse Laym. lib. 2. trat. 1. c. 15. maximè, quia difficile sit assignare, quænam foliorum quan titas librum constituat.

23 Dubitat. 11. , An ex cuseretur ab excommunica tione legens librum hæretici hæresim continentem , non malo animo , sed ex sola cu riositate , aut ad confutandos hæreticorum errores ? Res pond. negativé. Nam verifica tur , quod sine Apostolicæ Se dis licentia legat. Bulla non

considerat animum , sed fac tum; nec excusat , qui est ita in fide firmus , ut moraliter non sit periculum sequendæ hæresis : nec ille idem , qui librum composuit , etiam si ad detestanda , & retractandos er rores legat ; aut , si statim post ipsam scriptiōnem ipsum per currat , & pœnitiat : immò tunc , & ut hæreticus , & ut lector libri authoris hæretici continentis hæresim , duplici excommunicatione Bullæ innoda tur. Generaliter nullus omnino finis excusat ; sed semper est adhibenda licentia : nec curiositas ob imminens periculum , & inobedientiam Ecclesiarum ; quia graviter peccaminosa.

24 Dubitat. 12. , An ex communicatione Bullæ inno detur , qui librum hæretici hæresim continentem , ocu lis percurrit , cum advertentia mentis ad ea , quæ in ea scripta sunt, quanvis ore nil proferat? Respond. affirmati vē. Sousa Aphorismi Inquisit. lib. 1. cap. 21. n. 11. Carena de offic. Inquis. par. 2. tit. 10. num. 54. alijque. Nam secundum communem usum ille talis dicitur legere: nam legere secundum Ugolini non requirit prolationem verborum , sed solum , ut colligantur verba ad sensum per ci-

cipiendum, quod etiam mente efficitur. Nec dicatur, quod cum verba exteriū non proferat, ejus peccatum non videtur externum; adeoque, nec subjectum dispositioni Ecclesiæ, & censuræ Bullæ, quæ propter actum merè internum non fertur: nam illius peccatum est in his actionibus externum, aperitione libri ad legendum, in defixione oculorum, & revolutione foliorum, &c.

25 Dubitab. 13. „ An si „ legens librum hæreticum non „ intelligat id, quod legit? „ legit Rusticus librum lingua „ latina scriptum, sed, quod „ legit non percipit? Respond. Suarez excusat à Censura: nam illa non est lectura formalis, ad quam exigitur, ut percipiatur, quod legitur: & alias non est infectionis periculum. Sed negamus non innodari: adæquatus finis prohibitionis non est dumtaxat periculum errandi, sed eos Ecclesia prohibet, etiam in odium authoris, & hæresis detestationem. Unde legens, facit contra legem prohibitem. Hinc ad censuram incurrendam, non est necessé, quod legens formaliter legat, sed sat est, ut librum legat: alias, si lectio formalis necessaria foret, censura non incureret, qui eos retineret, &

non legeret, quod falsum est, ex Canone. Hæc sententia est tuitor; licet contraria non improbabilis.

26 Dubitab. 14. „ An par „, vitas materiæ in legendō ex „, cuset ab incursu hujus cen „, suræ? Respond. affirmative, etiam si liber hæresim contineat: nam est probabile in peccatis, quæ sunt contra fidem, ratione periculi infectionis, quale imminet legenti, dari parvitatem materiæ. Prohibet Ecclesia librum legere, vel communicationem cum hæreticis ob periculum, ne subvertatur Catholicus: si legas unam, vel alteram lineam; unum, vel alterum verbum proferas, dum desit grave periculum ex parvitate materiæ excusari: verum, etiam minima attenduntur, ubi grave periculum imminet. Furax obulum secundum se non est mortale, sed ob grave alterius damnum lethale ab omnibus dicitur. Legere unam, vel alteram lineam libri prohibiti, non est grave peccatum; sed unicam scienter legere, in qua hæresis continetur, gravissimum: nec censura vitatur, non modò, quia periculum infectionis imminet, verum etiam, quia cùm illa linea sit tota causa prohibitio- nis, inobedientia est gravis; nec

nec à peccato , & censura excusatur , qui scienter in libro prohibito , tractante de Religione , dimidium paginæ legit (& si sit magni voluminis minus sufficiat) nam inobedientia contra legem Ecclesie , quæ etiam damnat librum in odium authoris , gravis est .

27 Dubitab. 15. „ Quo-
,, modo Confessarius se gerere
,, debeat cum legentibus , &
,, retinentibus libros hæretico-
,, rum hæresim continentes , vel
,, de Religione tractantes ? Res-
pond. Absolvere non potest ;
quia Excommunicatione Bullæ
Coenæ ligantur , à qua , nisi
Summus Pontifex , aut alius de
ipsius autoritate absolvit . Item , injungat , ut libros In-
quisitoribus deferant , nec num-
quam absolvi debent (etiam
cum possit) nisi realiter , &
cum effectu eis , & in eorum
defectum , Ordinario libros con-
signaverint . Et interroget pœ-
nitentem , an sciat aliquos le-
gere , vel retinere , etiam in
alienis domibus , libros hære-
ticorum hæresim continentes ,
vel de Religione tractantes ? Et
dum affirmet , ei ante absolu-
tionem præcipiat , ut Inquisi-
toribus eos infra mensuram de-
nuntiet . Deinde inquirat , à
quanto tempore apud se libros
habeat ? quoties legerit ? & an

aliquibus , & quoties , ac quibus
commodaverit ? Denique
aperiat gravitatem delicti : quod
peccavit lethaliter contra obe-
dientiam Ecclesie debitam , &
contra fidem propter pericu-
lum , cui se exposuit ipsam per-
dendi : ipsum exciter ad eli-
ciendos actus fidei divinae , ac
alia agat , quæ quivis prudens
confessarius in instructione pœ-
nitentium ante absolutionem
non debet omittere , & tunc ,
si habeat facultatem , absolu-
vat .

28 Dubitab. 16. „ An le-
,, gens libros prohibitos tenea-
,, tur se ipsum denunciare ?
Respond. negativè . Edictum
S. Officij præcipit omnibus , ut
denunient eos , de quibus ha-
bent , habuerint , vel habebunt
notitiam , quod absque debita
licentia retineant , legerint , &c.
scripta continentia hæreses , aut
libros hæreticorum , tractantes
ex professo de Religione , &c.
Ex quibus patet onus enun-
ciandi esse ad scientes ; non ad
habentes ; vel legentes , aut
reos . Habens autem , vel le-
gens , est à confessario monen-
dus : quod si sponte non com-
pareat coram Sacro Tribunal ,
& sincere proprium delictum
aperiat , sed ab alio se juridice
denunciari sinat , non evitavit
pœnas , quas benignè spon-
tè

te comparentibus remittit.

29 Dubitab. 17. „ An reus
„ in legendō, & retinendo præ-
„ fatos libros, teneatur denun-
„ ciare complicem? Respond.
affirmativè: Et, ne ipse postea
patiatur ex subsecutura con-
fessione alterius complicis, eum
Confessarius instruat, ut primò
sponte compareat pro suo de-
lieto, ipsum non diminutè ape-
riendo, sed cum omnibus ad-
miniculis, & circumstantijs; &
postea complicem denuntier.

30 Dubitab. 18. „ Quo-
„ modo tempore Jubilæi se ge-
„ rere debeat Confessarius cum
„ legentibus libros præfatos, in
„ quo datur facultas absolvendi
„ ab omnibus casibus, etiam
„ in Bulla Cœna contentis?
Resp. Interroget, an quando
legerit librum, hæresim conti-
nentem, habuerit etiam erro-
rem in intellectu contra fidem?
Et dum fatetur, absolvere non
debet; quia est hæreticus for-
malis, etiam externus: Ab hæ-
resi autem formalí vigore Ju-
bilæi nullus absolvere potest,
nisi expressè in Bulla conces-
atur, prout expressè ex sequenti
Cong. S. Officij Decreto: Sanc-
tiss. D. N. Alexand. Papæ VII.
„ Sub die 13. Maij 1656. Cum
„ crimen hæresis, præ ceteris
„ gravissimum, speciali nota
„ dignum sit, decrevit, facul-
„ tam absolvendi ab hæresi

„ in Jubilæis, vel alijs simili-
„ bus concessionibus non cen-
„ seri comprehensam, nisi præ-
„ cisis verbis concedatur fa-
„ cultas absolvendi ab hæresi.
Si verò hæresim in intellectu
non habuerit, absolvat ab ex-
communicatione incursa, sed
prius curer, ut realiter, & cum
effectu Inquisitori libros con-
signet.

DISPUT. II.

DE SPE, ET CHAR-
TATE.

SIicut fides intellectum illu-
minat, ne in varias erro-
rum fossas incidat; ita Spes vo-
luntatem firmam, ac fixam te-
net, ne à recta cœlestis beatifi-
tudini via desistat. Spes enim
possessionis futuræ expectatio-
ne animum erigit, tedium le-
vigat, & contra peregrinatio-
nis nostræ tentationes anchora-
est securitatis, ut ait Apost. ad
Rom. 5. v. 4. „ Scientes quod
„ tribulatio patientiam opera-
„ tur, pacientia autem proba-
„ tionem, probatio vero spem:
„ spes autem non confundit.

Spes generatim sumpta, est
passio appetitus irascibilis cir-
ca bonum absens, arduum, &
possibile cum formidine qua-
dam animi adversus difficulta-
tes, de qua regimus in Physic.

lib. de Anim. Theologicè autem sumitur quadrupliciter. 1. Objective, scilicet, pro bono, quod speratur: Sic dicitur ad Titum, 2. v. 13. „ Exspectantes beatam spem, & adventum gloriam Magni Dei. 2. Sumitur pro eo, a quo speratur tale bonum, ut Psalm. 90. v. 9. „ Tu es Domine spes mea. 3. Magis propriè pro ipso actu, quo speramus talia bona; sic dicitur Rom. 8. v. 24. „ Spe salvi facti sumus. 4. Sumitur formaliter pro habitu productivo talium actuum; sic dicitur 1. Cor. 13. v. 13. „ Nunc autem manent tria, haec, Fides, Spes, Charitas. Et hoc modo definitur a Magistro 3. d. 26. „ Virtus, qua spiritualia, & aeterna bona sperantur, id est cum fiducia expectantur. Item ibidem: „ Spes est certa expectatio futura beatitudinis, veniens ex Dei gratia, & meritis precedentibus, &c. Et rationem hujus reddens ait: „ Si ne meritis enim sperare, non spes, sed presumptio dici potest. Ut tamen natura spei melius explicitur sic describi potest: „ Spes est Virtus Theologica, seu habitus divinitus infusus, quo voluntas hominis fertur in Deum, quantum tenus est beatitudo nostra, & summum bonum amabile

, amore concupiscentiae super-naturalis, in quantum per certa media obtineri potest. Vel ut ait Subt. nost. Doct. in 3. d. 26. q. unic. §. ad questionem, spes est virtus theologica nobis a Deo infusa, quæ desideramus Deum, ut bonum infinitum secundum ordinem divinæ sapientiæ. Unde præcipuus ejus actus est amor concupiscentiae erga Deum, quo Deum, & divina praे omnibus alijs nobis concupiscimus, ita ut parati simus potius omnia perdere, quam Deum, & Divina. Concludit tamen Doctor, hanc esse virtutem distinctam a fide, & charitate: quia actus ille desiderandi bonum infinitum non potest prodire a fide, vel charitate: ergo a virtute distincta. Non quidem a fide, quia omnes actus fidei est credere; nullum autem desiderare est credere. Neque a charitate; quia haec est suprema virtus affectiva; & per consequens supremus amor habitualis: amor autem amicitiae, quo voluntus Deum esse in se bonum, est simpliciter perfectior amore concupiscentiae, quo desideramus Deum esse bonum nostrum: ergo caritas, quæ inclinat ad amandum Deum amore amicitiae, est alia virtus ab illa, quæ inclinat ad desiderandum nobis bonum infinitum,

utraqùè tamen perficit voluntatem ; cum hoc tamen discrimine , quod caritas perficit voluntatem quantum ad affectionem justitiae ; Spes vero quantum ad affectionem commodi . Et in hoc convenienter omnes Theologi , contra Ponc. & Boyv. afferentes , spem esse virtutem intellectualē , seu ad intellectum pertinere ; sed in hoc non est multum immorandum , quia præcise nituntur in superficiali grammaticalī usu verborum . His suppositis , sit :

QUÆST. I.

QUODNAM , SIT OBJECTUM SPEI , tām materiale , quām formale ?

Conclusio 1. Objectum materiale Spei immediatum , & principale est beatitudo objectiva , seu ipse Deus , & minus principale est beatitudo formalis , seu fructus , & visio Dei . Ita Mastr. in 3. disp. 6. q. 17. art. 1. à num. 442. ubi ait esse Subt. nost. Doctoris , & communis . Probatur 1. ex illo Genes. 15. ubi Deus inquit Abraham : *Ego protector tuus sum , & merces tua magna nimis* ; quod explicans Aug. lib. 22. de Civit. cap. ult. ait : *Premium virtutis erit ipse , qui seipsum promisit.*

Probatur 2. ratione à priori : nam Deus non tantum ratione visionis , sed etiam ratione suæ intrinsecæ bonitatis est summum bonum nostrum : ergo ut sic est summè diligibile amore concupiscentia , ut ait Subt. Doct. loco cit. Probatur assumptum ; quia ipse Deus nobis datur , & per se ipsum nobis conjungitur , Joann. 14. & ad Rom. 5. & hoc ipsum est maximum bonum nostrum . Confirmatur ; quia idem est objectum Spei , & delectationis , quæ Spei succedit , re jam obtenta ; sed objectum delectationis est Deus ipse ; nam voluntas non delectatur , nisi de objecto cognito , & possesso ; Deus autem est objectum cognitum , & possessum .

3. Probatur 3. ratione à posteriori ; quia alias sequetur Spem , non esse magis virtutem Theologicam , quām sit Religio ; quod est contra Apost. eam inter virtutes Theologicas connumerantem , manent tria hæc Fides , Spes , Charitas . Probatur sequela ; quia ideo Religio non dicitur Theologica virtus , quia non immediate attingit Deum , sed actum nostrum , scilicet , cultum , quem Deo exhibemus , vel quo Deum honoramus ; & illo mediante respicit Deum ipsum ; at in sententia contraria , quæ est Durandi ,

hoc eodem modo Spes Deum attingeret ; non enim Deum attingeret, ut objectum *quod*, sed ut objectum *qui*, scilicet, ut materiam alterius actus nostri, qui esset proxima, & immediata materia Spei , & hoc modo etiam Religio attingit Deum.

4 Conclusio 2. *Objectum formale Spei est Deus, ut summum bonum amabile amore concupiscentiae supernaturalis, & quasi in commodum amantis.* Ita Subt. nost. Doct. in 3. d. 26. §. *Ad quæstionem* , & communiter Scotistæ apud Mastr. cit. num. 453. & 458. & passim RR. Probatur, quia Deus, ut summum bonum nostrum supernaturale, est propria ratio cur sperare possimus, licet enim apprehenderetur, ut bonum arduum , vel ut Omnipotens , nisi tamen , ut bonum nostrum apprehendatur , nunquam actum Spei circa illum obtinendum elicere poterimus. Deinde Deus, ut bonum nostrum supernaturale, potest esse objectum immediatum alicujus virtutis : g. erit objectum virtutis Theologicæ, cùm illæ solæ circa Deum immediatè versentur; atqui non erit actus charitatis, quia hæc respicit Deum propter ipsum ; neque erit actus fidei, cùm illius actus sint credere , & non desiderare : g. erit actus

Spei : posita enim sola beatitudine , ut nobis bona , oritur spes illius. Ratio autem ardui, absentis , & possibilis, immo & auxilium Dei , & divina Omnipotentia parata ad conferendum, quod desideramus, quæ ab aliquibus ponuntur pro objecto spei , non sunt tale objectum , sed instar media, vel conditiones requisitæ.

5 Aliqui vero AA. ad objectum materiale , & formale Spei addunt aliud objectum motivum , quod , inquit, est liberalitas, & misericordia Dei; ideò enim speramus nos aliquid consecuturos beatitudinem , quia Deus illam nobis per suam bonitatem promisit; & auxilia ad eam acquirendam necessaria nobis pollicitus est. Sed hoc non plus probat, quam esse occasionem, stimulum , & conditionem sine qua non.

6 Inquires. *An sit licitum operari intuitu mercedis aeternæ?* Negant hæretici ; sed affirman Catholici , ut diximus tom. I. ex Conc. Trid. sess. 6. can. 11. ubi ait: *Si quis dixerit, hominem justificatum pecare , dum intuitu mercedis aeternæ bene operatur , anathema sit.* Argumenta , quæ contra duas præfatas conclusiones militant , non magni sunt momenti , & possunt videri cum solutionibus apud nostrum Mastr.

Mastr. cit. & apud Panger lib. 3.
disp. 4. quæst. 2.

QUÆST. II.

*AN SINT, ET QUÆ
præcepta Spei, & qua sint
vitia opposita?*

QUIDAM olim dixerunt, nullum stare præceptum Spei affirmativum, sed solum negativum, scilicet, de non desperando. Sed contra illos sit,

1. Conclusio 1. Ultra præceptum negativum de non desperando, quod obligat semper, & pro semper, datur etiam præceptum affirmativum. Hæc conclusio est omnium Catholiconrum, & de Fide, ut luculenter deducitur ex Sacra Scriptura; nam Psal. 4. *Sperate in Domino.* Psalm. 33. *Beatus vir, qui sperat in eo.* Hebr. 11. *Fides est substantia rerum sperandarum.* Ephes. 3. *Spem non habentes sunt sine Deo in hoc mundo.* 1. Timot. 6. *Divitibus hujus saeculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo.* Unde August. tract. 33. in Joan. inquit: *Quam multa nobis mandata sunt de spe, quis potest omnia colligere?* Ratio Theologorum est; quod omne medium ad salutem necessarium

cadit sub præcepto; sed actus spei est medium ad salutem necessarium: ergo cadit sub præcepto.

2. Conclusio 2. Præceptum spei affirmativum obligat aliquando in vita. Hæc conclusio est etiam omnium Catholiconrum, & de Fide. Hoc patet ex Alexand. VII. qui propositiōnem sequentem proscriptis, & condemnavit: *Homo nullo unquam tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis, ex vi præceptorum dicitorum, ad eas virtutes pertinentium.* Doctis. nost. Mastr. citat. disp. 10. q. 2. art. 1. duo tempora assignat, in quibus homo per se tenetur ad actum spei eliciendum. Alterum initio vita, quando quis sufficienter instruētus de rebus Fidei, ad Deum se convertere tenetur, tanquam ad ultimum finem per actus Fidei, Spei, & Charitatis, juxta illud Hebr. 11. *Credere oportet a cedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunrator est.* Quando ergo homo sufficienter est instruētus de externa beatitudine ad quam conditi sumus, & de medijs ad illam asequendam necessarijs, tenetur elicere actum Spei.

3. Alterum tempus est finis vita, quando homo in extremo constitutus maximè in Deum sperare tenetur, ad quem mi-

grandum est. Tenetur insuper aliquoties in vita decursu. Quoties autem, aut quo præcisè tempore, non est determinatum. Obligat autem per accidens, quando urget præceptum quarundam virtutum, quæ exerceri non possunt sine spe, ut sunt actus orationis, pœnitentia, &c. Item, quando quis graviter tentatur desperatione cum periculo consensus, nisi tentationi resistat per actum spei. Tandem bonus Catholius sàpè in actu spei prorumperet: ut diximus sup. de actu fidei, recolantur ibi dicta, & hic applicentur. Unde sequitur, quod præcepta in materia Spei sunt quatuor: duo negativa; quorum uno prohibent desperare; altero presumere de misericordia divina. Alia duo affirmativa, quorum altero beatitudinem sperare jubemur, & media ad illam consequendam necessaria: altero timere suppli- cium, & pœnam æternam.

4 Dubitabis 1. *Utrum possumus sperare in homine?* Respond. Cum solus Deus beatitudinis, & donorum supernaturallium author sit, ab illo solo ea sperare possumus; non vero ab homine, scilicet, tanquam à causa principali, juxta illud Jerem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* Possumus tamen sperare ab homine,

tanquam à causa instrumentalis, quatenus unus homo potest à Deo impretrare gratiam pro alio homine, & proinde Beatitudinem. Quo sensu S. Aug. serm. 18. de Sanctis, ita cum Virg. Maria loquitur: *Tu spes unica peccatorum, per te speramus delictorum veniam, & in te Beatissima nostrorum est expectatio premiorum.*

5 Dubitabis 2. *Utrum sit certa spes?* Respond. Spes, quæ nimitur promissis divinis, certissima est. Rom. 5. *Spes non confundit.* Ad Tit. 1. *In spem vitaे aeternaæ quam promisit, quæ non menititur Deus.* Ex parte igitur Dei certitudinem futuritionis rei sperata habemus. Ex parte vero nostra certitudo dependet ex meritis nostris: Nam Dei promissio est quasi conditionata, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva manda ta.* Et illud: *Hoc fac, & vives;* sed meritorum suorum nemo est certus, *nullus enim scit an amore, vel odio dignus sit.* Idcirco spes ex parte nostra non est adeo certa. Sine revelatione divina nemo potest esse certus de sua prædestinatione ad gloriam, ut diximus in 1. tom. & juxta illud: *Portamus thesaurum in vasis fictilibus.* *Fustus septies enim cadit.* Unde, Sancti merito timebant de sua salute, timore scilicet se te-

renente ex parte illorum, nescientes utrum perseveraturi essent.

6 Inquires. *Qualis timor sit, qui comitatur spem?* Resp. quod timor est duplex, scilicet, servilis, & filialis, ut omittam mundanum, quo mala temporalia timentur, ut sunt paupertas, morbus, despectio, &c. *Servilis* timet offendam Dei metu poenæ. *Filialis*, timet offendam amore Dei, & virtutis. Dicitur *Filialis* hic, quia filij ingenui hoc timere timent offendere Parentes. Dicitur etiam *castus*, quia hoc timore mulier casta timet offendere sponsum. Ille dicitur servilis, quia servi metu verberum timent offendere Dominos. Subdividitur servilis in *servilem simpliciter*, & in *serviliter servilem*. *Serviliter servilis* est, quo aliquis timet offendam propter solam poenam, ita quod admittat semper complacentiam in peccato, & vellet perseverare in peccato, si poena non mulctaretur; & hic est vitiosus, & non provenit à virtute Spei. *Servilis simpliciter* est ille, quo quis ex metu poenæ timet peccatum, ita ut nullam complacentiam retineat ad illud; & hunc esse bonum, tenent omnes Catholici, sicut & de dolore attritionis supernaturalis propter poenam in-

fernari decernit Trident. Unde hic timor provenit à virtute Spei, & comitatur illam in viatoribus. De hoc timore dicitur Lucæ 11. *Timete eum, qui postquam occidit corpus, habet potestatem, & corpus, & animam perdere in gehennam:* Et de filiali Deuter. 10. *Quid Dominus Deus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum?*

7 Conclusio 3. Duo sunt vitia opposita virtuti Spei, scilicet, præsumptio per excessum, & desperatio per defectum. Hæc concl. est communis, & patet ex terminis. Præsumptio est quando inordinate, & modo indebito sperantur beatitudo, & bona supernaturalia: quod fit dupliciter. 1. Si sperentur sine Dei adjutorio, ut faciebant Pelagiani. 2. Si sine bonis operibus, aut penitentia sperentur, ut faciunt Lutherani, & Calvinistæ. Tales etiam sunt, qui malitiosè dicunt, Cœlum non esse conditum pro Anseribus. Hæc præsumptio, sicut & desperatio dicuntur peccata in Spiritum-Sanctum; quia per hujusmodi præsumptionem, & desperationem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritus sancti, per quod homo revocatur a peccato. Secundum se tamen minus peccatum est præsumptio, quam desperatio: nam Deo proptium est misere-

*ri semper & parcere, & illi
convenit secundum se: punire
autem non est ita proprium, &
illi convenit secundum nostra
peccata. Tam præsumptio, quam
desperatio possunt dari cum
hæresi, ut in Pelagianis, Luthe-
ranis, & Calvinistis; in Juda,
& Cain, major est iniquitas
mea, quam ut veniam merear,*
Genes. 4. Et possunt aliquando
dari sic hæresi; & tunc tan-
tum erunt peccata contra spem;
non vero contra fidem; quia
non oriuntur ex errore perti-
naci contra illam; sed vel ex
nimia fiducia in divina boni-
tate; vel ex tristissima consi-
deratione suorum peccatorum,
ex accidia erga spiritualia, &
proclibilitate in corporalia.

8 Inquires. „ Quid repræ-
„ sentandum sit præsumptuo-
„ sis ? Et quid proponendum
„ est desperabundis? Respond.
ad 1. Id quod dicit Sapiens,
Ecc. cap. 5. „ Ne dixeris pec-
„ cavi, & quid mihi accidit
„ triste ? Altissimus enim est
„ patiens redditor. De propi-
„ tato peccato noli esse sine
„ metu, neque adjicias pec-
„ catum super peccatum : &
„ ne dicas miseratione Domini
„ magna est, multitudinis pec-
„ catorum meorum miserebi-
„ tur. Misericordia enim, &
„ ira ab illo cito proximant,
„ & in peccatores respicit ira

„ illius. Non tardes converte
„ ad Dominum, & ne diffe-
„ ras de die in diem; subito
„ enim venit ira illius, & in
„ tempore vindictæ disperdet
„ te. Respond. ad 2. part. que-
„ siti. Proponenda est ei immen-
„ sitas misericordiae Dei, ejus-
„ que bonitas, qui non vult mor-
„ tem peccatoris, sed magis ut
„ convertatur, & vivat. Decla-
„ retur eis quod misericordia Dei
„ plena sit terra. Quod hanc lo-
„ quantur, & commendent pas-
„ sim Scripturæ Sacræ, præser-
„ tim Evangelicæ, omnia Incar-
„ nationis Dominicæ mysteria,
„ omnia Sacraenta, & reme-
„ dia pro peccatis à Christo D.
Redemptore nostro instituta.
Denique, quod nullum pecca-
„ tum Deo magis exosum sit
„ quam desperatio, &c.

9 In vita S. Catharinae Se-
„ nensis refertur. Deus loquens
„ Sacræ huic Virgini ait: „ Pe-
„ catores, qui in mortis ex-
„ tremitate desperant de miser-
„ ricordia mea, multo gra-
„ vius me offendunt, & ma-
„ gis mihi displacent hoc uno
„ peccato, quam omnibus alijs
„ iniquitatibus, quas unquam
„ commiserunt, qui enim des-
„ perat contemnit aperte ip-
„ sam misericordiam meam, &
„ perverse existimat iniquita-
„ tem suam maiorem esse, quam
„ sit eadem misericordia, &

„ bonitas mea. Uude detentus
 „ hujusmodi peccato non do-
 „ let de offensa in me admis-
 „ sa; sed dolet de irremediabi-
 „ li suo malo. Qui si in veri-
 „ tate doleret, quod me offendit,
 „ disset, atque contempisset,
 „ & in misericordia mea fide-
 „ liter speraret, ipse eam cer-
 „ tissime inveniret, quoniam
 „ in infinitum major est ipsa
 „ misericordia mea, quam sint
 „ omnia peccata, quæ unquam
 „ fuerunt commissa, vel quæ
 „ committi possunt ab aliqua
 „ creatura. Hucusque in vita
 S. Catharinæ Senens. Unde me-
 rito dixit penitens Regius Da-
 vid, Psalm. 102., Quomodo
 „ miseretur Pater filiorum,
 „ misertus est Dominus timen-
 „ tibus se, quoniam ipse cog-
 „ novit figmentum nostrum.
 Et Psal. 85., Tu Domine sua-
 „ vis & mitis, & multæ miseri-
 „ cordiæ omnibus invocantie-
 „ bus te.

10 Circa subjectum Spei, seu circa personas, in quibus spes reperiatur, valde fuse tractant AA. nos vero jam diximus tom. I. tract. de Beatitud. quod omnes virtutes, ablatas imperfectionibus, manent in patria, seu in omnibus Beatis: & nunc dicimus, quod spes non datur in Judæis, Turcicis, Hæreticis (uno verbo) non datur spes ubi non est fi-

Tom. III.

des: quia fides est fundamentum spei; fides est sperandarum substantia rerum, inquit Apost. ad Hebr. 11. v. 1. igitur in illis spes tantum potest esse naturalis quædam tendentia in beatitudinem; sicut in illis tantum potest dari fides naturalis, & naturalis Theologia, ut in processionalibus diximus. Nec requiriatur in ipsis actus desperationis, sed sufficit, quod fundatum est fides, ut est fides, in illis non reperiatur. Spes, & quæcumque alia virtus charitate instructa, dicitur formata, & perfecta; a charitate vero separata, dicitur informis, & imperfecta. Si Deus de potentia absoluta revelaret alicui ejus damnationem, non teneretur ad actum spei. Ita Mastr. cit. num. 500. & 506. Ratio est; quia nemo potest prudenter sperare, ubi spes omnis praecisa est, & absolute est damnatio revelata. Desperare tamen propriè, & positivè non posset, deberetque evitare peccata, & servare alia præcepta; quia sicut præscientia non imponeat necessitatem, ita nec revelatio, & quanto quisque minus peccet, tanto minora tormenta habebit. Unde talis miser, si daretur, deberet se conformare cum voluntate Dei, dicendo cum Heli Sacerdote. Dominus est, quod bonum est.

M

est

*est in oculis suis , faciat i.
Reg.*

QUÆST. III.

QUID SIT CHARITAS,
*& quodnam ejus objectum,
tām formale , quām
materiale?*

Domus Dei credendo fundatur , sperando erigitur , diligendo perficitur , inquit S. Aug. serm. 22. de verbis Apostol. & merito; nam per fidem , & spem fit initium spiritualis edificij , & creaturæ Dei : per charitatem autem perficitur , cum per eam homo in Deo maneat , & Deus in eo , Deo uniatur , & Deo vivat. De Charitate valde fusé disputant nostrates , ut videri potest apud Magistr. in 3. disp. 6. q. 20. & sequentib. Nos verò quanta poterimus brevitate , & claritate rem expediemus. Comminiter Theologi carpunt Magistr. Sentent. qui in 2. d. 17. asserit , charitatem habitualem non esse donum aliquod creatum , nec virtutem infusam , sed esse ipsum Spiritum Sanctum , qui sine aliquo habitu infuso inclinat , & movet voluntatem hominis ad diligendum Deum. Sed Charitatus , ac Pissimus nosl. Doctor in 1. d. 17. q. 2. benigne interpretatur , dicendo quòd Magister

solum intendit , quod præter Fidem , & Spem , non datur alius habitus charitatis distinctus ab habitu supernaturali , qui reddit hominem gratum Deo , & est gratia habitualis , ut suo loco diximus ; & in hoc sensu interpretata Magistri sententia , tuta est , ac secura : In opposito autem sensu esset evidenter contra Sacram Scripturam ; nam ad Galat. 5. dicitur : „Fructus autem Spiritus „est Charitas. Et 1. ad Cor. „Nunc manent tria hæc , fi- „des , spes , charitas , major „autem horum est charitas , & „charitas nunquam excidit. Et 1. Joann. 4. „Diligamus „nos invicem , quia charitas „ex Deo est. Hoc etiam sanctivit Tridentinum sess. 6. cap. 7. & Can. 12. Et Aratuscan. Can. 25. & Viennense , ut refertur in Clementina unica de Summ. Trinit. & Fide Catholica. Alias non posset charitas crescere , minui , amitti , recuperari , ut per se patet. Cum ergo charitas non sit formaliter Deus , querimus quid sit.

2 Conclusio 1. „Charitas „est virtus Theologica super- „naturalis in substantia , om- „nium virtutum excellentissi- „ma , qua Deus propter se di- „ligitur , & proximus propter „Deum. Dicitur 1. *Virtus Theologica* , quia respicit Deum , qui

qui est objectum Theologiz. Dicitur 2. „ Supernaturalis in „, substaatia, ut distinguitur a Virtutibus Theologicis acquisitis, quales vocari solent fides naturalis, spes naturalis, & naturalis charitas, quibus naturaliter respicitur Deus, ut patet in infidelibus. Dicitur 3. „ Omnia virtutum excellens, lentissima, quia dum Matthæus 22. loquitur de præcepto charitatis, vocat illud „, proximum, & maximum mandatum. Ad Colos. etiam habetur „, super omnia haec mutua tuam charitatem habete, quæ est vinculus perfectionis. Quod verum est, nedium de charitate erga Deum, sed erga proximum; quia est tantum una charitas, qua Deum propter se, & proximum propter Deum diligimus: licet in charitate sint duo actus, ob quos statuuntur duo mandata, de dilectione Dei, & proximi. Quod charitas sit omnium virtutum maxima, patet; quia Virtutes Theologicae sunt alijs præstantiores, & inter Theologicas Charitas præcellit, quia magis Deo adhæret. Deinde est omnium virtutum forma, saltem extrinseca, & in ratione meriti. Si Martyrium sit perfectissimum, hoc est, quia imperatur a charitate, sicut paupertas voluntaria.

Deinde 1. Cor. 13. v. 3. inquit Apostolus: „ Sicut habemus titatem autem non habuero, nihil sum. In quæ verba S. Bernardus „, serm. 27. in Cantico c. 10. ait: „ Ergo quantum titas cujusque animæ estimatur de mensura charitatis, quam habet, ut v. g. quæ multum habet charitatis, magna sit; quæ parum, parva; quæ vero nihil, nihil, &c. Præterea, quod charitas in esse morali sit perfectior fide, spe, & omnibus alijs virtutibus, est de fide contra Lutherum, & ejus sequaces: nam I. Corinth. 13. v. 13. „, Major autem horum est charitas. Matthæi 22. v. 38. „, Hoc est maximum, & primum mandatum. I. Timoth. 1. v. 5. „, Finis autem præcepti est charitas, & alibi. Unde pulchre Idiota in contemplationib. c. 17. Illa est via rectissima absque devio, via brevis absque tædio, via plana absque tumulo, via secura absque periculo, via jucunda cum bono socio, scilicet cum te, Domine, amantissimo. Duce. S. August. „, tract. 9. in epist. Joan. c. 4. Deus charitas est, ait. „, Nescio, utrum magnificentius nobis charitas commendari possit, quā ut diceretur: Deus charitas est. Brevis laus, magna

„ na laus ; brevis in sermone,
 „ sed magna intellectu. Quām
 „ citō dicitur : Deus dilectio
 „ est ! Si numeres, unum est : si
 „ appendas, quantum est ! &c.
 Et tandem ut sūpē diximus, Fi-
 des, & Spes possunt consistere
 cum peccato ; at verō puritas,
 & perfectio charitatis hoc non
 suffert : ergo perfectior omni-
 bus est.

4 Dicitur 4. *Qua Deus pro-
 pter se diligitur* ; quia si Deum
 diligamus propter nos , hic
 amor complacentię potius spec-
 tat ad Spem , ut diximus,
 quām ad charitatem perfectam.
 Per charitatem debemus ama-
 re Deum super omnia appre-
 tativē ; quia debemus illum præ-
 ferre omnibus bonis , quibus
 infinitē nobillor est : non tamen
 tenemur ipsum amare super
 omnia intensivē , quasi amor
 erga Deum debeat esse inten-
 sior , quām circa omne aliud
 bonum , cūm enim hoc non
 possit scire homo, semper scrup-
 pulis turbaretur , an amet Deum
 super omnia. Ut ergo impleatur præceptum de dili-
 gendo Deo ex toto corde , suf-
 ficit quod Deus ametur sincere,
 quod anteponatur omnibus , &
 quod quis præferat omnem poe-
 nam offendatque frangeret ami-
 citiam cum Deo.

5 Dicitur 5. *Et proximus propter Deum* ; per quod deos-

tatur aliquid quod est tantum
 accidentale charitati : non enim
 est de essentia charitatis , ut
 ametur revera proximus : si
 enim esset tantum unus homo
 in mundo ille per veram chari-
 tam Deum amaret , & ipsius
 objectum esset simpliciter per-
 fectum : posito tamen , quod
 sint homines in mundo , debe-
 mus per charitatem Deum dili-
 gere propter se , & proximum
 propter Deum. Et tunc chari-
 tas habet duo objecta , unum
 primarium , & absolutum , nem-
 pē Deum : aliud secundarium ,
 & relativum , nempē prox-
 imum , qui propter Deum dili-
 gitur.

6 Inquires. *An charitas ha-
 beat rationem vere amicitiae
 inter Deum , & hominem ?* Ante
 responsionem est adverten-
 dum , quod Aristot. lib. 8.
 Ethicor. cap. 2. sic amicitiam
 definit : *Est mutua aliquorum
 benevolentia , quæ non latet ip-
 sos amicos , sed illis invicem est
 cognita.* Dicitur *benevolentia* ,
 ut distinguitur ab amore con-
 cupiscentiae , quo quis sibi vult
 bonum. Additur *mutua* ; quia
 est veluti vinculum , quo duo
 invicem ex electione utriusque ,
 & judicio rationis constringo-
 tur. Cætera vocabula significant
 exercitium amicitiae , quæ ami-
 cos stimulat , non solum ad
 mutuum affectum , sed etiam ad

ad præstanta sibi invicem mutua obsequia. Hoc supposito,
7 Respondeatur affirmati-
vè. Est communis contra Dur-
rand. & patet ex toto lib. Canti-
cor. ut v. g. cap. 2. v. 10. Sur-
ge, propera amica mea. Cap. 5.
Ipse est amicus meus. Hoc idem
restatur paſſim Sacra Scriptura,
ut Psal. 138. v. 17. *Nimis ho-*
norificari sunt amici tui Deus.
Lucæ 12. v. 4. *Dico autem vobis*
amicis meis. Proverb. 8. *Ego*
diligentes me diligo. Joann. 14.
v. 21. *Qui autem diligit me, di-*
ligetur a Patre meo, & ego di-
ligam eum. Et Joann. 15. v. 15.
Fam non dicam vos servos, sed
amicos, quia omnia quacumque
audiui a Patre meo, nota feci
vobis.

8 Arg. 1. Amicitia pro-
pria, & vera solum datur inter
æquales, immò secundum Aris-
tot. ipsa amicitia est quadam
æqualitas 8. Eth. cap. 5. & 6.
Insuper S. Hieronym. in cap. 7.
Michæl, ait: *Ubi inæqualitas*
est, &c. non est amicitia: atqui
inter Deum, & hominem non
potest esse æqualitas: g. nec ve-
ra, & propria amicitia. 2. Deus
non potest amare hominem
amore amicitiae, cum eum amet
propter se, & non propter bo-
nitatem hominis: Sed hic amor
est concupiscentia, & non ami-
citia: g. &c. Respondeatur ad 1.
distingendo min. inter Deum,

& hominem non est æqualitas,
stricta, & arithmeticæ, conc.
Non est æqualitas minus stricta,
& geometricæ, si modo pro-
portionalis, quæ dicunt æqua-
litas excellentiæ, nego. Sufficit
ergo æqualitas proportionis,
qualis est inter Patrem, &
Filiū; inter Principem, & sub-
ditum: & hanc habet homo per
divinam gratiam, qua sit *vi-
næ consors naturæ.* 2. Petri 1.
v. 4. & juxta Psalm. *Ego dixi*
Dij estis, ut tract. de Grat. di-
ximus. Unde, licet homo, qua-
tentus est servus Dei, non pos-
set dici ejus amicus; tamen
amicus ejus est, quatenus per
participationem istani elevatur
ad statum filiorum Dei. Et deinde,
servire Deo, regnare est.
Videatur Scot. in 3. d. 27. n. 20.
9 Respondeatur ad 2. Deus
amat hominem propter se, ita
ut non excludat seipsum tan-
quam finem ultimum, conc.
Ita ut non excludat alios fines
particulares, nego. Deus ergo
nos ita amat, ut verè nobis bo-
na velit, & beneficia præstet si-
ne respectu ad alios fines parti-
culares, quanvis omnia ad se
tanquam finem ultimum refe-
rat; quod nihil impedit, sed
per se honestum est, immò &
nobis utile, cum tota utilitas
sit nostra. Unde S. Bernard.
Serm. 3. Pentecost. *Omnia pro-
pter semitipsum fecit Deus, om-*
nia

*nia propter suos. Aliter tamen propter se, aliter propter suos, &c. Omnia fecit propter seme-
tipsum, gratuita videlicet bo-
nitate: omnia propter electos
suos, pro eorum scilicet utili-
tate, &c.*

10 Conclusio 2. Objectum
materiale principale, & attribu-
tionis charitatis est Deus;
minus principale est quidquid
amari potest honeste propter
Deum. Hec conclus. est com-
munis, & probatur, quia sicut
ratio primi subjecti cuiuscumque
habitus intellectualis est
continere in se primo virtualiter
omnes veritates illius habi-
tus cuius est subjectum, vel
objectum, ut sive in logica doc-
et noster Philosophicus Cursus
ex Subtil. Doctore; ita ratio
primi subjecti cuiuscumque ha-
bitus volitivi est continere in se
primo virtualiter omnes actus
predicti habitus: atqui solus
Deus continet in se primo vir-
tualiter omnes actus charitatis:
g. solus Deus est primum sub-
jectum, seu (ut aptius loqua-
mur) primum objectum mate-
riale habitus charitatis. Cetera
patent, & minor probatur: nam
actus charitatis est amor Dei
propter se, & amor proximi,
& cuiuscumque alterius rei vo-
libilis propter Deum: sed isti
amores primo virtualiter con-
tinenter in Deo, seu Deus est

motivum illorum, ne ex termi-
nis patet: g. &c.

11 Confirmatur; illud est
objectum primarium adaequa-
tum, & attributionis charita-
tis, quo posito, potest dari cha-
ritas, & quo ablatu, charitas
auffertur: atqui hoc objectum
est solus Deus: g. &c. Prob.
min. nam solus Deus amatur
propter se, & nihil aliud ama-
tur ex charitate perfecta pro-
pter se, sed solum propter Deum:
g. &c. Insuper charitas potest
habere actum amoris circa
Deum, quin habeat circa crea-
turas; non vero potest amare
creatras, quin prius amer
Deum: g. Deus est primum,
adaequatum, & attributionis ob-
jectum materiale charitatis.

12 Nunc queritur, que-
nam sint ista objecta materia-
lia secundaria, & quo ordine
sint ex charitate amanda, seu
diuigenda? Ad quod breviter
respondetur, quod ordine cha-
ritatis primo, & super omnia
debemus Deum diligere, qui
est in se infinite bonus in omni
linea entis: *Diliges Dominum
Deum tuum ex toto corde tuo,
& in tota anima tua, & in
tota mente tua. Hoc est maxi-
mum, & primum mandatum,*
Matth. 22. v. 37. Secundo, or-
dine charitatis debet quisque
seipsum diligere secundum bona
spiritualia, volendo sibi bea-
ti-

titudinem, gratiam, &c. propter Deum. Tertiō, debet diligere proximum secundum eadem, volendo illi beatitudinem, gratiam, &c. propter ipsum Deum. Quartō, debet diligere seipsum secundum bona corporis, volendo sibi sanitatem, vitam, &c. honeste propter Deum. Quintō, debet diligere proximum secundum eadem ipsa bona sanitatis, & vita. Sextō, tandem debet diligere seipsum primō, & secundo proximum secundum bona externa, volendo sibi prius famam, honorem, &c. & postea proximo.

13. Quid homo ipse sit objectum suæ charitatis, patet ex Sacra Scriptura; nam Marci 12. v. 31. *Diliges proximum tuum tanquam te ipsum*, id est, ad instar tui; ita ut quæ quisque sibi vult venire bona, posterius ipsa eadem velit proximo; & quæ sibi accidere mala non vult, proximo deinde nolit accidere. Ecce quomodo amor sui ipsius ponitur pro regula amoris proximi. Deinde, cum corpus hominis, etiam partialiter, sit capax beatitudinis, ideo etiam corpus ex charitate est amandum. Unde pulchre S. August. lib. 1. de Doctr. Christiana, c. p. 23. quæ tuon sunt diligenda. *Unum quod est supra nos*, (scilicet Deus)

alterum quod non sumus, (scilicet propria conscientia.) *Tertium*, quod juxta nos est, (scilicet proximus.) *Quartum*, quod infra nos est, (scilicet program corpus.) Nominē proximi intelligitur *omnis*, qui nobiscum potest esse particeps ejusdem finis, & beatitudinis, qualis est omnis homo in hac vita degens, etiam peccator, infidelis, & inimicus. Hinc Matthæi 5. v. 44. dicitur *Diligite inimicos vestros, & bene facite iis qui oderunt vos*, &c. Sancti, & Angeli sunt objectum charitatis; quia sunt amici Dei, & nobiscum communicant, super que nostri intercessores, & de facto possident gratiam, & gloriam. Creaturæ vero irrationales propriæ, & directe non continentur sub objecto charitatis infusa; quia nec gratia, nec gloria capaces sunt: possunt tamen diligi ex charitate imperante, quatenus ordinantur ad laudem Dei, & nos excitant ad illum amandum; quia sicut Cœli enarrant gloriam Dei, ita & alia manifestant ejus omnipotentiam, & providentiam. Ergo tanquam media alicentia possunt amari amore ejusdem virtutis charitatis, quo amatur finis.

14. Inquires, quid est amare Deum ex toto corde, &c? Respond. Est illum ita diligere,

at dilectio ipsius omnes alias superet dilectiones , plus diligere ipsum , quam cuncta omnia alia , id est , plusquam omnes parentes , scriptum enim est : „ Qui amat patrem , aut „ matrem plusquam me , non „ est me dignus ; plusquam di- vicias , uxorem , liberos , & se ipsum : „ Si quis venit ad me „ & non odit , id est minus „ amat , patrem , & matrem , & „ uxorem , & filios ; adhuc au- tem , & animam suam , non „ potest meos esse discipulus . Et ratio est , quod Deus prae omnibus absolute , & simpli- citer *sit bonus* ; ita & prae omnibus est amandus : ita ut parati simus omnia proculs relinquere , omnia supplicia perferre , vitam ipsam effundere , quam ut ipsum ullomodo offendamus . In hoc consistet chari- tatem in Deum declarat Apostolus : „ Quis nos separavit a „ charitate Christi ? Certus „ sum , quia neque mors , ne- „ que vita , neque Angeli , ne- „ que Principatus : neque crea- „ tura alia poterit nos separare „ a charitate Dei .

15 Confirmatur exemplum ex veteri testamento Machabri septem Fratres , neque ingentibus Regis promissis corrupti sunt , neque minis ter- riti . Ad perfervenda fortiter sup- plicia mater hortatrix adegat;

& magis ipsa animo torqueba- tur , verens , ne tormentis victi contra Dei legem aliquid agere inclinarentur . Sed & feliciter consumpti , plus Deum quam semetipcos diligendum docu- mento fuere . Et Mater sic aman- dos filios , ut eos quocunque mortis genere affici maluerit , quam peccare . Ac ne in se , quam in liberos indulgentiorem fuisse putes , quos ad uicem premiss- erat , continuo sequi voluit . Et quidem tanto labentius , quam jam de eorum erga Deum fide magis fuit secura . Non sup- plicia reputabat ; sed an Deum amarent gloriosam experien- tiam , multaque charitate ar- dens , probati tam se , quam alios , poenis acervioribus ges- tiebat .

16 Confirmatur 2. exemplum in novo Testamento , intentissimum in Deum amorem testa- ti sunt tot centena millia Martyrum , quorum Dei charitas non modo divitarum , digni- tatumque secularium , atque bonorum , verum etiam vitae contempsores fecit . Nullis Ty- rannorum minis , supplicijsve absterri potuerunt , ne nomen Dei ubique palam prædicarent , atque extollerent . Dulcia illis tormenta erant , per quæ ad Christum ascendere , & cum illo jungi properabant . Nihil illis formidini , nihil timori esse po- te-

terat, quoniam perfecta charitas foris mittit timorem. Vehementiores penas expetierunt, ut majoris amoris testimoniū redderent. Sed nulla tam vehemens à persecutoribus excogitari potuit, ut æquaret patientium affectum: graviora tolerare parati erant, quam noverat inferre rabies inimici in ipsos debacchantis.

17 Conclusio 3. , Objec-
,, tum formale charitatis est
,, divina bonitas propter se,
,, seu qua in se Deus est infini-
,, tè bonus, & perfectus secun-
,, dum omnem entis rationem.

Ita Subt. nostr. Doctor. in 3.
d. 27. q. unic. g. quantum ad
istum articulum, & est communi-
nior in Scholis. Et probat Doct.
sic; quia cum charitas sit amor
amicitiae, per eam volumus
Deo bonum, quatenus ipsi bo-
num est: atque ipse sibi pro-
priè bonus est, quatenus est
sua beatitudo, & in se infinitè
perfectus in omni genere entis:
g. est objectum formale chari-
tatis sub hac ratione præcisè.
Confirmatur; quia charitas
Deum attingit quatenus maxi-
me, & perfectissime bonus est,
cum sit inter virtutes Theolo-
gicas omnium perfectissima:
atque melior, & perfectior est
in se consideratus, quam ut
consideratur dicens ordinem
ad creaturas, seu ut author-

nostre beatitudinis, & aliorum
donorum supernaturalium: er-
go charitas sub ea ratione
Deum attingit. Minor prob.
quia si Deus consideretur in
ordine ad creaturas, & ut au-
thor bonorum, sive natura-
lium, sive supernaturalium,
semper finito modo se habet;
quia prædicti effectus sive sine
dona naturæ, sive gratiæ, sem-
per sunt finiti, & limitati: in
se vero spectatus est omnimode
immensus in omni perfectione,
& bonitate: g. sub tali ratione
præcisè objectum formale cha-
ritatis statui deberet.

16 Notat tamen nosset
Mastr. & antea notaverat Ly-
chetus ex Subt. Doct. cit. g.
quantum ad istum articulum,
quod si loquamur de ratione
formali non prima, nec princi-
pali, sed veluti secundaria, &
minus principali, quæ etiam
vocatur allicitiva, qua volun-
tas magis allicitur ad aman-
dum; ut est creatio, conserva-
tio, redemptio, glorificatio,
&c. Quæ rationes multum alli-
ciunt nos ad Deum amandum:
Et ideo Sancti PP. per similia
beneficia conantur nos induce-
re ad amorem Dei: In hoc igi-
tur sensu benè inspicitur in
prædictis rationibus ratio ama-
bilitatis Dei; atque ita Deus
sub ratione formali qua Crea-
tor, Conservator, Beatifica-

tor, &c, est objectum diligibile ex charitate. Hoc explicat Doctor apto exemplo; amatur enim pri-mó à nobis aliquis propter bonum honestum; 2. Quia scitur redamans; ista redamatio in eo est specialis ratio amabilitatis alliciens ad amandum, & distincta ab illa alia prima: Ita pariter in Deo non sola bonitas infinita in se allicit nos ad amandum ipsum; sed quod hæc bonitas nos amaverit, se nobis communicando, hæc inquam, ratio secundarió, & minus principaliter nos allicit ad amandum; & quanvis hic actus regulariter sit à graditudine imperatus, tamen eliciti-vè est à charitate, & proxima ratio motiva ad hanc dilectionem est bonitas Dei; non quatenus nobis proficia, quia sic esset amor concupiscentiæ, & actus spei; sed quatenus esse creatorem, glorificatorem, &c. est ipsi Deo perfectio, honestas, & pulchritudo. Argumenta, quæ contra præfatas conclusio-nes conficiuntur, non sunt magni momenti; ob quod illa videnda relinquimus apud

Doctorem cit. & apud RR.

Scotistas.



QUÆST. IV.

*IN QUA RESOLVUNTUR
aliqua quæsita circa præsen-tem materiam.*

I **Inquires** 1. *An habitus infusus charitatis, quo diligitur Deus, sit distinctus ab habitu, quo diligitur proximus?* Respond. negativè. Ita Subr. Doct. in 3. d. 28. q. unic. cum omnibus Scotistis; & communiter Thomistæ, & Neutrales: Videatur Mastr. in 3. disp. 6. q. 22. n. 564. Ratio est, quia ubi est objectum formale principale, ibi est idem habitus: sed dilectionum benè ordinata-rum est idem objectum principale, scilicet, Deus, seu bonitas Dei, cum omnia amentur propter Deum, alias ordinatè non amerentur: g. est idem habitus. Sicut ergo unus habitus fidei dicitur, licet plura credibili-a attingat; & unus habitus spei, licet se extendat ad plura speranda; quia omnia credibili-a sub una ratione veritatis revelata creduntur; & omnia speranda sub una ratione boni-tatis in nostrum commodum sperentur: ita est idem habi-tus charitatis, cum Deus, & proximus propter eamdem bonitatem divinam amentur. Hinc S. Aug. lib. 8. de Trinit. cap.

cap. 8. *Ex una, eademque charitate Deum, proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem, & proximum propter Deum.* S. Gregorius lib. 7. cap. 11. *Per amorem Dei amor proximi gignitur; & per amorem proximi amor Dei nutritur, &c.* Tunc plenius in dilectione Dei proficimus, si in ejusdem dilectionis gremio prius proximi charitate ligamur. Quarè S. Augustinus cit. ait: *Duo illa præcepta non posse esse sine se invicem.*

2 Dices: Cultus *dulie*, qui Sanctis exhibetur, distinguitur à cultu *latræ*, qui Deo exhibetur: g. etiam Charitas Dei, & proximi distinguuntur. Respond. neg. conseq. loquendo de charitate habituali. Disparitas est, quia propria cuiusque excellentia est motivum formale cultus; at vero bonitas Dei est motivum utriusque dilectionis Dei, & proximi. Videatur omnino Mistr. cit. art. 2. n. 582.

3 Inquires 2. „An detur præceptum de diligendo Deum, & proximum? Respond. affirmativè. Est de fide, ut patet ex dictis quæstione antecedenti, nam Matth. 10 v. 37. „Qui amat Patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. Et cap. 22. v. 37. „Diliges Dominum

„Deum tuum ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente, te. Luc. cap. 16. v. 26. „Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & matrem, & uxorem, &c. adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus: id est qui tales plus diligunt, quam Deum, & non Deo postponunt, ubi sunt in via Dei contrarij. Et quod detur præceptum de diligendo proximum, patet etiam ex Matth. 22. v. 38. ubi cum Christus dixisset maximum mandatum esse de diligendo Deo, subiungit: *Secundum autem est simile huic. Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Idem habetur Joan. 13. v. 34. & alibi. Licet autem propter Deum omnia creata diligibiliamentur; hoc tamen non impedit, quin unus proximus magis diligiri possit, & debeat, quam alius, v. g. ille qui magis Deo charitate conjungitur, qualis est pius, & devotus, quam remotior, & impius. Sic etiam qui in carne nobis est conjunctior, ut est uerque parens, uxor, filij, consanguinei, benefactor tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Ita docent communiter Theologi.

4 Inquires 3. An teneamus diligere Deum super omnia intensivè? Resp. negativè: Est jam communior inter AA. cu-

jusque Scholæ , nec oppositum docuit Subtilissim. nost. Doctor , ut benè advertit , & declarat Mastr. disp. 6. q. 21. n. 543. Ratio est ; quia si tenemur , Deum super omnia diligere intensive , seu quantum ad multitudinem partium gradualium , hoc esset , quia est magis bonum : sed hæc ratio non probat ; alias deberet summa intentione amari , quod esse non potest , quia (ut inquit Subt. Doct. in 3. d. 27. q. unic. n. 17.) non potest in hac vita esse realis , & tanta recolectio virium , ut amotis impedimentis , possit voluntas tanto conatu ferri , quanto posset , si vires essent unitæ , & non impeditæ à potentij sensitivis .

5 Præterea , vel Deus debet diligi cum certo determinato gradu intensionis , vel non ? Si non ; sufficit quicunque gradus . Si primum dicatur , qui sunt qui scire poterunt se attingisse illum determinatum gradum ? Et sic aliquis semper maneret in dubio de precepti adimplitione , ut diximus in initio questionis anteced . Immó etiam si dicatur sufficere , quod intensius ametur , quam creaturæ ; non minus remaneret dubium , an intensiori actu quis amet Deum , quam creaturas . Et sane Parentes peccarent mortaliter plus intensive amando

filios , amicos , &c. quam Deum ; quod est nimis durum , & contra communem sensu fidelium . Insuper , juxta oppositam sententiam teneremur etiam ex precepto charitatis dolere intensius de peccato mortali , quam de quocumque malo temporali , ut de ammissione filiorum , quod etiam est contra experientiam : ergo majoritas ista , vel excessus amoris Dei super omnia , qui nobis præcipitur , non debet intelligi quantum ad intentionem , sed solum quantum ad appretiationem .

6 Confirmatur ; per hoc preceptum perit à nobis Deus verum , & absolutum amorem ejus super omnia : sed hic actus salvati potest in quavis intentione etiam remissa : g. &c. Probatur min . quia dilectio Dei appretiativa super omnia est , quæ ita fertur in Deum , ut amans sit paratus pro ipso quocumque aliud bonum contemnere : sed possumus talem estimationem de Deo habere , etiam si dilectio sit remissa quoad intentionem , ut patet in Patre serventius filium amante , quam Deum , sed non estimabilius ; g. hac dilectione appretiativa Dei super omnia adimpletur preceptum charitatis erga Deum ; ac per consequens sine solidò fundamento exigitur summa intensio , quandoquidem nec in

Sacra Scriptura , nec ab Ecclesi-
sia , nec à Sanctis PP. expri-
matur. Objectiones verò ex
Scriptura , & PP. explican-
tur de summo amore appre-
ciativè.

7 Inquires 4. *An Deus ita
sit super omnia diligendus dilec-
tione appreciativa, ut non solum
debeat esse superomnia ipsi Deo
contraria mortaliter, sed etiam
contraria ipsi venialiter?* Ali-
qui , quos tacito nomine refert
nost. Mastrius cit. n. 549. asse-
runt , sufficere , ut sit super om-
nia Deo contraria mortaliter ;
quia hæc tantum amicitiam
Dei solvunt : quæ sententia vi-
detur quasi communis sensu fi-
delium , & ita satis probabi-
lis. Arriaga verò , & alij volunt,
hanc dilectionem debere esse
super omnia Deo contraria
etiam venialiter ; seu quod per
illam excludantur etiam venia-
lia. Noster autem Mastr. exis-
timat utramque sententiam ad-
mitti posse ; quanvis certum
sit , quod non omnis dilectio
appreciativa sit ejusdem perfec-
tionis ; perfectior enim est , quæ
excludit omnia etiam minima ,
immó , & quæ etiam observat
ea , quæ cadunt sub consilio ,
quam quæ tantum mortalia vi-
tant.

8 Deinde , cum hæc dilec-
tio Dei appreciativa super om-
nia sit essentialiter comparati-

va , quia Deum in amore præ-
fert omnibus alijs amabilibus ,
ulterius inquiritur , an hac
comparatio debeat esse explici-
ta , & formalis ; vel an sufficiat
implicita , & virtualis ? Faber
apud Mastr. cit. n. 550. requirit
explicitam comparationem . Sed
communis opinio est , quod suf-
ficiat implicita , & virtualis ; ut
cum quis est paratus omnia po-
tiū perdere , quam per pecca-
tum mortale Deum deserere ; si-
cūt eadem dilectio dicitur etiam
implicité continere detestatio-
nem omnium peccatorum ; quia
in talis amoris homo paratus
est , detestari omnia peccata ,
quæ menti occurrerent. Ratio
est , quia potest quis amare ma-
gis appreciativè Deum , quam
ullam creaturam , & non velle
ulli creaturæ magis placere
quam Deo , sine illa compara-
tione explicita , & formalis ; ut
patet in Patre , qui magis dili-
git filium , quam alium sine
illa comparatione explicita : g.
non requiritur explicita , sed suf-
ficit virtualis , & implicita , qua-
tenus hoc ipso , quod Deum
tali modo diligo , paratus sum ,
potius omnia amittere , & quæ-
cumque alia bona despicer ,
quam Deum per peccatum sal-
tem mortale offendere. Nec illa
de tali actuali , & explicita
comparatione fit mentio in sa-
cris litteris : g. non est nobis
im-

impouenda. Si autem alicui proponeretur talis comparatio, etiam contra minimum veniale, tunc teneretur eam amplecti.

9 Inquires 5. *Quandonam tenetur homo ad actum amoris Dei super omnia appreciativè?*
 Respond. quod de charitate idem est dicendum, ac de fide, & de spe diximus: Unde tene-
 mur 1. Nunquam Deum odiſſe,
 nec mortaliter offendere; quia
 odium Dei, & quodcumque
 peccatum mortale est opposi-
 tum mortaliter tali amori. Est
 ergo ex hac parte præceptum
 charitatis negativum, quod
 obligat semper, & pro semper.
 Tenemus 2. ad actum amoris
 eliciendum, dum pervenimus
 ad usum rationis, & nobis pro-
 ponitur Deus amandus, & præ-
 ceptum de illo amando. Insu-
 per, cum homo adultus Sanc-
 tum Baptismi Sacramentum sus-
 cipit; quia cum se totum Deum
 consecret, certò certius debet
 suum propositum firmare per
 amorem ipsius. Ad exercendum
 divini amoris actum tenetur,
 cum ad justificationem se præ-
 parare debet extra Sacramen-
 tum Pœnitentiæ per contritionem,
 quæ ex charitate proce-
 dit, deficientibus Ministris.

10 Cum singulare aliquod
 beneficium à Deo accipit; cum
 enim sit signum specialis amo-

ris Dei erga nos, tunc magis
 redamare debet. Ingrati animi
 vitium est immane, si non re-
 damaveris beneficentissimum
 amantem, nihil ab alio postu-
 lantem præter amorem. Obli-
 gat hoc præceptum amandi
 Deum specialius, juxta Subr.
 Doct. diebus Dominicis, &
 festivis; quia ut ait, in hoc
 præcipue consistit sanctificatio
 festorum, ut homo apud se ma-
 neat se recolligendo, & ascen-
 dendo ad Deum. Cum Ecclesia
 his diebus recolere soleat Dei
 perfectiones, mysteria, & be-
 neficia, & ad similes actus Fi-
 dei, Spei, & Charitatis nos
 hortetur inter solemnia, & ins-
 truat ad illos formandos: ergo
 signum est, quod hos à nobis
 exigat. Cum ad Sacram Men-
 sam accedit Eucharistiam sumptu-
 turus, quæ est pignus singularis-
 simi amoris, quo Deus dilexit
 nos; rationabile videtur, ut ip-
 se per actum similiter amoris
 Deo Iesu Christo uniatur. Quan-
 do gravi pulsatur tentatione;
 cum tunc periculum sit, ne se-
 paretur à charitate Dei, debet
 illico auxilium Dei implorare,
 protestando, se illum super om-
 nia diligere, & sic potius velle
 mori, quam temptationi succum-
 bere, & peccatum commitere.

11 Quando est necessitas
 subeundi martyrium. Cum Deus
 blasphemis impetratur, sacri-
 gis

gjjs inhonoratur , contemnitur , aut gravi quodam scelere offenditur ; & hæc qui videt , vel audit , si zelo Dei incensus sit , protestantarem injuriarum reparacione , in actum vehementis amoris prosiliet . Tenetur tandem quilibet instantे morte actum amoris Dei elicere ; quia tunc urget receptio Sacramentorum Pœnitentia , Viatrici , & Extremæ Unctionis : quæ recipi non possunt sine quodam Dei amore . Certum , & indubitatum est , quod teneamur ipsum diligere : *Diliges Dominum Deum tuum , &c.* Præceptum hoc , in quantum est affirmativum , obligat aliquando : Ergo maximè imminentे morte , quia tunc est periculum , ne occasione ejus nobis eripiatur , ut uniamus nos Deo .

12 Alia ratio est , quod debeamus omni conatu æternam nostram salutem , & quantum in nobis est , certam facere ; idque sit principaliter cum actu perfecto amoris Dei , idoneo gratia Redemptoris ad hominem justificandum . Posset dari casus , ut homo non foret rite , & veraciter baptizatus , vel quod non esset à peccatis absolutus ob aliquem defectum , sive ex parte pœnitentis , sive confessarij ; talis autem justificationis gratiam consequi potest per actuum contritionis , seu amoris

Dei : Ergo in articulo mortis pro majori securitate ad talē actum tenemur . Hinc consultissimum est toto mortalī hujus vitæ tempore , divini amoris actus exercere , quam frequentissimos possumus .

13 Inquires 6. *Quando nam obliget præceptum charitatis erga proximum ?* Ante responsionem est supponendum , quod duo sunt præcepta imposita erga proximum , unum affirmativum , negativum alterum : Negativum , de non habendo odio ipsum , seu de non volendo ipsi malum , aut de non concipiendo tristitiam de bonis ipsius , aut lætitiam de malo , obligat semper , & pro semper , sicut cætera præcepta negativa . Affirmativum autem , de volendo ipsi bonum , vel de gaudendo , aut complacendo in bono ipsius , vel de beneficiendo ipsi per actus misericordiæ spiritalis , vel corporalis , obligat non pro semper , sed in particularibus casibus . Insuper est supponendum , quod ab Innocent. XI. fuerunt damnatae duas propositiones sequentes : *Non tenemur proximum diligere actu interno , & formalí .* Est propositio X. damnata . *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus exteriores :* Est proposit. XI. damnata .

14 Rursus est supponendum, quod quando dicitur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*; non præcipitur æqualitas amoris: debet enim se quisque magis diligere, quam alium: sed præcipitur similitudo, ut videlicet fidelis amet proximum similiter, ac seipsum: Primo, ex parte finis, diligendo proximum in ordine ad Deum, & bona spiritualia sicut seipsum; & in hoc sancta est dilectio proximi. Secundo, ex parte objecti, nihil desiderando proximo, quod sit illi malum, sed tantum quod est illi bonum: & sic dilectio est justa. Tertio, ex parte modi diligendi, ut scilicet proximus diligatur, non in perniciem sui, sed tantum in utilitatem; & in hoc dilectio est vera. Et illa amicitia non est vera, quæ cedit solum in utilitatem, & delectationem diligentis.

15 Nunc respondetur directe ad quæstum, quod loquendo de actu interno discurrendum est, ut supra dicebamus de amore Dei, servata proportione; quod nimirum, quando imminet periculum odij in proximum, tunc per se obligat hoc præceptum de illum diligendo, & teneri nos diligere formaliter, & expressè: Insuper tenemur etiam diligere proximum, quando transacto odio

in illo, debemus illi reconciliari: Insuper dum tentatione aliqua pulsamur ad ei invidendum, quam superare non possumus, nisi per actum amoris erga ipsum: & denique, quoties peccatur contra charitatem proximi, dicunt viri timoratæ conscientiæ, quod tenemur diligere proximum expressè, & formaliter, & de defectu ipsi se acusant. Loquendo vero de actu externo, hoc præceptum per se non obligat ad opus externum beneficentia, nisi quoties proximus est in aliqua gravi necessitate temporali, vel spirituali, in qua nostra opera juvari possit, ut docet S. Thom. apud Mastrium, in Theolog. Morali, disp. 9. quæst. 3. art. 1. num. 51.

16 Diximus, quod nomine proximi intelligitur etiam infidelis, & inimicus, non reduplicativè; quia infidelitas, & inimicitia nequeunt esse motivum amoris, seu nequeunt amari licet; unde intelliguntur specificativè, id est, de illo homine, qui nobis inimicus est, & malum nobis irrogat. Circa istos igitur etiam se extendit charitas, & obligatio amoris, non solum per præceptum de diligendo proximum, sed etiam per aliud speciale præceptum charitatis, quod expressit, & intimavit Christus Dominus, Matth.

Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos.* Idem bis repetitur Luc. 6. & Matth. 18. v. 35. dicit Christus: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Item Matth. 6. v. 12. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c.* Quæ verba clare præceptum, & non tantum consilium exprimunt, ut est concors Theologorum Sententia cum D. Thomas 2. 2. q. 25. art. 8. & 9. & Scot. in 3. d. 30. q. unic. Et id in præceptum non modo de non odio habendo, sed etiam de benefaciendo inimico expressé quoque habetur in veteri lege Levit. 19. *Non oderis fratem tuum in corde tuo, non queras ultiōnem, nec memor eris injuriæ.* Proverb. 25. *Si effurierit inimicus tuus, ciba illum; si stiterit, da ei bibere.* Quo testimonio uitur etiam Paulus ad Rom. 12. *Immo est præceptum nedum juris positivi divini, sed etiam juris naturalis; quia jus naturale dicit alij faciendum esse, quod nobis volumus fieri; & unusquisque vult sibi bonum fieri ab alio, etiam offenso.* Nec obstat illud Matth. 5. v. 43. *Odio habebis inimicum tuum: quia, ut inquit Cornel. & alij, id non fuit dictum à lege, sed à Scri-*

bis legem male interpretantibus.

17 Igitur tenemur communiter exhibere inimicis illa signa, & colloquia communia, quæ generaliter, seu communiter omnibus exhibentur, seu quæ ipsis exhiberentur, si nostri inimici non essent. Imo tenemur præstare inimico ea, quæ teneunt præstare his omnibus, qui sunt intra gradum, & conditionem, in quibus est inimicus, v. g. si est civis, prælatus, cognatus, &c. teneor præstare ex omnia, quæ generaliter præstantur Civibus, Prælatis, Cognatis, &c., quia inimicitia non est sufficiens causa illos privandi talibus rebus, &c. Sic communiter AA. Verumtamen, etiam est communiter receptum, quod non tenemur exhibere inimico illa beneficia, & illa specialia amoris signa, quæ certis tantum personis liberatiter, & amicabiliter conferuntur; nec tenemur cum ipsis particulari, & familiari discursu conversari, & similia; dummodo omissione talium non sit scandalosa; aut per aliquod horum, sine tuo incommodo, possis inimicum tibi, & Deo reconciliare; nam id omittere esset grave; cuilibet enim mandatum est de proximo suo, & quilibet tenetur scandalum, & proximi sui ruinam evitare,

quoties potest absque gravi suo detrimento. Denique, si inimicus ostendit se verè, & ex animo dolere de offensa facta, & veniam petit, tenetur offensus illi offensam remittere. Videatur Mastr. cit. n. 53.

18 Hoc autem non impedit, quod satisfactionem exigat, etiam apud Judicem, non ex odio, sed ex alijs justis motivis, v. g. ut fiat reparatio injuriae, & satisfactio secundum iustitiam; vel ut qui male egit, habeat penam condignam, vel ob alium justum finem. Vindicatum vero inferre est solius Judicis, aut Dei juxta illud; *Mihi vindicta, & ego retribuam:* nam ut bene advertit Mastr. cit. n. 55. & Subt. nost. Doct. in 3. cit. in corpore quæst. §. *Respondeo*, licitum est, & honestum in peccatoribus, & inimicis detestari peccatum, illudque per emendationem tollere, vel optare ut à Deo, aut à Superioribus puniatur; sic enim Propheta oderat inimicos Psal. 108. dicens, *deficiant peccatores à terra, ita ut non sint*, id est, ut non sint amplius inimici, & iniqui: Et in eodem sensu dicebat Apost. ad Galat. 5. *Utinam abscedantur, qui vos conturbant, non ut illi peccatores, extirparentur à terra, sed ut efficeretur, ne amplius peccatores essent, seu ut desinerent*

esse peccatores. Quin etiam de hujusmodi punitione latari possumus, quatenus per illam tollitur malum peccati, & econtra tristari, si peccatores prosperati videamus, quod optimè etiam explicat D. Gregor. lib. 22. Moral. cap. 11. dicens: *Evenire plerumque solet, ut non amissa charitate, & inimici nos ruina latifacet, & gloria sine invidiæ culpa contristet, cum & ruente eo quosdam bené erigi credimus, & eo proficiente quosdam injustè opprimi formidamus*: Et ideo inquit Doct. inimicum posse considerari dupliciter; vel per se, & reduplicative, quatenus talis; & sic potest, & debet esse objectum odioi juxta illud: *Iniquos odio habui*. Vel per accidens, & specificativè, in quantum homo capax gratiæ, & gloriæ; & sic potest, ac debet esse objectum dilectionis, & amoris; quia sic consideratus est proximus noster

19 Sapè in superioribus diximus, valde exhortandos esse fideles, ut sapiūs, & frequentissimè eliciant actus Fidei, Spei, & Charitatis; & ut hic aliqua regula habeatur, sequentem ex nostro Lipsin transcribimus.

*Actus Fidei, Spei, Charitatis,
& Resignationis.*

„O sapientia infinita, quæ falli
„non potest! Bonitas immen-

„ sa , quæ fallere non potest!
 „ Prima & æterna veritas Deus
 „ meus ! Credo in te , & Credo
 „ tibi in omnibus , quæ tu re-
 „ velaſti , & per Ecclesiam Spon-
 „ sam tuam mihi credenda
 „ proponis : & pro hac Sancta
 „ Fide per tuam gratiam mori
 „ sum paratus . Spero in te , o
 „ æterna Beatitudo nostra ! Te-
 „ que per infinitam misericor-
 „ diam tuam , & prætiosissima
 „ merita tua , veniam , gratiam ,
 „ & gloriam cum omnibus ne-
 „ cessarijs medijs mihi promis-
 „ sam daturum confido : & me
 „ totum à te pendere , & nihil
 „ sine te , omnia vero per te
 „ posse agnosco , & profiteor.

20 „ Amo , & amabo te , &
 „ omnia quæ tu amas propter
 „ te , o fons omnis boni ! quia
 „ bonus es in te , & infinite
 „ amabilis . Gaudeo de infinita
 „ perfectione , beatitudine , &
 „ amabilitate tua , & de omni
 „ obsequio , laude , honore , &
 „ gloria tibi ab electis tuis , &
 „ creaturis omnibus unquam
 „ reddita , reddenda , possibili-
 „ que ut reddator . Hæc omnia
 „ tibi intime voveo , præbeo ,
 „ & offero cum omni affectu ,
 „ obsequio , & vita mea . Te ,
 „ tuumque omnibus beneplaci-
 „ tum brachijs dilectionis , &
 „ resignationis arctissimè com-
 „ plector , omniisque possibili-
 „ reverentia , fiducia , amoris ,

„ & pietatis affectu veneror ,
 „ & exosculor , ac amplecti ,
 „ venerari , & osculari cupio
 „ in æternum ; licet me velles
 „ beata visione carere , modo
 „ gratia , & amore tuo nun-
 „ quam destituar . Quidquid in
 „ me est affectus erga creatu-
 „ ras , in te solum transfera-
 „ tur . Quidquid egero in om-
 „ nem æternitatem , aut passus
 „ fuero , cedat ad tuam glo-
 „ riam . Tuus sum ego , fac de
 „ me quidquid vis nunc , & in
 „ æternum . Amen .

QUÆST. V:

QUOT , ET QUÆ SINT
vitia charitati opposita?

I N hac quæstione non in-
 quirimus de omnibus
 vitijs quomodocumque chari-
 tati oppositis ; sic enim omnia
 vitijs sunt ei opposita , & con-
 traria ; siquidem , ut sœpè di-
 ximus , per quodcumque pec-
 catum mortale amittitur chari-
 tas . Sermo igitur est de ijs ,
 quæ ex sua speciali ratione par-
 ticularem oppositionem habent
 cum charitate . Plura à Theolo-
 gis enumerantur , quæ possunt
 reduci ad tria genera : Primum
 est eorum , quæ repugnant ac-
 tui interno amoris , & gaudio
 charitatis ; ut odium , accidia ,
 invidia . Secundi generis oppo-

nuntur paci charitatis; ut sunt discordia, contentio, schisma, rixæ, bellum, & duelum. Tertiæ generis opponuntur misericordiæ, & fraternæ charitati; ut est scandalum. De quibus omnibus fôse S. Thomâs 2.2. à quæst 34. usque ad 43. & cum eo Summiste, & aliqui Scholastici; nobis autem non licet in omnibus immorari; & quantum ad nostrum intentum attinet, per quædam quæsita de odio, de schismate, & bello tractabimus.

2 Quæres 1. „ Quid, & „ quotplex sit odium? Respond. 1. quod odium, est actus, quo volumus alicui malum, quæ malum ipsius est, quod ex charitate teneamus non velle ipsi. Solet hoc evenire, vel per tristitiam de bono, quod actu obtinet, vel per gaudium, & delectationem de malo, quod habet: vel per desiderium, quod illi adveniat malum, quod non habet; & privetur bono, quod habet. Tristor, v. g. quod Petrus sit dives (non quia divitiis abutitur, quia tunc tristitia esset de malo usu) gaudet de ipsius occisione: desidero jacturam illius famæ, vel facultatum, aut non esse, vel esse sub ærumnis; aut ut hæc ipsi adveniant, cooperor; odio habeo Petrum. Sicut per oppositum,

ipsum amo, cum volo ei bonum, sive, quod habet, gaudendo, quod illud habeat, & cooperando, si opus est, ut conservetur semper; sive, quod non habet, optando illud ipsi.

3 Respondeatur 2. Odium est duplex, scilicet, *inimicitiae*, & *abominationis*. Odium inimicitiae est, quia est odium personæ, quæ nobis displicet, & cui propterea volumus malum, ut malum illius est. Illud vero abominationis, est aversio quædam à persona propter qualitatem, vel defectum in ipsa existentem, ex qua aversione sequitur, ut nec placeat ejus conversatio, nec præsentia. Quia discipulo, v. g. displicet, & nollet disciplinam, ac correctionem Magistri, à Magistro fugit, ejusdemque præsentia sibi grata non est. Hic videas, quod odio habetur potius correctio, quam persona. Et ideo odium abominationis solet dici, etiam odium qualitatis. Sed cavendum est ne crescat in odium personæ. In super, odium abominationis erga homines non semper est peccatum, & potest compati cum charitatis amore; nam ipsos peccatores, quos, ut tales, detestamur, & quorum præsentia nobis displicet, possumus amore charitatis amare, de-

desiderando ipsis bona gratiæ,
& gloriæ. De isto odio dicitur,
Psalm. 138. „ Nonne , qui te
„ oderunt , Domine , oderam;
& infra : „ Perfecto odio ode-
„ ram illos: ubi August. „ Quid
„ est perfecto odio ? Oderam
„ in eis iniquitates eorum. Hoc
„ est perfecto odio odiſſe , ut,
„ nec propter vitia homines
„ oderis , nec vitia propter ho-
„ mines , diligas. Et infra:
„ Quomodo ergo in eis imple-
„ bit , & quod ipſe dixit , non-
„ ne eos , qui oderunt te , odio
„ habui ? Et quod Dominus
„ præcepit , diligite inimicos
„ vestros ? Quomodo implebit
„ hoc , nisi illo perfecto odio:
„ ut hoc in eis oderit , quod
„ iniqui sunt , hoc diligit , qnod
„ homines sunt.

4 Dixi erga homines ; quia
erga Deum est per se , & in-
trinſecē malum , ac mortale ,
eum in Deum nulla possit ca-
dere imperfectio , ob quam abo-
minatione , vel odio dignus
ſit. Illud verō inimicitia , ſeu
personæ ſive in Deum , ſive in
proximum est per ſe , & intrin-
ſecē malum , & ex genere ſuo
mortale , & eſt omnium maxi-
mum ; quia opponitur virtuti
charitatis , de qua maximum
mandatum habemus , juxta
illud Matth. 22. „ Diliges Do-
„ minum Deum tuum , &c.
„ hoc eſt maximum , & pri-
„ mum mandatum.

5 Inquires i. An Deus poſ-
ſit odio haberī ? Resp. afirma-
tivè , à creatura depravatæ vo-
luntatis. Patet ex Scriptura
pluribus in locis. Joann. 15.
Oderunt me , & Patrem. Psalm.
138. v. 21. Nonne omnes qui
te oderunt Domine , oderam?
quaꝝ ſint ſatis. Peccatoribus
diſplicet , quod Deus pœnas
peccatis inſigat , & ea prohibe-
at ; ſub qua ratione cum ap-
prehendant ſibi diſconvenien-
tem , & ſub ea odio habent , ac
optant eum non eſſe , licet re-
vera non ſit malum , quod caſ-
tiget , nec quod poſſit caſti-
gare , tamen ſecundum affectio-
nem commodi eſt malum caſti-
gare. Cœterū propter ſe præ-
cifē odio non poſteſt haberī ,
quia in ejus natura nihil , niſi
infinitè amabile reperitur ,
Odium in Deum , niſi excuſet
inadvertentia , ſemper eſt mor-
tale , nec parvitas materiæ ex-
cuſat : Ratio eſt , quia quodli-
bet odium Dei repugnat ſum-
mæ bonitati Dei maximi , qui
ſummé bonus eſt , nec in ip-
ſum ulla ratio mali cadere po-
teſt ; tum quia ſicut mortaliter
peccat , qui Deo fidem non
præſtat in quolibet fiduci articulo , etiam minimō ; ita etiam
qui vult aliquod malum Deo ,
etiam minimum mortaliter pec-
care videtur.

6 Odium vero in proxi-
mum

muni semper est mortale ex genere suo : nam directe charitati adversatur , eamque tollere potest per se; peccatum autem , quod per se charitatem destruit , ex genere suo est mortale : Unde si quis proximum suum aversetur , & abominetur , quatenus homo , vel quatenus Christianus est ; item si aliquod gravè malum illi operet , quatenus illi malum est , mortaliter peccat , juxta illud 1. Joann.3. „Omnis, qui odit „fratrem suum , homicida est. Et alibi : „Qui odit fratrem suum , in tenebris est ; scilicet , spiritualibus , quæ sunt peccata. Quanvis autem ita sit ex genere suo ; potest tamen esse veniale ob imperfatum animi consensum , seu ex defectu deliberationis , ob inadvertentiam , & ob materiæ levitatem. Videatur Mästr. in Theolog. morali disp. 10. q. 4. art. 1. n. 96. & 97. ubi protota haec doctrina , quæ communis est inter RR. cit. nostr. Subt. Doct. in 2. d. 6. q. 2. in calce ; & pluribus in locis citatur à Vulp. disp. 67. art. 3. & 4.

7 Quæres 2. Quid sit schisma? Respondetur; Est voluntaria , & pertinax separatio ab unitate , & obedientia Ecclesie Universalis , ejusque Capillis , Romani Pontificis , ut Pon-

tifex est , & caput visibile Corporis Mystici , & constantis ex universis fidilibus. Dicitur , ut Pontifex est ; per quod Schismaticus non reputatur , qui renuit Papæ obedire , eique non vult subjici , ut Domino temporali; v. g. Civitatis Bononiae , Perusiae , &c. Schismatici sunt in duplice differentia , alij divisi sunt ab Ecclesia , quoad obedientiam solum , & nullum errorem habent in fide : hujus generis sunt , qui , licet credant Summum Pontificem esse caput visibile Ecclesie , & ceteros fidei articulos , ex propriæ tamen voluntatis malitia nolunt Pontifici , qua tali , obedire , & ligantur excommunicatione Bullæ , ut clarè textus. Alij vero sunt divisi ab Ecclesia , & quoad obedientiam , & quoad fidem , & hi sunt formaliter heretici. Hujus generis sunt Græci schismatici nostri temporis , qui non solum nolunt credere Summum Pontificem Romanum esse Christi Vicarium , & caput visibile Ecclesie Catholice ; sed etiam credunt , Ecclesiam Orientalem , & Constantinopolitanam non esse sub Ecclesia Romana ; Patriarcham Constantinopolitanum non esse inferiorem Romano Pontifice , ut patet ex Actis Conc. Florentini sub Eugen. IV. & habent errorem in fide cum

cum pertinacia contra articulum : *Et unam Sanctam Ecclesiam.* Hi excommunicatione Bullæ ligantur , sicut alij hæretici.

8 Inquires 2. , An ligetur „ excommunicatione Bullæ Catholicæ , qui in Anglia obediens signa exhibet erga Regem , uti Caput Ecclesiæ , „ quanvis firmiter credat , non „ ipsum , sed Romanum Pontificem esse Christi Vicarium , „ & Ecclesiæ caput ? Respondeatur affirmat. Ratio est ; quia ut schismatis crimen committatur , & censura incurritur , sufficit se subtrahere ab obedientia Papæ , ipso effectu , seu opere externo , etiam sine animo se subtrahendi ab obedientia ipsius , ut est Ecclesiæ caput. Ideò nota differentiam inter excommunicationem latam ob hæresim , & ob schisma. Prima copulativé requirit errorem in intellectu cum manifestatione illius externa. Secunda , solum opus externum. Ita communiter DD. Differentiam inter hæresim , & schisma habes : nam hæresis consistit in errorem contra fidem , & sic opponitur fidei. Schisma vero in separacione ab unitate corporis Ecclesiæ ; & sic principaliter opponitur charitati ; nam per charitatem debemus velle proximo bonum : sed unio inter omnia membra

Ecclesiæ est quodam bonum commune omnibus fidelibus : ergo schisma , quod tollit talen unionem , destruit illud bonum , siveque schisma opponitur Charitati. Deinde , hæresis latius patet ; omnis namque hæreticus est schismaticus ; non vero é contra , ut patet ex dictis.

9 Licet schisma differat ab hæresi , & sit peccatum minus grave ; attamen ex suo genere est mortale , & potest fieri veniale solum ex defectu plenæ deliberationis , non vero ex parvitate materia ; quoniam separatio , & divisio ab unitate Ecclesiæ , & ejus capite Romano Pontifice (in qua formaliter schisma consistit) non potest esse materia levis. Nam materia levis esse nequit , sed est mortale ab eo recedere , quod est omnino necessarium ad salutem : sed per schisma ab eo receditur. Nullus enim potest salutem consequi extra Ecclesiæ communione , & unitatem. Utrumque enim est articulum fidei ; & patet ex illo Symboli Constantinopolitani : *Et unam Sanctam Ecclesiam.* Et ex alio Apostolorum : *Sanctorum communione.* De hac unione loquitur David. Ps. 132. *Ecce quam bonum , & quam iucundum habitare fratres in unum.* Unde Chrysostom. 11. in Epist. ad Ephes. ait : *Nihil ita Deum irritat , si ut Ecclesias*

*Ecclesie diuisio, & si innumer-
ra bona operati fuerimus, non
minores tamen pœnas dabimus,
quam qui corpus ejus præscide-
runt.*

10 Schisma si latius sumatur, extenditur ad quamlibet dissensionem; & in hoc sensu comprehendit discordiam, contentionem, bellum, (de quo postea) rixam, & seditionem: quæ omnia præter bellum, sunt ex suo genere mortalia, propter contrarietatem ad charitatem, ex qua habetur concordia; unde Apost. ad Galat. 5. v. 19. 20. & 21. numerat illas inter opera carnis: *Inimicitiae, contentiones, iræ, rixæ, dis-
sensiones, sectæ, &c.* Et subdit: *Qui talia agunt, regnam Dei non consequentur.*

11 Inquires 3. *Quæ sint pœnae, quibus subjacent schis-
matici?* Respondetur, quod li-
cet non amittant potestatem spiritualem procedentem à cha-
ractere, qui indebilis est, &
confertur in Baptismo, Con-
firmat. & Ord. amittunt tamen potestatem jurisdictionis, quæ datur, & tollitur ab Ecclesia, & sic non possunt absolvere, ex-
communicare, indulgentias con-
cedere, nec conferre bene-
ficia; quia cùm se separave-
rint ab Ecclesia, non est justum, quòd potestate ipsius gau-
deant. 2. Schismatici ipso fac-

to incurunt excommunicatio-
nem Cœnæ Domini, non tam-
men fautores, aut defensores Schismaticorum; quia de illis mentionem non facit Bulla, si-
c ut de fautoribus hæretico-
rum; & odia sunt restringenda.

3. Schismatici contrahunt in-
abilitatem ad beneficia impe-
tranda, etiam si resipuerint, modò non advenerit dispensa-
tio Summi Pontificis in Schis-
mate manifesto, aut Episcopi in occulto, ex cap. *Qua dili-
gentia*, de electione. Quan-
tum ad beneficia possessa; illis non privatur, qui cum Schis-
mate non habet hæresim con-
junctam. Quòd si simul sit Schismaticus, & hæreticus, propter hæresim privatur à bne-
ficio posse, modò interve-
niat sententia Judicis: delin-
quens enim non tenetur solve-
re pœnam, nisi post senten-
tiā declaratoriam delicti, aut
nisi appareat talem esse Legi-
latoris intentionem, dicendo
v. g. *beneficiū vacet in con-
scientia*, & non sufficiunt ista
verba, *sit privatus ipso jure,
facto, eo ipso, &c.* Hoc pro-
bat usus, qui est legum inter-
pres; Doctorum turma hoc af-
ferentium, etiam si crimén ita
notorium sit, ut non possit ce-
lari. Bonac. de Legib. disp. I.
q. 1. p. 7. q. 2. proposit. 1. n.
8. Qui ordines suscipit à Schis-
ma-

matico, suspensionem ab usu ordinum incurrit, cap. 1. de Schism. ubi dicuntur ordines irritari, id est, quoad usum. Qui beneficium, vel dignitatem à Schismatico recipit, privari debet illis, cap. de Schism.

12. Inquires 4. „ An, qui negaret huac numero Pa-
„ pam, v. g. Benedictum XIV.
„ esse verum Pontificem, &
„ Ecclesiæ Catholice caput vi-
„ sibile, esset Schismaticus, &
„ Hæreticus? Respond. affirmati-
ve; quia de fide est, Be-
nictum XIV. esse verum Pon-
tificem: Ratio est; quia sicut
est de fide, quod, omnis ritè,
& canonice electus in Pon-
tificem, sit verus Pontifex,
& Ecclesiæ caput; ita est de
fide, „ quod hic numero ho-
mo, ritè, & canonice elec-
tus, sit verus Pontifex. In
ea enim propositione omnes
singulares revelantur; quemad-
modum in ista: „ Omnes
homines resurgent, revela-
tur, quod ego, & alij resur-
gemus. Benedictus autem
XIV. est ritè, & canonice elec-
tus in Pontificem: quod mora-
li evidenter, & certitudine inno-
tescit, ex eo, quod eligentes, &
universalis Ecclesiæ consensus,
eum in verum Pontificem, re-
cipiant, & teneant. Sed de hoc
latius infra.

13. Inquires 5. Quid fa-
Tom. III.

cendum, quidque consulendum,
dum in Ecclesia eodem tempore
duo reputantur Summi Ponti-
fices? Respond. Si constet de
canonica electione unius, & de
non canonica alterius, confess-
sarius consulat, & pœnitenti
principiat, ut pro vero Pontifice
eum agnoscat, quem constat
canonice electum, & Ecclesia
recipit. Si verò res sit dubia, &
ignoretur, quis eorum sit legiti-
mè electus, est pœnitenti in-
jungendum, ut teneat se tan-
quam Ecclesiæ Catholice mein-
brum, sub uno ipsius Capite
Christo, & ejus Vicario, qui
in conspectu ipsius est legitimè
electus, quisquis ille sit; &
promptum se exhibeat ad illum,
pro vero Pontifice agnoscen-
dam, quem pro tali approba-
bit Concilium Generale, vel
Ecclesia suscepit.

14. Quæres 3. Quid, &
quotuplex sit Bellum? Resp.
quod juxta nominis ethimolo-
giā, Bellum dicitur à Belluis,
quia Bellatores pugnas feroce-
bestiarum imitantur: vel ita no-
minatur per antiphrazim, quia
bellum omnia acerba, & nihil
bellum habet. Communiter ab
AA. definitur sic: Est præpara-
tio, & dispositio militum ad
pugnam. Prælum autem est
ipsa actualis pugna, & con-
flictus.

15. Ad secund. partem quæ-
s. P. sitū

Si respondeatur, quod Bellum est multiplex: Unum *justum*, quod à legitima potestate, justo titulo, & certis conditionibus, infra numerandis, suscipitur. Aliud est *injustum*, quod deficienteibus praefatis conditionibus, geritur. Item aliud est *aggressivum*, seu *offensivum*; quo alius impetratur; & aliud *defensivum*, quo quis ab impellente se defendit, vim vi repellendo. Item aliud est *Bellum Sacrum*, quod contra hostes fidei suscipitur pro Religionis tutela: & aliud *non sacrum*, quod pro bonis temporalibus geritur.

16. Ut Bellum offensivum sit licitum, requirantur tres conditiones: 1. *Est legitima auctoritas*, juxta August. lib. 22. contra Faust. cap. 75. quem sequuntur omnes Catholici DD. Propterea, soli Principes, & Respublice in temporalibus non habentes superiorē, ad quem possint recurrere pro reparatio-ne *injuria* *receptæ*, possunt Bella movere. 2. *Conditio est, recta intentio*, seu *finis rectus*; adeò ut finis suscipiendi bellum sit *pax*, *salus*, & *securitas Reipublicæ*, juxta August. relatum cap. Noli 23. q. 1. Non enim cupidatum, & diviciarum, aut gloria tantum causa, & libidine dominandi bella moveri debent: nam ut S. Doctor inquit, lib. 3. de Civit. Dei, cap. 6.

Inferre bella regni cupiditate, conterere, & subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est? Legendus etiam est loco cit. contra Faustum cap. 74. 3. Conditio est, quod *causa sit justa*; ut nimirum, qui per Bellum impugnantur, sint culpabiles; vel quia *injuriam irrogarunt*, vel *jura læserunt*, vel bona occuparunt. Causa etiam debet esse gravis, judicio Prudentum, cum proportione ad *damna verisimiliter ex bello secutura*; aliás imprudentissimè moveretur, cum irrationaliter agat, qui ob defensionem boni minoris, majus bonum exponit periculo; & ut impedit minora mala, majoribus viam aperit, &c. Nec plus intendendum est, quam id, quod jure sibi debetur; alias, etiamsi causa fuerit juxta, bellum erit illicitum, & non sine peccato. Insuper, adhuc causa justa concurrente, priusquam bellum moveatur, tenetur Princeps offensus monere adversarium, ut velit pacifice concordare, & si bi amicabiliter satisfacere. Ratio est; quia ex charitate tene-mur vitare innunera mala, quæ ex Bello sequuntur, si sine bello possumus. Si 1. & 3. conditio, vel quilibet illarum deficiunt, Bellum non solum est contrarium charitati, sed etiam justitiae, cum honore *restitutionis*; si

si sola secunda desicit, Bellum non est contrarium iustitiae, sed charitati. Sic enim nunciter DD. Videatur nos. Mastr. in Theolog. Moral. disp. 10. art. 2. per totum.

17 Nunc, prout ad nostrum principale intentum attinet, est advertendum, tres præsertim fuisse hereses circa bellum susceptionem. Manichæi, quorum sectator fuit Wicleffus, in genere damnantes bellum ex sua natura, tanquam impios accusabant Moysem, Josue, Davide, & alios Reges, & Princeses Veteris Testimenti, quia bellum gesserant. 2. Anabaptistæ interdicebant bellum saltem Christianis, fundati in illo tex- tu Scripturæ Matth. 26. *Omnis qui occiderit gladio, gladio perirebit;* & in hoc sequebantur Julianum Apostatam, qui ut impediret, ne se defuderent Christiani ab injurijs, quas illis inferebat, solitus erat eis objicere hos contextus: *Si quis te percussit in una maxilla; præbe illi, & aliam,* Matth. 5. ad Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes.* 3. Lutherus omne bellum non prohibebat, sed dicebat illicitum esse in particuli contra Turcas; in articulis enim damnatis à Leône X. ait: *Præliari adversus Turcas est repugnare Deo visitanti ini-quitates nostras per illos:* hoc

tamen revocavit, & tale bellum commendavit Principibus Christianis; si enim non liceret eripere à captivitate tyrannica, quomodo in libro Judicum, Juges, & Duces populi saepius pignassent ad Judæos eripientes è servitute Gentiam?

18 Dicimus ergo, quod Bellum ex natura sua est licitum, & honestum, si concurrant conditiones superius relata. Est omnium Catholicorum contra citatos Hæreticos; immo est de fide, inquit noster Mastrius, expressum in Sacra Scriptura; saepè enim iusit Deus bella fieri, ut Numer. 25. loquutusque est Dominus ad Moysem dicens: *Hoc est vos sentiant Madianitæ.* Et 1. Reg. 15. *Vade, percute Amalech, & demoliere universa ejus.* Præterea, Deus opem tullit præliantibus, Exod. 17. Deuter. 1. Et 2. Paral. 20. Psal. 17. Insuper Joann. Baptista, Luc. 3. v. 14. bellum approbat, præscribens leges Militibus, ut non perderent salutem animæ. Item, quia Deus interduin stupendis miraculis præliantium adjuvit coenatus, quando v.g. Josuæ 9. ad Clangorem tuvarum corruerunt muri Civitatis Hierico. Et 4. Reg. 19. *Angelus Domini percussit una nocte centum octoginta quinque milia Assyriorum in illorum castris.* Et de hoc sunt

plena Historia nostra Hispania in Bellis contra Mauros; in Hymno ad Vesperas S. Jacobi dicitur: *Tu, bella cum nos cingerent, es visus ipso in prælio, quoque & ense accerrimus Mauros furentes sternere.* Videantur Offic. Triumphi Sanctæ Crucis, & Sacratiss. Rosatij.

19 Hoc etiam ipsamet ratio naturalis suadet; nam bellum, vel est defensivum, vel offensivum? Si defensivum, constat ex natura sua licitum esse: nam unicuique Jure Naturæ licitum est, vim sibi injuste illatam vi repellere: quod si hoc licet homini privato de Jure Naturæ, tanto magis Principi, vel Republicæ id licebit. Si bellum est offensivum, tunc etiam licitum est ob eandem rationem; si enim privatus homo potest litem indicere adversario suo, seu injuriarum actionem per viam Juris; hoc idem facere poterit Princeps, vel Republica per viam belli, quando via Juris non est sufficiens; alioquin publica injuria Principi, vel Republicæ illata nunquam resarciri posset, vel vindicari; & sic nulla Republica tuta esse posset, nec publica justitia, & indemnitas custodiri, quod est absurdum. Confirmatur ex praxi in universo Orbe usitata, & in quolibet tempore: quod certe non con-

tingeret, si haberetur à natura prohibitio ejus, aut à jure divino, vel humano.

20 Probatur denique, præsertim contra Anabaptistas: si bellum esset Christianis, vel Catholicis illicitum, vel esset propter damna, quæ ex bello oriuntur; vel propter obligationem, quam habent diligendi proximos, etiam inimicos; vel quia tenentur condonare offensam? Non primum: quia majora mala possunt impediri per bellum, quam ex illo sequantur; posset enim tota Respublica venire in potestatem inimici, qui majora dannata afferret, ut per se patet. Non secundum; quia ex charitate debemus nos præferre inimicis, ut supra diximus. Non 3. quia possumus licite ex iustitia exigere satisfactionem injuriæ, ut satis etiam supra: g. de primo ad ultimum, servatis conditionibus relatis, licitum est bellum ex natura sua; & tam ex veteri, quam ex novo Testamento.

21 Nunc respondetur ad textus Sacra Script. qui videntur bellum interdicere, quod sic intelligendi sunt: Quando dicitur Matth. 5. *Si quis te percussit in una maxilla, prehe illi, & aliam;* hoc non est absolue necessarium, alias fecisset Christus, qui tamen dixit:

Cur

Cum me cedis? sed per hoc privatam vindictam, & inordinatam vult arcere; ita quod accepta una injuria, parati simus ad aliam, potius quam vindictam proprijs manibus, & inordinatè sumere. Sic etiam intelligenda sunt hæc verba: *Qui gladium acceperint, gladio peribunt;* supple, ex motu privatae vindictæ; quod tam non prohibet bellum, quia suscipitur auctoritate publica. Hoc ex professo docuit D. Aug. lib. 2. contra Manichæos, oppositi sententes; nam explicans illud Matth. 25. Ab eis objec-tum: *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit,* inquit, ille accipit gladium, qui nulla superiori, aut legitima potestate juvente, vel concedente, in sanguinem alicujus armatur; qui vero ex auctoritate Principis, vel Judicis, si sit persona privata; vel ex zelo justitiae Imperialis, quasi ex Auctoritate Dei, si sit persona publica, gladio utitur; non ipse gladium accipit, sed ab alio sibi commisso utitur; Unde ei pena non debetur. Hucusque Augustinus apud Mastr. cit. Quando dicit Iai. cap. 2. *Non levabit gens contra gentem gladium,* per hoc tantum indicat, non fore Bellum in adventum Messiæ. Si in Concilio Niceno can. 2. præcipitur,

ut Christiani, qui antea militia reliquerant, & postea ad illam redierant sint decem annis in penitentia; hoc intelligitur de conversis, qui militiam Licini, ab Diocletiani Imperatorum Infidelium resiquerant, ut se darent Christo, & postea ad eamdem militiam reverti pretendebant, abnegando fidem receptam.

22 Inquires 6. *An licet posset fieri Bellum contra Hereticos?* Respond. posse fieri si heretici turbent pacem Ecclesæ, vel Reipublicæ; habetur enim exemplum Moysis, qui interfecit tria milia hominum, quando pars populi commisit Idolatriam. Quantum ad Infideles, si sint subditi defacto Christianis, ut sunt Iudei in Italia, illis potest fieri bellum, quando obsunt bene communii, & crimina committunt: si sint tantum de jure, & non defacto subditi Principibus Christianis, ut sunt Turcae, potest illis bellum declarari, & ab illis auferri terras, quas habent a Principibus Christianis. Hoc, inquam, potest fieri ab illis Principibus, qui ex successione habent ius ad illas terras; immo & ab alijs, maximè si accedat consensus, saltē interpretatus, Summi Pontificis.

23 Si infideles non sint subjecti Principibus Christianis,

nec

nec de jure , nec de facto ? Sunt divisi AA. Quidam enim dicunt non posse fieri bellum contra illos , nec privari dominio suarum rerum ob præcisam rationem infidelitatis , & hæresis. Alij vero è contra affirmant , posse fieri bellum contra illos ex eo , quod sint infideles , & hæretici : quia ex hoc præcisé sunt injuriosi Deo , & Ecclesiæ Catholicæ , ac Summo Pontifici , cui tenentur subjici , parere , & obedire. Omnes denique convenient , posse fieri Bellum contra illos , si occupent terras ad Catholicos pertinentes ; si Catholicos injurijs afficiant ; si suis Ritibus damnum inferant innocentibus ; si fidem , Ecclesiam Catholicam Romanam , aut capit ejus visibile , ut est Summus Pontifex Vicarius Christi Domini contumelijs , aut blasphemij tractent ; si mortalium generi pernitosi sint , ut qui carnes humanas devorant , vescantur , aut sacrificant Idolis ; si fidei susceptionem , aut prædicacionem impédiant ; nam , ut supra diximus , Ecclesia habet ius prædicandi fidem per universum orbem , Marc. 17. *Prædicate Evangelium omni creatura.* Et potest cogere per vim , & bellum , mediantibus Principibus Catholicis , Hæreticos , & Apostatas , ut redeant ad fi-

dem , quam in baptismo recesserunt.

24 Inquires 7. *An licitum sit Principi Christiano , quando bellum est justum , vocare in auxilium suum Infideles ad militandum contra fideles?* Resp. cum communi DD. hoc non esse illicitum ex natura rei ; quia cum Infideles possint ex justa causa preliari cum fidelibus ; sic etiam possunt vocari , ut juvent contra fideles ; David enim 1. Reg. 28. Præbuit Achis Regi Philistinorum auxilium contra populum Israël : ratione tamen scandali , & periculi infectionis fidelium hoc est sèpè illicitum : Unde Deus prohibuit Israélitis , quod intrent sedes cum infidelibus ; ideo ponavit Assa Regem Juda , 2. Paralip. 16. Et Josaphat etiam Regem Juda ; quia prebuit auxilium Regi Achas , 2. Paralip. & ille accepit auxilium à Benadad Rege Syria.

25 Inquires 8. *Quibus sit licitum militare , seu bellare?* Respond. cum communi Doctorum , in bello justo omnes posse pugnare , & adjuvare , nisi eis sit specialiter prohibitum , cum in tali casu actionem honestam exerceant. Jure tamen positivo prohibitum est bellum omnibus Clericis in majoribus ordinibus constitutis , ita quod propria manu pugnari non possint,

sint ex cap. Eos qui 20. q. 3.
& cap. *Quicumque ex clero 23.*
q. 8. quod habetur 2. Timothi;
2. *Nemo militans Dōm;* impli-
cat se negotijs secularibus;
hoc tamen non prohibetur, in-
quit Mastrius, quia per se sit
peccatum bellare contra hos-
tes fidei, sed quia eis tale
exercitum non decet; in perso-
na enim propria debent uti ar-
mis spiritualibus, ut sunt sa-
lubres admonitiones, & devotæ
orationes, & similia, juxta illud

2. Cor., Arma militiæ nostræ
, non sunt carnalia, sed spiri-
tualia.

2026 Possunt tamen suadere
bellum, Principem sæcularem
evocare ad bellum suscipien-
dum pro defensione sui Ecclesie,
bellum indicere, & Du-
cem constituere, qui bello præ-
fit: similiterque bello interesse
ad serenda subsidia spiritualia,
& in illo hortari milites, ut
fortiter dimicent, sine intentio-
ne formalis sanguinis effunden-
di: Unde cum Innocentius III.
ait, enormiter peccare Cleri-
cum, qui alios ad pugnandum
incitat, intelligitur de bello in-
justo. Possunt Clerici ex licen-
tia Summi Pontificis in extre-
ma necessitate pugnare pro
propria manu, & consequenter
hostes occidere, spoliare, & fa-
cere omnia alia, quæ licite fa-
ciunt alijs milites: & hoc v. g.

quando talis pugna necessaria
est ad defensionem sui, aut
Reipublicæ, aut Exercitus, qui
sine ea esset periturus. Immo
etiam ad hoc tenentur, non
expectata Pontificis silentias
quia hoc est de jure naturæ: nec
in his occasionibus incurrit
irregularitatem; quoniam ipsa
non contrahitur, nisi in casi-
bus à jure expressis, quando,
scilicet, aliquis alium occidit
illicitè, vel dat operari rei illi-
citæ, ex qua mors sequitur,
vel denique licite occidit tan-
quam Minister publicus justi-
tia; in his, inquit, contra-
hatur irregularitas ex defectu
perfectæ lenitatis, non vero in
casu proposito; rigores enim
non debent extendi, aliás, qui
justè occidit alium in defensio-
ne sui esset irregularis contra
Clementem. Si *furious* de ho-
micio.

2027 Adde, quod in his ca-
sibus Clericus censetur habere
licentiam interpretativam Pon-
tificis, qua cessat irregularitas.
Si Bellum sit injustum, omnes,
qui in causa sunt, sive consi-
lio, aut auxilio, ut fiat, sunt
irregulares, si ex eo homicidium
sequatur, etiam si illud
non fecerint: quia ad homicidium
inustum cooperati sunt.
Clerici vero, licet bellum sit
justum, sunt irregulares, si
pugnant sine licentia Pontificis,
vel

vel extra casus necessitatis præallegatos : hoc enim prohibet illi Ecclesia sub pena Irregularitatis. Hic quæri solet, an Clericis prohibetur bellum ex jure naturæ ? negat Becanus ; sed melius affirmat Valentia, disp. 3. q. 16. punct. 3. de bello, extra casus necessitatis : pro tunc enim duo præcepta naturæ inveniuntur secundum dictamen rationis vivere confortanter sui statui ; & proinde non se implicare negotijs temporalibus. Et per aliud tenentur defendere se, & Reipublicam, quæ absolute indigeret defensione Clericorum, quod ultimum præceptum præponderat primo. Unde concludit Valente ff. *Nec vera*, extra casus necessitatis invalidam esse dispensationem summii Pontificis, qui nihil potest contra jus naturæ ; sed tantum valere in illis casibus, ubi non constaret evidenter, si opera Clericorum essent absolute necessaria Reipublicæ, tunc enim hoc explicaret Portefex.

28. Inquires 9. *An bona in bello justo accepta, possint licet retineri?* Respondit affirmativè. Jure enim gentium omnia ea, quæ de victis hostibus, justo bello capiuntur, sunt vicitoriæ, ut pluribus congestis apud Gonzalez in 2. tit. 24. cap. 29. n. 9. de Jur. Jurand.

Viri sancti execuerunt hoc ius prædictæ Abraham Genes. 14. jure prædictæ substantiam tulit quatuor Regum. Josue 22. Ex-pugnata Civitate Hactarum, Josue prædam Civitatis divisit filiis Israël ex præcepto Domini.

Inquires 10. *An in bello iusta licet uti insidijs?* Respondit affirmativè, modò semper absint mendacia, & fraudes, quæ sunt signa per se deceptiva. Has est occultare hosti sua consilia, & resolutiones, ac totum quod conducit ad finem belli, & victoria. Dux, exposta parte exercitus, reliquos milites occultans in sylva, insidijs utitur contra hostem ; sed non mentitur ; quia non dicit se alios non habere, nec omnes tenetur expondere. Impudens est hostis, si putet eum alios non habere, vel sibi insidijs non parare. Videatur Aug. in cap. *Dominus noster* 23. q. 2. Unde, Dominus iussit Josue insidijs ponere habitatoribus Hali, ut habetur Josue 8. Et hujusmodi insidiæ non dicuntur propriè fraudes, nec repugnant justitiae, nec voluntati ordinatæ ; esset enim inordinata voluntas, si quis vellet sibi nihil ab alijs occultari. Videatur Mastr. in Theol. Mor. disp. 10. q. 4. art. 2. n. 110. ubi citat Subtil. Doct. in 3. d. 38. quest. unic.

unic. in solutione principaliū, & ait, esse communem RR. opinionem.

30 Inquires 11. *An bellum possit indici cum sola opinione probabili, relictā opinione magis, vel æquè probabili de causa justa?* Respond. negativè. Est communis contra paucos. Probatur, quia causa belli debet esse certa, & valde explorata; quia bellum est gravissima poena, quam unum Regnum, vel Respublica alteri infert: g. in dubio nequit indici bellum juxta regulam juris in 6. *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.* Et juxta illam aliam, *in dubijs semitam debimus eligere tutiorem;* seu *in dubijs tuior pars est eligenda:* Ergo opinio de iustitia belli debet esse absque dubio probabilius, & moraliter certa: Et patet in Judice sedente inter duos litigantes ob agrum, qui non potest in unum præ alio sententiam dicere, si aquilis ponderis rationes afferant. Æquè remanent in æquilibrio lances in libra, si æquale utrumque pondus imponatur, ac si nullus imponeretur. Ita Mastr. cit. Poncius, Curs. Theolog. disp. 33. q. 4. Laur. de vitijs charitati oppositis, disp. 14. art. 10. q. 5. num. 254. & 258. Ratio est; quia cum agatur de re

Tom. III.

gravissimi momenti, ut de periculo tot homicidiorum, & calamitatum, quas bella afferunt, necessè est, ut præcedat opinio, quæ dubium excludat, & esse possit regula moralis operacionis, ut quis prudenter agat, & periculo peccandi non se exponat.

31 Inquires 12. *An milles dubitans de iustitia belli (quod Principi notum fuit esse iustum) juxta militia regulas, & non alias militavit, peccaverit?* Respond. Vel milles est voluntarius, vel subditus, aut conductius? Si erat voluntarius, affirmatur peccasse; quia hujusmodi milles obedire non tenetur, cum nec subditus sit, nec stipendiatus, & alias exponit se periculo inferendi proximo gravissimam injuriam. Exigitur itaque præsumptio, quod jus ille habebat justè bellandi: propterea debet inquirere de iustitia belli, & dum dubium depone te non potest, à bello abstinebit. Negatur vero, si erat Principis bellantis subditus, aut ab eo conductus, ex Aug. lib. 22. contra Faustum, cap. 75. *Cum ergo, ait, vir justus si forte sub Rige homine, etiam sacrilego militet, rectè possit, illo jubente, bellare civicæ pacis ordinem servans; cui, quod jubetur, vel non esse contra Dei preceptum, certum est: vel utrum*

Q

fit,

st. certum non est, ita ut fortissime reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem offendat ordo serviendi. Ratio est ex cit. Laur. §. 3. num. 156. quia stipendiatus, & subditus pro Principe debet presumere, quod examinata prius diligenter causa, ad bellum justè procedat; maximè, quia milites rationum pondera discernere nesciant, & merita Civium distinguere nequeunt: neque hoc ipsorum est, ex Gloss. ad cap. Quid. culpatur 23. q. 1. verb. *Iniquitas.* Nimis grave foret Reipublicæ, & moraliter impossibile, si omnibus militibus esset danda ratio justitiae belli.

32 Sed credo esse limitandum. 1. Quod peccet milles conductius, si priusquam stipendum accipiat, cum eo dubio contractum celebrat. 2. Si ei aliqua probabilis ratio occurrat, quæ ipsum positivè in praxi dubium reddat. Nota 1. Millites paratos famulari cuilibet ad bellum vocanti, sive justum, sive injustum sit, modo stipendum præbeat, esse in malo statu; & nisi propositum corrigant, absolvì non possunt. Nota 2. Millites omnes ratione stipendijs, quod accipiunt, ex justitia, adeoque sub culpa mortali obligantur. 1. Ad obediendum Duci, & militia Präsidii. 2. Us-

in acie, & pugna consistant, & non facile fngiant, alijsque timorem injiciant. 3. Ut stationem servent. 4. Ut arcem sibi commissam defendant, etiam cum periculo vita, quādiu spes defendendi supereft; v. g. ut sine Ducis sui consensu à Castris, vel Exercitu non discedant. In hac re debet milles advertere, quantum damnum ex discessione sua sequatur: vel, quia alias milles non nisi magnis expensis adduci possit.

33 Ex quibus omnibus inferunt communiter DD. bellum non posse esse justum, saltem materialiter, ex utraque parte; nam fieri non potest, quod uterque Princeps, inter quos est bellum, justam causam faveat à parte rei; quia res, vel competit uni, vel alteri. Unde cum Subt. Doct. in 4. d. 15. q. 2. art. 1. ubi ait, quomodo Rex se gerere debeat ad bellum inferendum pro Regno consequendo; si enim alter occupat tyrannicē Regnum ad se pertinens, nolitque illud restituere? affirmat Doctor posse illi justum bellum indicere, directè quidem ad acquirendum sibi Regnum injustè ab alio occupatum, & indirectè ad necandos sibi obstantes: quando verò claré non constat Regnum ab uno occupatum de jure ad alterum pertinere, sed pro utraque parte sunt rationes probabiles,

in hoc casu, cum agatur de re valde gravissima, & sequatur nimis grave damnum in præjudicium tertij, tenetur Rex sequi tuiorem, & probabiliorem opinionem ex obligatione charitatis, quam erga proximum habere tenemur. Diximus, *saltem materialiter*; nam quando magis solum formaliter potest esse bellum iustum ex utraque parte, videlicet, quando unus Rex certò judicat habere ius certum ad rem, & revera habet: & alter certò judicat idem, sed cum invincibili ignorantia juris certi alterius.

34 In bello justo licet omnia facere, quæ necessaria sunt ad vindicandam injuriam ad boni communis defensionem, & salutis securitatem; ut vastare, obsidere, destruere arces, nocentes interficere (sed cavenda est nimia authoritas, & inhumanitas) aliaque damna inferre, quantum necesse est ad habendam pacem, & securitatem ab hostibus, qui ratione delicti, & injuria irrogata censentur subesse Principi bellanti tanquam Judici proprio, ut ab eo coercentur, ne amplius nocent, satisfaciant, & Orbem non perturbent.

35 Inquites 13. *An innocentes licet occidi possint?* Respond. Directè, & ex intentione non licet; quia est intrinsecè ma-

lam, & prohibitum, Exod. 23. Per accidens autem est permisum; cum nimirum obtineri victoria nequit, nisi & ipsi perreant, sed id non debet intendi; sed solum victoria. Et tunc occiduntur sine culpa, sed non sine causa. Quod intelligitur, tūm de innocentibus Jure Naturæ, ut sunt pueri, senes, & mulieres, & alij, qui arma gestare nequeunt. Tūm ex præsumptione Juris, ut sunt Clerici, qui cūm ipsorum status sit à militia alienus, per respectum ad illam præsumuntur innocentes.

36 Inquires 14. *Petrus discesserūs ad bellum contra Turcas instrui petit, an liceat sibi iporum pueros occidere?* Respond. Negativè ex speciali intentione ad eos per se directa, sed per accidens licet potest, ut dictum est. At nonne possunt in futurum, & adulta ætate hostes esse Reipublicæ Christianæ? Respondeatur, utique, sed de præsenti sunt innocentes. Dubium futuræ hostilitatis non dat jus occidendi tunc innocentes. Tūm, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, & evitentur alia mala: nec Deus actu hominem punit pro peccato futuro, qui fuit error Semipelagianorum. Tūm, quia possunt in infantia decedere. Tūm, quia adulti possunt fidem suscipere. Tūm, quia non

est justum medijs illicitis pro-
videre bono communi. Tùm,
quia potest alio modo occurri-
eos in servitatem redigendo, &
uti diligentia, ut in fide ins-
truantur, & convertantur. Pra-
xis in Catholicis Castris hæc
esse debet.

37 Inquires 15. *An licet militibus naves proprias comburere, nè ipsi in manus hostium perveniant?* Respond. ne-
gativè: Cùm non sit licitum ad
hujus vitæ ærumnas vitandas se
occidere: nam contra rationem

ad vitandum minus malum,
majus eligeretur. Aliqui affir-
mant in casu, dùm mors pro-
pria directè non intenditur, sed
sola hostium debilitatio: maxi-
mè, dùm accedit Ducis man-
datum, & gravissima causa bo-
ni publici; né, scilicet, inte-
græ naves ad hostium manus
perveniant; qui per hujusmodi
prædam audacieores, & fortio-
res evadent, ac ardentiùs ad
alias naves cupiendas advola-
bunt, à quo abstinebunt ex præ-
vio unius incendio.

TRACTATUS II.

DE VERA RELIGIONE.

Adversus Hetherodoxos, tūm antiquos, tūm recentes.

PRÆFATIO.

QUANTO in pretio sit habenda sollicita controversiarum tra-
ctatio, nullus planè non judicat, (inquit nos. Matthæu.) Quem
enim potest tantæ rei utilitas latere, commodumque refu-
gere? Neminem profecto. Nam praxis eam ab initio nascentis Ec-
clesiæ ad hæc usque tempora prodit, præmonstrat eventus. Ubi
enim frequentes extitere Sectarij, qui Fidei Catholice insultave-
rint, & in obstinationis præsidium, vel Sacros Codices mutilatos
dederint, aut legitimos Canones abraferint, ipsaque Concilia fal-
saverint, semper in gremio Ecclesiæ fuerint viri zelo veritatis ac-
cessi, celebresque doctrinijs, qui in venditantes imperitis men-
dacia, & quo calamo patrocinium assumpserunt Catholicæ causæ,

Si-

Siquidem nobis erumpentibus hostibus, nova semper paratur occasio tutelæ, juxta illud August. 16. de Civit. cap. 2. Ab adversario (hæretico) mota questio dicendi existit occasio. Quoniam di-
vina providentia, ipso teste, lib. 1. de Genes. cont. Manichæos,
cap. 1. Multos diversi erroris hæreticos esse permittit, ut cum in-
sultant nobis, excutiamus pigritiam. Quippe, ut repetit Epist.
194. ad Sixtum ad fin. hæretorum inquietudine, tanquam de
somnijignavia, nostra excitatur industria.

Netas propterea est silentio se continere, quoties insolens No-
vatorum factio, impio sœdere colligata, jura Romanæ Cathedræ
invadere nititur; nec calumnijs parcit, ut eam pungat, mordeat,
dilaceret. Tunc quidem Catholicis incombit, aggressores arcere;
ipsaque dissolvere animositatis machinamenta, cum ipsa Implanato-
rum temeritas arma in arcem moveret. Partes sunt filij suppetijs
præstò esse matri: injurias Patri illatas vindicare. Quid namque
fortius natura nostræ indidit menti? Quid expressius potuit no-
bis dictamine veritatis commemorari?

Ecclesia Catholica (inquit August. de Vera Relig. cap. 6.) p. 1
totum Orbem validè, latèque diffusa omnibus errantibus utitur ad
protectionem suos, & eorum correctionem, cum evigilare voluerint.
Utitur enim Gentilibus ad materiam operationis sua; Hæreticis
ad probationem doctrinæ sua; Schismaticis ad documentum stabili-
tatis sua; Iudeis ad comparationem pulchritudinis sua. Quibus
significat quatuor esse genera hostium, qui Ecclesiam oppugnant,
quos ipse errantes appellat: *Gentiles* nimirum, *Hæreticos*, *Schi-
smaticos*, & *Iudeos*, & ex singulis redundat in Ecclesiam aliquid
emolumenti, & utilitatis. Nam *Gentiles*, præbent materiam ope-
rationis sua. Quoniam plures in Ecclesia, doctrina, & Sanctitate
illustres à Romano Pontifice ad Paganorum loca, Evangelij
præcones indies diriguntur, ut ad Catholicæ Fidei lumen eos red-
ducant, apud quos materiam bené operandi competunt. Multos
enim Christo lucifaciunt, & Ecclesia Fidei instructione, & bap-
tismi collatione parturiunt. *Hæretici* profunt ad probationem
doctrinæ Catholicae, ut S. Doct. cap. 8. exponit: Cum autem fo-
ris sunt, hæretici, plurimum profunt, non verum dicendo, quod
nesciant, sed ad verum querendum, carnales, & ad verum ape-
riendum spirituales Catholicos excitando.

Schismatici profunt ad documentum stabilitatis sua. Stabili-
tas Ecclesia illa est, de qua Christus dixit, Matth. 16. Tu es Pe-
trus,

trus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam. Schismatici itaque, qui à Romano Pontifice, Petri successore deficiunt, quid aliud sua defctione operantur, quām docere nos stabiles, & firmos esse, qui Petro, ejusque successoribus constantissimè paremus, & caput visibile Ecclesiae credimus, sincerèque recognoscimus? *Judaï*, tandem prosunt Ecclesiae ad comparationem pulchritudinis sue; quatenus ipsi sunt filii Ancillæ, nos Liberae, illi servituti Mosayæ subjecti; nos vero libertate à Domino nostro Jesu-Christo donati. Illorum Synagoga quid aliud est, quām Ancilla afflita, & repudiata? Cum nostra Mater Ecclesia sit Sponsa Christi speciosa, & perfecta? Si illos inter, & nos comparatio ponderetur, sub umbra illi sunt; nos verum fidei lumen profitemur; illi in tenebris ambulant, nos in luce viam mandatorum percurrimus. Utamur ergo hæreticis, (inquit August. cit.) non, ut eorum approbemus errores, sed, ut Catholicam disciplinam adversus eorum insidias afferentes, vigilantiores, & cautores simus; etiam si eos ad salutem revocare non possumus. Intelligite, si sunt pertinaces, & indurati; nam si sunt dociles, & simplici, ac sincero pectore optant instrui, ac juvari, non difficile convertuntur: Tum, quia libenter admittunt instructionem; tum etiam, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Iste est finis nostri laboris; nam suscipere instructionem errantium, postulat proximi amor; prospicere securitati Catholicorum, charitas commendat; ac denique, veritatem fidei ab hostibus oppugnatum, pro viribus propugnare, amor in Deum imponit; sed antequam descendamus, placuit mihi ad litteram transcribere duo præludia Doctissimi, atque clarissimi P. Martini Be-
cani in suo Manuali controversiarum.

**



PRIMUM PRÆLUDIUM.

*DE VARIA DISPOSITIONE
adversariorum, & quomodo
cum singulis agen-
dum.*

1. **I**gitur adversarij sive illi Lutherani sint, sive Calvinistæ, sive alterius Sectæ, non eodem modo omnes affecti, ac dispositi sunt. Nam primo aliqui in suo errore sunt pertinaces. 2. Alij zelosi. 3. Alij frigidi. 4. Alij dubij, ac fluctuantres. De singulis dicam.

2. Pertinaces sunt, qui quidem agnoscunt se recedere à communi sensu Ecclesiae, & antiquorum PP. Sed tamen ex superbia, & obdurate mentis, ne videantur à veritate convicti, obstinate persistunt in sua opinione. Hi propriè dicuntur *Hæretici*, teste Aug. ep. 162. & lib. 18. de Civit. Dei, cap. 51. Sunt autem similes Pharisæis, & propter duritiam cordis ratissimè convertuntur, juxta illud Matth. 13. v. 15. „In crassatum est cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauerunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligent, & convertantur, & sanem eos. Zelosi sunt, qui

non ex superbia, & obstinatione, sed ex quadam ignorantia falso persuasi sunt, suam Sectam veritati, & Evangelio consentaneam esse, ideoque tanto studio, ac ardore eam defendunt, ut videantur parati vitam potius, quam Sectam deserere. Hi similes sunt Paulo ante conversionem, qui de se ipso scribit ad Galat. c. 1. v. 13. „Audistis, inquit, conversationem meam aliquando in „Judaismo, quoniam supra- „modum persequebar Eccle- „siam Dei, & expugnabam „illam, & proficiebam in Ju- „daismo supra multos coa- „neos meos in genere meo, „abundantius amulator exist- „tens paternarum meatum „Traditionum. Hujusmodi zelosi, quia non peccant ex malitia, sed ex ignorantia, sapè à Deo misericordiam consequuntur, ut idem Paulus de se ipso testatur 1. Timot. 1. v. 13. „Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci „in incredulitate.

3. Frigidi sunt, qui neque ex superbia, neque ex ignorantia, sed ex alijs causis, quas frigide prætendunt, manent in suo errore. Et quando montentur de Catholica fide capessenda, solent cunctari, tergiversari, & frivolas excusationes afferre. Et alij quidem præten- dunt,

Dicit, se in ea Religione, quam defendunt, natos, & educatos esse. Alij, non audere palam profiteri fidem Catholicam, propter amicos, & consanguineos, qui omnes alterius Sectæ sint. Alij, non posse se id facere, ne offendant suum Principem, qui à Catholica alienus est. Alij denique tamet si nihil horum aperte dicant, revera tamen ex una parte manent in heresi propter allatas prætensiones: ex altera simulant, se propendere ad nostram Religionem, ut hac ratione vel Imperatoris, vel alterius Principis Catholicæ favorem aucepantur, aut certè ad officia, & dignitates apud Catholicos promoveantur: Vel, si illa jam antea obtinuerunt, ne amittant. Nec desant, qui ex eventu, & rerum successu statuant de fide sua: nempe, mansuros se in Lutherana, aut Calviniana, si videbunt Catholicos affigi, aut bello succumbere: sive contra Catholicam amplexuros. Hi omnes similes sunt illis, de quibus Elias Propheta 3. Reg. 18. v. 21. „ Usquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Si autem Baal, sequimini illum. Et optimè in eos quadrat, quod scriptum est Eccl. 3. verl. 28. Cor ingredens duas vias non habebit successus.“

4 Dubij sunt, qui simplifici, ac recto corde querunt veritatem. Et quia per se, seu suopte ingenio, ac industria non possunt eam invenire, pertunt ab alijs se doctioribus juvari, ac instrui. Hi similes sunt Nicodemo in Evangelio, & Eunucho in Actib. Apostolorum. Nicodemus petivit instrui à Christo circa regenerationem spiritualem, quæ fit per Baptismum, Joann. 3. v. 4. „ Quo modo, inquit, potest homo nasci, cum sit senex: Numquid poteſt in ventrem matris sua introire, & renasci? Similiter Eunuchus legens Iſaiam Prophetam, cum rogaretur à Philippo: „ Putasne intelligis, quæ legis? Respondit: „ Et quomodo possum, si non alii quis ostenderit mihi? Quasi dicit: Non intelligo sensum Iſiae, sed obsecro, ut mihi interpretaris, ut me iuvæas, ut me doceas. Hujusmodi homines, si incident in viros bonos, a quibus instruuntur, facile juvati solent. Quo pacto Nicodemus à Christo, & Eunuchus à Philippo instructus, & adjutus est.

5 Igitur cum his omnibus non eodem modo agendum est. Ac primo pertinaces non facile admittendi sunt ad disputationem de fide, ac religione: quia cum sint superbi, ac con-

fumaces non volunt resipiscere, etiam si manifeste convincentur; ut patet exemplo Pharisaeorum, qui s̄pē à Christo convicti, nihilominus in errore persistebant. Si tamen cum illis agendum est propter utilitatem aliorum, tria servari debent. 1. Coercendi sunt intra limites certae materiae, ne ex una in aliam dilabantur. Hoc enim fit sine fructu. 2. Restrigendi ad formam syllogisticam, ut vis argumenti appareat. Nec permitendum, ut sine ordine, sine methodo, sine connexione, quasi concionabundi multa effutiant, quod ipsis familiare est. 3. Palam confundendi, & increpandi sunt; sicut Sadducæi, Scribæ, & Pharisæi à Christo fuerunt confusi, & increpati. Matth. 22. v. 29.
 „Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. Et cap. 23. v. 16. „Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Qui, cumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraaverit in auro templi, debet. Stulti, & cæci: Quid enim majus est, aurum, aut templum, quod sanctificat aurum? Similiter à Stephano, Actor. 7. 51. „Dura certe vice, & incircuncisis cordibus, & auribus, vos semper spiritui Sancto resistitis. Deinde à Paulo Apost. Act. 9. 22.

Tom. III.

„Sapius autem multo magis convalescebat, & confundebat Judæos.

6. Hæc confusio dupliciter prodest. 1. Quia per eam minuitur authoritas hæreticorum. Deinde illorum asseclæ minori in pretio eos habent; atque ita facilius ad nos redeunt. Debet tamen esse confusio rationabilis, quæ non fiat per convitia, & maledicta; sed per justam reprehensionem, aut apertam victoriam. Cum Zelosis, qui pertinaces non sunt, contrario modo, idest, modestè, ac benevolè agendum est. Nec tam rationibus, & argumentis obruendi, quām Deo per orationem commendandi sunt. Sic Stephanus orabat pro Saulo, qui ex præpostero zelo Ecclesiam Christi persequebatur, Actor. 7. v. 59. De quo Aug. Serm. 1. de SS. Si Sanctus Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Sic S. Monica cum lacrymis orabat pro filio suo Augustino, qui Manichæorum erroribus erat infectus. De quo ipsi Monica in somno dictum est: Fieri non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat. Quantiporro viri, Paulus, & Augustinus? Hic lumen Theologorum, ille vas electionis appellatus.

7. Frigidi propter suas præten-

R ten.

tensiones, à quibus ægre abstrahuntur, raro ad frugem pervenient. Cum illis serio, ac severè agendum est. Quod dupliciter fieri potest. 1. Ostendendo prætensiones, & excusationes ipsorum esse frivolas. 2. Identidem inculcando, ut saluti sua consulant; neque propter humanos respectus, favores, & sæcularia negotia patientur se ab æterna, & cœlesti gloria excludi. Meminerint illius parabolæ Evangelicæ, Luc. 14. v. 16. „ Homo quidam fecit „ cœnam magnam, & vocavit „ multos, & misit servum suum „ hora cœnæ dicere invitatis, „ ut venirent, quia jam para- „ ta sunt omnia. Et cooperunt „ omnes simul excusare. Pri- „ mus dixit ei: villam emi, „ & necesse habeo exire, & „ videre illam: rogo te, ha- „ be me excusatum. Et alter „ dixit: Juga boum emi quin- „ que, & eo probare illa: ro- „ go te, habe me excusatum. „ Et alius dixit: Uxorem du- „ xi, & ideo non possum ve- „ nire. Ecce vocantur frigidi ad fidem, & Ecclesiam Catho-licam. Excusant se, & varias allegant prætensiones. Quo eventu, sequitur: „ Nemo vi- „ rorum illorum, qui vocati „ sunt, gustabit cœnam meam. Dura sententia, sed justa. Quia enim ad vocacionem Dei cunc-

tabundi, & frigidi sunt, me- ritò ab omni spe vita æterna excluduntur.

8 Dubijs denique, qui sin- cere querunt veritatem, fra- sterne, & ad cuiusque captum accommodatè tractandi sunt; & aliter docti, & ingeniosi; ali- ter rudes, & idiotæ instruendi. Sumamus Exemplum à Chris- to: Is simplicem Judæorum turbam instruebat per parabo- las, & similitudines, quas fa- cile capiebant. Discipulis in Emaus eundibus, Moysem, & Prophetas interpretabatur. Ni- codemo Baptismi necessitatem ex analogia humana genera- tionis explicabat. Mulieri Sa- maritanæ, Messiam esse, ex eo per- suadebat, quod ostenderet se omnia scire, quæ circa illam essent. Unde ipsa: *Venite, in- quis, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcumque feci. Nunquid ipse est Christus?*

9 Adhuc etiam duo requi- runtur in hoc negotio (prose- quitur perdoctus Pater). Alterum, prædicatio Evangelij, seu instructio humana: „ Docete „ omnes gentes. Alterum, gra- tia Dei, sine qua instructio non prodest: „ Sine me nihil po- „ testis facere. Unde fructu la- borant, qui sua eloquentia, & argumentandi subtilitate confi- si, putant se posse errantes ad fidem reducere. Illi, post lon- gos

gos labores, & disputandi acrimoniam, merito usurpent illud Petri in Evang. „, Præceptor, „, per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Quare? quia humana industria sine Dei adjutorio nihil efficit in hoc opere. Itaque mutato consilio, resipiscant cum eodem Petro, & dicant: „, In nomine autem tuo laxabo rete, id est, implorato Dei auxilio, hoc opus inchoabo, ne frustra laboraverim. Quo etiam sensu dixit alter Apost. 1. Cor. cap. 3. v. 6. „, Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit: Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Et alibi: „, Gloria Dei sum id, quod sum. Hæc gratia assidue petenda est, non solum ab ijs, qui alios instruunt in fide, ut efficaciter instruant; sed etiam ab ijs, qui instruuntur, ut efficaciter convertantur. Amen.

SECUNDUM PRÆLUDIUM

DE CAUSIS, QUÆ IMPEDIENT multos adversarios, ne ad fidem convertantur.

10 **E**X dictis colligi possunt quatuor causæ, quæ multorum conversionem

impediant: quarum duæ ex culpa adversariorum, totidem ex nostra incuria ortum habent. Nam & *Pertinaces* propter suam superbiam, quæ Deo inimica est: & *Frigidi* ob inanes excusationes, quas obtendunt, sibi ipsis præcludunt aditum, ut ad veram Christi Ecclesiæ venire nequeant. E contrario, *Zelosi*, & *Dubij*, si non veniant, nostræ socordiæ quodammodo tribuendum est. Utrique à nobis juvari debent: *Zelosi* quidem, nostris ad Deum orationibus: *Dubij* vero, doctrina, & instructione. Sæpe in utroque deficimus. In priori, quia vel raro, vel languide, & cum tedium oramus pro illorum conversione. Orandum sæpius, ferventiū, & majori cum spe, ac fiducia. In posteriori, quia ad instruendos dubios in fide (presertim qui simplici, ac sincero corde querunt veritatem) opus est magnis talentis. 1. Excellentि doctrina, ut rectè instruas. 2. Spiritu mansuetudinis, longanimitatis, & pacientiæ, ut ab opere non desistas. 3. Discretionē, & prudentiā, ut ad captum cuiusque noris te accommodare. His talentis usus est Christus, ut supra insinuavi. Nos aut singula non habemus, aut non semper utimur. Hic defectus corrigendus est.

11 Præter has causas sunt R 2 alia

alia plures , quarum aliquas insinuabimus. Una igitur est, quod sui prædicanter soliti sint odiosæ , ac mendaciter traducere doctrinam Catholicorum, ut populum ab ea absterrent: solent enim hæc , & similia clamare in Cathedris , compitis, hospitijs. Primo, nos pluris facere Traditiones hominum, quam Verbum Dei. 2. Verbum a nobis corrumpi, & adulterari. 3. Fideni apud nos negligi : sola opera commendari. 4. Nos docere, peccatorem suis operibus mereri gratiam , & remissionem peccatorum. 5. Non minus Sanctos , quam Christum a nobis colli. 6. Immó Sanctos pro Dijs apud nos haberi , & adorari. 7. Et solemne apud nos esse , ut in festis Sanctorum nulla suscipiatur cogitatio de Christo, sed eo tantisper excluso , soli Mariae, vel Petro , vel Nicolao cultus , ac reverentia deferatur. 8. Cum moriendum est , nos non confidere in meritis , & passione Christi , sed partim in nostris operibus , partim in patrocinio Sanctorum. 9. Nos in consecratione uti magicis incantationibus. (Sic impie vocant verba illa Christi: Hoc est corpus meum) 10. Nos asserere, Pontificem dispensare posse contra vetus , & novum Testamentum. Et alia ejusdem

generis sexcenta mendacia.

12 Quorsum hæc, obsecro? Nimirum ut populo persuadeant , nostram doctrinam esse falsam , absurdam , Christo , & Evangelio repugnantem , quod facile obtinent a simplicioribus. At qui cordati sunt , qui que rem totam prudenter discutiunt , & examinant , statim advertunt fraudem , & imposturam : Et cognoscunt aperte a suis Prædicantibus deludi.

13 Alia causa , quæ multos impedit a conversione , sumitur ex subtractione calicis. Multi enim Lutherani , & Husite asserunt , non aliam ob causam abhorrire se a nostra fide , & Religione , quam quod Laicos excludamus a communione sub utraque specie. Reliqua , quæ apud nos fiunt , tolerari posse : hoc unum non posse. Extra hoc Catholicos se esse : in hoc a Catholicis dissentire. Unde hæc persuasio? Ex plausibili quidem , sed ramen falso fundamento. Solent enim ratiocinari hoc modo: Christus in ultima cœna , cum sciret se morti proximum esse , condidit solemne Testamentum , quo omnibus fidelibus , tanquam filijs Dei adoptivis , legavit suam carnem , & sanguinem sub specie panis , & vini , per modum hæreditatis , Luc. 22. y. 29. Jam vero Catholici

cū privant Laicos altera parte
hujus hæreditatis , quia suffi-
furantur illis sanguinem , &
jubent , sola carne contentos
esse. Et sic faciunt magnam in-
juriam non modo laicis , quos
privant , sed etiam Christo , cu-
jus violent Testamentum. Sic
illi. Sed ex falso , ut dixi , fun-
damento , quod infra ostendet-
tur.

14 Alia causa , quam etiam
multi prætedunt , est onus con-
fessionis. Putant durum , ac
molestum onus esse , quod Ca-
tholici debeant sua peccata ,
etiam occultissima , sigillatim
recensere coram Sacerdote. Pri-
mo , quia sœpē contingit , ut
homini non occurrant omnia
anteactæ vitæ peccata , quæ
commisit. Quid tunc facien-
dum ? An torquendum caput ,
& anxie diebus , ac noctibus
perscrutandum , quid olim se-
ceris , dixeris , cogitaveris ?
Carnificina hæc est. Secundo ,
pudet hominem aperire Sacer-
doti ea peccata , quæ carna-
lia , & pudenda sunt , ut for-
nications , adulteria , sodomi-
as , & similia , quorum quis-
que sibi conscius est. Tertio ,
periculum est , ne Confessarius
alij ea manifestet , cum mag-
no conscientis rubore , ac con-
fusione.

15 Sed hæc causa tanti
momenti non est , ut propter

eam deserenda , aut culpanda
sit Ecclesia Catholica. Quin po-
tius ex hoc capite laudanda ,
& in pretio habenda est. Nam in
negotio Confessionis non
debet attendi molestia , & dif-
ficultas , quæ peccato subeun-
da est ; sed potius utilitas , &
tranquillitas conscientiæ , quæ
ex Confessione percipi solet.
Fateor , durum , ac molestum
esse , confiteri propria pecca-
ta , præsertim occulta , enor-
mia , abominanda ; sed ni fa-
cias , salvari non potest. Ne-
que unquam pacato eris ani-
mo , nisi peccata quæ con-
scientiam onerant ; per sine-
ram confessionem expiaveris.
Simile est in morbo corporis.
Quando æger es , sumenda est
amara potio , quæ nauseam
provocat : interdum etiam to-
lerandæ sectiones , unctiones , &
alia remedia , quæ cum ingen-
ti dolore conjuncta sunt. Si
hæc respuis , aut misere viven-
dum , aut moriendum est. Si-
cut ergo , qui ægro corpore
est , medicum adit , ut ab eo
juvetur : neque attendit mo-
lestias , & cruciatus , qui su-
beundi sunt , sed sanitatem , &
vigorem membrorum , qui non
nisi per ingratas , & acerbas
medicinas recuperari potest:
ita pari proportione , qui san-
ciam habet conscientiam , Con-
fessarium adeat necesse est ; ne-
que

que attendat, quām hoc molestum sit, sed potius quanta animi pax, & tranquillitas per hoc obtineri possit.

16 Et sane, major molestia, ac difficultas est in sanando corpore, quām animo. 1. Quia ut corpus sanetur, magni sēpē cruciatus, non unotantum, aut altero die, sed integris mensibus, aut annis substinendi sunt. Quod re ipsa experiuntur, qui colica, calculo, podagra, febri, aut similī affectione oppressi sunt. Ut vero sanetur conscientia, vix momento opus est. Tantum ingemisce, & confiteri peccata tua: jam salva res est. Deinde, sēpē fit, ut qui corpore æger est, etiam si longo tempore substineat omnia incommoda, quā morbum, & curationem ejus comitari solent, nihilominus propter vim morbi sanari non possit: neque in ipsis, aut medici potestate fit, ut sanetur. Secus est in morbo conscientia. Quantus quantus ille est, curari potest, si velis. Hinc infero: si cum corpori male est, paratus es pati omnia, ut sanitatem recuperes, de qua tamen recuperanda incertum est: multo magis; cum animo male est, debes omnia pati, ut tranquillitatem conscientia recuperes, quam recuperare in tua potestate est.

sup.

17 Atque haec generatio sufficiente difficultatibus, quae in negotio confessionis solent objici. Nunc de singulis aliquid dicendum. Prima est, quod sēpē non ocurrant homini peccata omnia, quae commisit. Quid tunc agat? Respondeo. Examinet diligenter conscientiam de peccatis mortalibus, doleat de omnibus, tam ijs, quae memorie occurruunt, quām quae non occurruunt. Et priora quidem confiteatur coram Sacerdote: de posterioribus vero dicat cum Davide: „Ab oculis meis munda me, Domine. Ita suaderit Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. Neque opus est fatigare caput, aut instar carnificis torquere conscientiam, & equuleo subjecere. Aliquis sane labor adhibendus est in examine: sed non major, quām qui à mercatoribus adhiberi solet in examine expensarum. Multo certè minor, quām qui in morbo corporis necessarius est. Sēpē ægroti nesciunt, quid morbi, aut contagionis habeant, quae, & qualis medicina adhibenda, cui morbo, aut parti corporis adhibenda. Consulunt medicos: & hi ipsi perplexi sunt: explorant pulsuum arteriarum, inspiciunt urinam, & nescio quas latebras scrutantur. Nihil tale est in morbis conscientia. Si noti.

noti sunt, tolluntur per confessionem: si occulti, non nocent. Res facilis est; & eo facilior, quo quis sapienter confitetur. Tunc enim, & pauciora habet peccata, quæ in confessione appetiat: & minori labore opus est in examine, quia statim memoriae occurrit quidquid à paucis diebus actum est. Notunt hoc illi, qui vel octavo, vel decimoquarto die confiteri solent. Non faciunt cum molestia, sed cum gaudio: sentiunt consolationem, non tedium. Utinam omnes capiant hoc.

18 Altera difficultas est, quod pudeat hominem aperire Sacerdoti sua peccata, præser-tim fornicationes, adulteria, sodomias, & quæ similia sunt. Respondet; sæpe obtenditur pudor, ubi nullus est. Nullus est in plerisque fornicarijs, adulteris, sodomitis. 1. Quia non puden-t illos in conspectu D. i male agere. 2. Nec puden-t apud alios palam de suis sceleribus gloriari. 3. Quid facturi sunt in die Judicij, quando omnia ipsorum flagitia toti mundo fieri manifesta? 4. Si tantope-
re refugiant pudorem, refu-giant peccata, quæ sunt causa pudoris. Tertia difficultas est, quod periculum sit, ne Confessarius manifestet peccata, quæ in secreta confessione audivit. Respond. Nihil hoc est. 1. Quia

confessarius arctissime obligatus est ad servandum secretum. 2. Si non servat, suspectus est. Nemo prudens illi credit. 3. Nec obest confitenti, etiam si peccata ipsius à Confessario detegantur: nam testimonium Confessarij in hoc negotio nullum est. 4. Qui metunt, nè à Confessario prodantur, metuant potius, nè prodantur ab ijs, cum quibus peccarunt. Hoc frequentius fit, quam illud. Hactenus secundum præludium, cujus summa est tres causas esse, quæ multos impediunt, nè ad Catholicam Ecclesiam accedant. 1. Est, quia Prædicantes tuis mendacijs faciunt illam coram populo odiosam. Vx illis. Altera, quia privat Laicos altera parte hæreditatis. Falsum est. 3. Quia urget Confessionem, quæ est onus importabile. Non ita est. Non, inquam, est onus, sed medicina, sine qua salvus esse non potest, qui peccavit.

19 Alia causa, & fortassis non minus præcipua, quam superbia pro origine, & conservatione hæresum assignatur à Pat. Arsdekin in Theolog. tri-partita, tract. 3. art. 5. pag. mihi 119. ubi inquit: Vox una, & doctrina communis Sec-tariorum hujus temporis hæc est: Ecclesiam Romanam à vera fide defecisse, & in gravissi-mos errores prolapsam per mil-

le ducentos annos. Et hanc esse causam cur Clerus , & Populus Angliae , Hollandie , & Germaniae ex parte non modica , Ecclesiam Romanam defuerit , & oppugnare coeperit. Atqui non hanc , sed longè aliam ab ea deficiendi causam fuisse , ipsa defectionis primordia luce meridiana clarius demonstrat.

20. Primò , in Clero , & Populo Angliae , integris illis mille , & ducentis annis viguit , floruit , triumphavit Religio Romana , cum summa Cleri , Populi , Principum veneracione. Nullus horum eam incensavit , nullus redarguit , nullus totis viribus non defendit. Invadit subito Henricum VIII. Angliae Regem libido iniqua repudiandi conjugem legitimam , & ducendi Bolenam pellit. Obstat vehementer Pontifex Romanus Regiae libidini , & anathematis penas intentat. Has ut Rex fugiat , & Bolenam retineat , Pontificis jugum excutit , Ecclesiae Romanae hostes advocat , opima illius spolia suis asseclis in prædam exponit. Res mira ! per tot secula à toto Regno Fides Romana , ut Sancta , & salutifera , & sine raga colitur , & defenditur : nullus eam tot Prælatorum erroris in fide accusavit , nullus lapsam , & prostratam advertit. Et ecce subito , ut primùm , ob Boles-

nam , Romanæ Ecclesie Rex aduersaretur , & ejus prædia in præmium proponit , mox à toto Regno proclamatæ illa à fide pridem debia , erroribus deformata , vitijs prostrata , nova Babylon : hæc , scilicet , omnia tot saculis Clerum , Populeaque universum latuerunt , donec Regis offensi exemplum , gratia , ac præmia , Populo universo ad detegendos Ecclesiæ errores subito oculos aperuerunt. Ex quibus cuilibet evidenterissimum est non Ecclesiæ Romanæ errores , sed Regis libidinem defectionis causam Angliae præbuisse.

21. Ad Belgiam si pergamus , simili proflus modo , & causa hæresis Batavica exordium sumpsit ; nisi quod in Anglia , Regis in Pontificem ; in Belgio , Principis in Hispanos offensio , defectionis , & hæresis causam ministravit. Notior hæc res est in recenti hominum memoria , & Historijs , quam ut hic exponi debeat.

22. In Germania , primam hæresis Lutheranæ causam , & originem fuisse gravem Lutherianam , & offensionem in Pontificem Romanum , quod in prædicatione solemni Indulgentiarum Apostolicarum , æmulis assumptis , ipse neglectus , & exclusus fuerit. Placuerunt ipsi indulgentiaz , quas prædicare am-

ambiebat, placuit fides Ecclesiae Romane, quam semper hactenus tenuit, & publice prædicavit: displicuit suæ personæ contemptus, qui illum in futrias egit. Illum ut vindicaret, tunc demum omnia in Pontifice, & Ecclesiam probra ex cogitanda, & evomenda fuerunt.

23 Hæc quisquis singula maturè expendiret priorum defectionum modernus Sectator, fieri non potest quin evidenter perspiciat, causam suæ separationis ab Ecclesia Romana, non esse hujus errores, sed priorum, quos ostendi, libidinem, iram, aut ambitionem. Hæc moderne Sectator, sunt quæ te cum illis ab Ecclesia separarunt; hæc sunt propter quæ illi errores tot seculis ignotos, pro separationis suæ larva, Ecclesiæ affinxerunt. Hujus evidentiæ seria consideratio plures salutis suæ studiosos adegit, ut ad Ecclesiæ gremium maturè redirent: quod & tu, nisi perire malis, facias necessè est.

24 Noster Lipsin inquit, quod hæreses ordinariè proveniunt ex mala vita; nunquam enim hæresis est priuium peccatum, sed oritur, vel ex ambitione, vel ex avaritia, vel ex libidine, & desinit nonnunquam in Atheismum. Perversi honenes, ut libere suis vitijs, & vo-

luptatibus indulgeant, aut ne-
gant Deum, aut futura bona,
& mala, aliaque dogmata fi-
dei, quæ Dei metum, & pec-
cati horrorem eis injicere so-
lent. His igitur prælibatis, sit.

DISPUTAT. I.

*DE QUIDDITATE, ET
qualitatibus verae Reli-
gionis.*

Nomine Religionis intellegitur Ecclesia; unde quidquid de vera religione dixerimus, & dictum reputari debet pro vera Ecclesia. Ecclesia est nomen græcum, & idem significat ac *evocatio*, seu *invoca-
tio*; ita quod Ecclesia sit ca-
tus vocatorum; fidelium, sci-
licet, qui non intrant Eccle-
siam proprio motu, nec pro-
priis viribus, sed quatenus Dei
vocatione præveniuntur. Sumi-
tur in bonam, & in malam
partem: alia est Ecclesia ma-
lignantium; unde Psal. 25.
v. 5. *Odivi Ecclesia malignan-
tium*. Alia est Ecclesia Sancto-
rum: *Laus ejus in Ecclesia
Sanctorum*; Psal. 88. Sacra
Scriptura communiter illam
sumit in bonam partem. Ecclesia
sic sumpta dividitur in *tri-
umphantem, patientem, & militan-
tem*. Ecclesia *triumphans*
est Cœtus hominum, & An-
gelorum.

lorum in Cælis regnantium. *Patiens.* est congregatio hominum in igne Purgatorio existentium. *Militans* est congregatio hominum certantium in hac vita contra mundum, diabolum, & carnem. In hoc sensu sumpta loquimur in praesenti.

Ulterius haec vera Dei Ecclesia potest comparati, vel ad legem naturæ, vel ad legem scriptam, vel ad legem gratiæ. Per respectum ad legem naturæ, scilicet, à tempore Adami usque ad Moysem, Ecclesia erat congregatio illorum hominum, qui veram Dei fidem, & cultum ipsius profientes, rendebant ad finem ultimum per convenientia media, & ad illum sperabant pervenire. Ecclesia comparata ad tempus Legis Scriptæ, erat congregatio fidelium illorum qui profitebantur legem, ceremonias, & i præcepta, quæ illis per Moysem dedit Deus, ut ea sedulo observarent: cum advertentia, quod Synagoga, seu congregatio Iudeorum, non esset Ecclesia Catholica, seu universalis; sed particularis tantum: cum inter gentes essent plurimi, qui Deum cognoscentes, & mandata legis naturæ observantes, pertinebant ad Ecclesiam Dei. Denique, Ecclesia novi Testamenti, quæ Christi Ecclesia vocatur, est congrega-

tio Christianorum, qui observantes Evangelium, & credentes in illud, tendunt ad possessionem beatitudinis æternæ.

De hac igitur est nostra dissertatione. Non igitur loquimur de Ecclesia sumpta pro domo materiali, divinis laudibus dicata, in qua fideles adunantur ad orandum, sic r. ad Corinth. 11. *Convenientibus vobis in Ecclesiam*, & August. lib. 2. quæst in Levit. quæst. 57. ait: *Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur; nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur: ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam.* Hoc tamen vocari, etiam ipsam dominum orationum, idem Apost. testis est, ubi ait: *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum?* An Ecclesiam Dei contemnitis? Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut in Ecclesiam prodire, aut ad Ecclesiam configere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum, parietesque prodierit, vel configuerit, quibus Ecclesia congregatio continetur. Nec item sumitur pro solis Prælatis, qui præsident in Ecclesia, quo sensu dixit Christus, Matth. 18. *Dic Ecclesie.* Nec tamdem sumitur pro solis subditis fidelibus, quomodo dicitur Act. 12. *Oratio fiebat ab Ecclesia pro eo, nempe Petro.* Sumitur,

igitur pro tota Ecclesia , quatenus ex Pastoribus , & Ovibus conflata est : de qua Apost. ad Gal. scribit : *Qui supra modum persequebar Ecclesiam Dei.*

Ecclesia sic accepta , definitur ab Innocentio III. cap. 1. de summa Trinitate : *Ecclesia universalis est collectio fidelium.* Sed ut ejus partes melius cognoscantur , sic definitur communiter à Theologis : *Ecclesia est congregatio , seu cætus visibilis baptizatorum , Christi fidem , atque doctrinam profidentium sub uno capite Christo in cælis , & ejus Vicario Pontifice Romano in terris.* Sic excluduntur ab Ecclesia illi , qui nunquam habuerunt fidem , ut Paganī , Turcæ , Judæi : & illi , qui à vera fide recederunt , ut hæretici ; quia nostra Ecclesia est cætus fidelium. Unde D. Paulus dicit , *illos naufragasse circa fidem* , Timoth. 1. Non sunt ergo amplius in Navi Ecclesiæ. Et scribens ad Tit. vult , ut *hominem hæreticum devitet* ; quem potius curare deberet , si foret adhuc in Ecclesia. Præterea Concil. Nicenum cap. 8. ordinans , *ut hæretici ad Ecclesiam redeuntes recipiantur* , supponit non esse actu in Ecclesia. Deinde hæretici non habent veram fidem , quæ una est , quia non credunt omnes articulos à Deo revelatos ; ac proinde &c.

Excluduntur etiam Cathecumeni.

Insuper excluduntur Schismati ci , qui verum Pastorem non agnoscunt. Cum supremo Ecclesiæ visibili capiti in terris Christi Vicario subdi nolint , extra Ecclesiam sunt. Nullum enim membrum divisum est in corpore , sed hæretici , & schismati ci sunt membra divisa. Unde Ecclesia in die parascives orat : *ut Deus dignetur eos ad Ecclesiam revocare.* Quia ex dictis sonat , Ecclesiam esse omnium fidelium , ideo errant Pelagiani dicentes , Ecclesiam esse tantum multitudinem perfectorum , qui nullum habent peccatum , de quibus Aug. lib. de hæres. cap. 88. Errant 2. Wicleffistæ , dum putant solos prædestinatos facere Ecclesiam , ex Conc. Constantiensi , sess. 15. art. 5. Errant 3. Novatiani , & Donatistæ , qui asserunt , non quidem omnes peccatores excludi ab Ecclesia , sed illos , qui lapsi sunt circa fidem , & ejus professionem , ex Cypriano lib. 4. ep. 2. & August. lib. de hæres. c. 69. Errant denique Calvinus , & Lutherus , qui Ecclesiam volunt tantum componi ex justis prædestinatis ; tenent enim nobiscum Fideles esse in Ecclesia ; & afferunt contra nos , quod illi , qui semel fidem acceperunt , ea non possint care-

re ; nec ulla peccata mortalia,
aut venialia illis imputari;
utrumque est hæreticum.

Peccatores , ut Avarij, Ma-
ledici , Impudicij , & alij bap-
tizati male viventes , immo , &
reprobi , atque Excommunicati ,
dummodo fidem habeant
ad Ecclesiam pertinent : quia
fidem Christi profitentur sub
uno capite. Non enim sequitur,
quod aliquis committens fur-
tum , homicidium , &c. rejiciat
propterea christianam fidem ,
aut Ecclesiam subjectionem. Unde
Christus comparat Ecclesiam
decem Virginibus , ex quibus
quinque *prudentes* , & quinque
fatuae : *Arcæ Noë* , in qua clau-
debantur animilia munda , &
immunda : *Ov'li* , in quo sunt
oves , & hædi. *Agro* , in quo est
bonum semen , & zizania : per
quas figuræ significantur , boni ,
& mali , prædestinati , & repro-
bi. Non tamen intelliguntur
hæretici ; quia non sunt partes
componentes : non enim com-
ponunt eumdem ordinem fide-
lium , cum in fide dissentiant.
Quod si aliqui Patres videan-
tur , illos comprehendere in
præcitatibus comparationibus , non
nisi tanquam partes putridas , &
rebellantes habuerunt. Sed de
his omnibus infra fusius re-
sabit sernio. Jam au-
tem sit.

QUÆST. I.

AN DETUR IN MUNDO
vera Religio , seu vera
Ecclesia?

I **C**onclusio : datur de-
facto vera Religio in
mundo. Hæc conclusio ex com-
munis contra Atheistas , negan-
tes esse in mundo aliquam doc-
trinam à Deo revelatam , luce
cujus homines instruantur in
his , quæ pertinent ad cognitio-
nem , & cultum sui ultimi fi-
nis. Probatur tamen sic : Deus
omnia opera naturæ gubernat ,
& providet ergo & hominem .
Conseq. negari nequit , nisi imprudentissimè ; quia natura ra-
tionalis eminet inter cæteras
creaturas : g. si Deus operum
ignobiliorum curam habet , &
operis nobilioris curam habe-
bit ; aliunde foret imprudentis-
simus , sicut Paterfamilias qui
provideret de mancipijs , & non
de filijs , de rebus vilioribus , &
non de preciosioribus. Ante-
dens est evidens evidentia phy-
sica fundata in experientia : quo-
nam si natura non gubernaret
ab aliquo perfectissimo , &
sapientissimo gubernatore , non
posset facere opera mirabilia ,
quæ facit. Quomodo ex semine
omnino simili sit tanta diversi-
tas ossium , medularum , ner-

vorum, muscolorum, carnium, & viscerum? Quis illam indidit? Si à se haberet; & homo etiam haberet; possetque homo producere rosam, sicut terra illam productit; quoniam opera non habentis sensum, neque intellectum, nequeunt esse perfectiora, & mirabiliora, quam opera hominis habentis intellectum, scientiam, & artem: neque homines facere possunt fulmen, lumen, aut herbam: g. evidens est in operibus, que naturae dicimus, aliquem intellectum summum, & sapientissimum assistere, à quo natura dirigator in operando.

2 Confirmatur: nam etiam experientia constat, quod elementa inter se pugnando non se consumpsérunt, sed amicabili discordia conservantur. Cœlum movetur, sicut prius, singulis annis sunt Ver, Autumnus, Hiems, Alstasque ex quibus omnibus, nec unum deficit per tot sœcula: g. aliqua causa est illa sapientissime gubernans: g. Deus: quia nullus præter Deum machinam universi moderari posset. Si igitur Deus cuncta gubernat naturalia: g. & hominem, qui perfectior est cunctis. Atqui homo gubernatur per cognitionem sui finis, & ad suum finem dirigatur per veram doctrinam, qua illuminatus agnoscit media con-

ducientia ad affectionem sui finis: g. si evidens est dari in Deo providentiam de creaturis rationalibus, evidens similiter erit dari in mundo veram doctrinam, seu Religionem à Deo revelatam, per quam homines instruantur in ordine ad suum ultimum finem. Videantur quæ diximus tom. I, in Proemial, & Disputat. de Dīy. Providentia.

3 Hac ratione utitur D. Paul. ad Rom. 1. v. 20: *Invisibilia enim ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur.* Qui enim sedulo meditat hæc, quæ oculis conspiciuntur; mundus durat, tempora eodem modo procedunt, mare terram non absorvet, Cœlum suos motus contiamo perficit; facile ad invisibilia consurgit: g. Deus est, qui hæc gubernat: g. & gubernat hominem. Atqui homo gubernatur per veram cognitionem sui finis: Ergo in mundo est doctrina, seu Religio, in cuius illuminatione hæc vera cognitione Dei reperitur.

4 Sed demus, non esse evidens, dari in mundo aliquam Religionem, seu doctrinam à Deo revelatam; hoc dato, & non concesso, possumus arguere in hunc modum contra Atheistas, & Machiavelistas: Si non est verum, dari providen-

tiam

tiam erga homines: neque etiam est evidens, hanc providentiam non dari: Quare ergo de Deo in bonitate non sentitis, credendo ipsum non fecisse, quæ magis consonat suæ bonitati? Sed magis consonat, quod hominibus, quorum Dominus est, provideat in his, quæ sunt necessaria ad eorum salutem, & æternam felicitatem: g. ineptè proceditis negantes hoc. Insuper; Deus neque est inexorabilis, neque inops: g. exorari potest, & benè facere. g. & justas preces audire. Quid igitur iustus est, quam à Deo expostulare veram cognitionem sui ipsius? Et Deus exoratus à pluribus justis, & Sanctis viris, hoc denegat? Abhorrent aures: Et solus stultus sic procedet: erg. licet non sit evidens, Deum revelasse veram doctrinam universo; cum nec etiam evidens sit illam non revelasse, potius est, concedendum, quam denegandum; quia denegare est purum libitum, & concedere valde commendat divinam bonitatem.

5 Dices: quod unaquæque ex sectis est vera doctrina à Deo revelata, qua servata, salvabitur quilibet in illa, in qua natus est, seu quam amplexavit, dum ad rationis usum pervenit. Ita Mahometici, & plures RR. Heretici, quos vocant Adia-

phoristas, seu indifferentes: inter quos Thomas Hobbesius in Anglia, & post Serratum, plures in Holandia, & Germania fuerunt insigniores. Sed hoc delirium est: tūm, quia Religiones, quæ nunc in mundo famosiores sunt, habent dogmata plura, contradictorie opposita: g. nequeune esse omnia à Deo revelata. Patet; quia Deus nequit contradictorie revelare, sicut neque mentiri, aut falsum testari, & de duabus contradictorijs propositionibus, necessarió una debet esse falsa. Tūm etiam; quia ut ajebat Apostol. ad Ephes. cap. 4. v. 5. *Unus Deus, una fides, unum baptisma*: Ergo vera religio debet esse unica: quia implicat, quod ab uno Deo diversæ fides prodeant; sicut & implicat, quod habeat Deus diversa testimonia, inter se repugnantia. Insuper Religio, in qua potest aliquis salvari, est vera, & verum docet: sed juxta illos in nostra Religione possamus nos salvari: g. est vera, & verum docet. Atqui huc docet, omnes alias esse falsas: ergo ita sunt.

6 Deinde; quod vera religio beatum esse unica, patet varijs in locis Sacra Scriptura: nam Cantic. 6. vocatur: *Una columba*. Joann. 10. vocatur: *Unum ovile*. Ad Ephes. 4. *Unum corpus*. Unde Cyp. lib. de Unitate

cate Eccles. cap. 4: *Ecclesia Domini unum lumen est, unum caput, & origo una, & una mater.* Insuper, debet esse una, unitate principij, scilicet, Dei vocantis, & Christi fundantis. Est una in unitate capitum, sicut enim unum est ovile, ita est unus Pastor. Est etiam una unitate conjunctionis: *Unum corpus multi sumus 1. Cor. & Act. 4: Cor unum, & anima una.* Est una unitate mediorum; tunc interiorum, ut sunt Fides, Spes, & Charitas: & tunc, exterorum, quæ sunt Sacraenta. Est denique una, (omittendo quam plurima) unitate finis, qui est ipse Deus possidendus. Deinde, si quilibet in qualibet potest salvari, frustra Christus miracula fecisset, & tot tormenta passus esset, ut nos doceret, & nobis ostenderet veram fidem, & veram religionem.

8 Hoc argumentum sufficiebat, ut Hæretici Anglicani, seu Calvinista se deceptos agnoscerent, cum inter se, ita discordent, ut intra angulum unius domus, vix duo conveniant in articulis. Præterea; Anglicana Secta, non est una unitate principij: quia quamvis illam vocent reformatam Religionem; non fuit Christus ejus principium; sed omnes diaboli, qui sunt origo divisionum, & Schismatum. Nec est una unitate

capitis; cum tot habeat capita, quot Ministri. Unde, regimen illius vocat Calvinus Aristocraticum, & Democraticum: non vero Monarchicum. Dicunt etiam, Regem Anglia esse aliquomodo supremum caput Anglicanæ Religionis: Sed cum nobis ostendant in Sacra Scriptura, Christum dixisse Regi Seculari: *Pasce oves meas, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam;* sicut dixit Petro, & ejus successoribus in Romano Episcopatu, ut jam dicemus; tunc eis credemus. Neque est una, unitate conjunctionis: cum inter illos, nihil sit, nisi divisio, contentio, & schisma, ita ut ex solo Lutherismo plusquam centum sectæ prodierunt. Nec est una unitate fidei: quia cum pro regula fidei sequantur privatum cuiuslibet spiritum, vel potius cerebrum; tot sunt ferme in materia fidei opiniones contrariae, quot capita: immo, iidem homines aliud hodie credunt; & aliud cras. Nec denique est una unitate mediorum: nam aliqua Sacraenta agnoscit Lutheranus, quæ reprobatur Calvinista: immo, ex Luthera-nis Sacramentum penitentia ad-mittent aliqui, & alii rejiciunt. Ex quibus sequitur evidentissime, Anglicanam sectam, non posse esse veram religionem. Sed de hoc amplius quæst. sequent.

Con-

8 Contra asserentes verò, quemlibet posse salvare in sua secta; sic possumus arguere: tam illi, quam nos in hoc conspiramus, nempè, quod nostra Romana religio secura via est ad obtinendam salutem, cum juxta illos, unisquisque in sua secta salvetur. E contra verò nos Catholicí Romani dicimus, solum esse veram salutem in nostra Romana Religione; & in quacumque alia damnationem certam. Nunc sic: ergo imprudentissimi sunt non adharentes nostræ Religioni, & suam non dannantes. Patet conseq: quia imprudentissimus esset, medium dubium eligere, neglecto certissimo, ad finem exoptatum consequendum. Rursus ad obtinendam salutem corporalem nullus eligeret medicinam, quamplures medici iūtilem, & nocivam testarentur, si haberet aliud medicamentum, quod omnes asserebant utilem, & secundum ad recuperationem salutis: g. etiam ad obtinendam salutem animæ nullus eligere debet medium dubium, reliquo certo, & securo ad finem optatum consequendum. Insuper, si quilibet in qualibet potest salvare, quid opus tot dissidijs, disputacionibus, & libris pro defensione cuiuslibet sectæ? *Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abusi.* Hebr. 13. v.9.

9 Plurima argumenti converunt Calvinistæ contra hanc nostram conclusionem. Sed, ut bene advertit nost. Macedo Schola 9. Theologiaz positive; omnia fundantur in odio nostri Summi Pontificis: quia tendunt ad probandum, veram Religionem non esse Monarchiam, sed solum Aristocratiam, seu Democratiam: timent, quippè, ne si Ecclesia Monarchia sit, ejus Monarcha sit noster Papa, quem malunt non modo Monarcham non esse; sed nec hominem quidem esse; & ideo Bestiam Apocalypticam vocant. Rationem etiam afferunt: quia Monarchia est regimen minus perfectum Aristocratis: sed Ecclesia regenda est modo perfectiori: g. non monarchico. Probant magis quia Monarchia degenerat sepe in tyrannide, qua nihil est in regimine pejus, nec locum relinquit alijs ascendendi ad regimen: ex quo desperatio, & discordia oritur, & pernities totius res publicæ. Deinde, quando unus gubernat, sibi attendit, & consulit, nec ceteros admodum corat; & ita facile eos opprimit oneribus, legibus, & tributis; quemadmodum appareret ex lib. 1. Reg. cap.8. ubi injuriæ Regum iura appellantur; quia Reges ex jure injuriam faciunt: at vero quando, vel optimates, vel populares Aristocra-

craticè , & Democraticè gubernant magis consulunt alijs , ex quorum numero sunt , & à quibus in electione , & administratione dependent.

10 Confirmant aliquibus exemplis : in favorem Aristocraticæ afferunt Rempublicam Atheniensium , Lacedemoniorum , & Romanorum ; quædum steterunt in Aristocratico regimine magna laude floruerunt , & fœlicissimæ fuerunt : cum autem esse desit , Romana virtus , & fortuna perit , ingruente cum Imperatoribus vitorum , & sordium labore . Adjiciunt Venetorum egregiam Rempublicam , & Genuensium laudant , & Hollandorum extollunt . Confirm. insuper studijs Priscorum Heroum Romanorum , Cathonis , scilicet , Bruti , Casij , Ciceronis , & cæterorum Patriæ amantium , qui ita Reipublicæ studuerunt , ut Reges maximè oderint , & aut eos interfecrint , aut occisores laudaverint.

11 Veniunt etiam ad exempla sacra : nam inter Angelos , inquiunt , multi sunt Principes , id est , septem qui adstant ante Deum . Patriarchæ duodecim fuerunt . Moyses , & Aaron præfuerunt populo Israelitico . Summum Sacerdotium duas familias habuit Eleazari , & Hytamaris . Machabæi fratres mul-

ti. Quod in eodem mundi exordio Deus non unum , sed duo luminaria magna condidit , ut præsent. Multos Orbis Cœlestes fecit , & pro numero eorum intelligentias : g. Deus declaravit regimen Aristocraticum , & Democraticum suavius , & mitius esse quam Monarchicum . Præterea , dominium Regium , seu Monarchicum improbavit Deus per Samuelem , quando iratus est populo Judaico pertinenti Reges . Item , Christus in sua Ecclesia possuit Apostolos suos tanquam fundamenta , & Pastores pari dignitate , & æquali potestate : *Possuit Spiritus-Sanctus Episcopos , regere Ecclesiam Dei , Aëtor. 20.* Item , in CC. est , & repræsentatur Ecclesia : atqui ibi non unus , sed multi ex universis Provincijs congregantur : g. &c. Denique id patet (inquiunt) ex ambitione Summi Pontificis Romani ; ex qua sœpè magna damnatio Ecclesiæ sunt illata , hinc bella Schismaticorum Imperatorum , & Regum discordiarum ; hinc Anti-Pape ; hinc Hæresiarchæ , quos omnes Papæ importunè excitavit : Ergo vel non est unica Ecclesia , seu vera Religio , vel non debet habere unicum caput visibile , nec debet regi regimine Monarchico ; sed Aristocratico , aut Democratico .

12 Nusquam (inquit nost. Macedo) putridiora , & absurdiora argumenta Hæretici posuerunt. Ad solutionem veniamus; admittimus enim Monarchiam degenerare in tyrannidem : sed ex hoc Calvinum refutamus ; nam quanto majus est vitium , quod virtuti opponitur ; tanto major est virtus opposita : hinc maximum peccatum est odium Dei , quia opponitur charitati , quæ est summa virtus. Respondet. Calvinus odium non nasci ex charitate , sed ex voluntate mala peccatoris. Bené quidem ! Etiam nos responderemus, quod Monarchia non degenerat ex natura sua in tyrannidem , sed ex prava voluntate Regentis : sicut Calvinus quando ex Catholico factus fuit hæreticus , vitium illud non fuit ortum ex Romana fide ; sed ex sua pravissima voluntate. An non videt Calvinus deliciora poma , cum putrefescunt amariaora fieri ? Nemo tamen ob id improbat poma , cum sana sunt. Nec ergo existimo ; Calvinum ea sana esse rejecturum. Uno verbo ; quod accidit vitio hominum , non est rebus ipsis imputandum. Deinde , quidquid sit de Monarcha temporali , minimè est concedendum de nostro Monarcha spirituali , qui per assistentiam Spiritus Sancti diri-

git absque tyrannide suas oves in finem spiritualem.

13 Ad aliud ; quod uno imperante , alijs non datur imperandi locus ; dico , quod hæc ratio est congrua Calvino superbo , qui voluit imperare , non obedire , atque id circò hæreticus evasit : nos Christiani , qui demissionem animi , humilitatem , & obedientiam profitemur , malum cum Christo obedire , quam imperare , Itaque , illa desperatio , illa ira , illaque discordia , quam fingit Calvinus , est accomodata ejus ingenio. Præterea ; non minus malum sequitur ex gubernio Democratico , & Aristocratico : nam dum quisque vult gubernare , in alios insurget , eosque dejicere molitur , ut se intrudat : & cum quilibet homo sua se estimatione metitur , dignum se quovis honore putat ; & si repulsam patiatur , indignatur , & furit : unde dissensiones , invidia , odiumque , & conjuratio , in quolibet gubernio possunt esse ; immo , abundantius in Aristocratico : nam in Monarchia uni tantum datur locus imperandi , & si illi convenit jure hereditario , nulla debet esse dissensio : si autem electione fit , ut in nostro S. Pontifice , minor est etiam ratio indignationis ; quia faciliter patiuntur homines , praeferti

ferri sibi unum , quām plures .
Hinc patet Calvinī ratiunculas
esse , non verō rationes . „ Da
„ unum , & populus est ; tolle
„ unum , & turba est ; quid enim
„ est turba , nisi multitudo tur-
„ bata ? Aug. serm. 25. de Verb.
Domini .

14 Ex quo etiam patet
ad secundum : non enim sua-
vius est multorum imperium ,
quām unius ; quoniam difficilis , &
durius jugum multi-
plex , quām simplex ; & plu-
rium naturas , & ingenia fer-
re , quām unius . Quod autem
attinet ad onera , & tributa
planē majora sunt in regimi-
ne plurium ; nam ea , quæ im-
ponuntur causa reipublicæ , ea-
dem , & paria sunt , sive unum ,
sive plures regnent ; & quæ ad
privatas rationes spectant , ma-
jora , & plura sunt , quando
plures sustentantur . Illud item
fallit , magis consuli alijs , cum
multi gubernant ; nam multo
minus consultur Reipublicæ ,
dum quisque suis applicat mag-
nam partem bonorum commu-
niūm . Nec spes ascendendi ad
culmen alit alios , sed potius
ambitione inflamat .

15 Ad omnia exempla res-
pond . illa ratione , nempé ,
quod delicta Principum non
sunt vitia Principatus : alio-
quin cum homines simus , quo-
rum est peccare , omnia hu-

manorum rerum fastigia inqui-
nabuntur . Deinde ; Catones ,
Bruti , Casij , & Cicerones ode-
runt Tyrannos , non Princi-
pes ; nam ijdem laudarunt
Cincinnatos , Camillos , Fa-
bios , Papirios , Mamerkos , &
alios Dictatores , qui instar
Regum erant , immò , Regi-
bus superiores , dum illud mu-
nus exercebant , quorum Im-
perij nunquam Romanos pœ-
nituit . Ad laudes Rempublica-
rum , dicimus ; quod illas non
contemnimus ; verum iniquis-
simam est , ob hoc , Monarchiam
vituperare : quia si cum Reg-
nis Europæ comparentur , his
fanè concedent omnes majo-
rem splendorem , & magnitu-
dinem rerum gestarum . Prä-
tereà , illæ ipsæ Respublieæ
suum Ducem habent , cui alij
Senatores assurgunt , & cedunt:
atque adeo Monarchicum re-
gimen observant :

16 Ad exempla Sacra , re-
spond . quod in primo assumit
omnino falsum ; nam S. Michaél
est Princeps omnium Angelorūm , & illorum septem Prin-
cipum Primus . Patriarcharum
numerus nihil ad rem ; nam
toti Israeli imperavit Moýses ;
post Moysem Josué ; post Jo-
sue Othoniel ; cui secuti sunt
alij usque ad Samuelem . Postea
fuerunt Reges usque ad Esdrām ;
post Esdrām , & Nehemiam ve-

nerunt Duces , quibus succe-
serunt Machabæi. Verum fal-
sum est illud , nempe , quod
Moyses , & Aaron æquali po-
testate præfuerunt , cum con-
stet , solum Moysem præstitisse ,
& prefuisse. Iam verò duas esse
familias Sacerdotales nihil ob-
est : nam non duo ex duabus
familijs habuerunt Pontifica-
tum , sed unus tantum ex al-
terutra.

17 Machabæorum exem-
plum retorquetur : quia cum
multi fratres essent , non om-
nes , sed unus post alium sin-
guli imperarunt , & quidem Jo-
nathas , & Simon more regio ,
ac regijs insignibus. Sol , &
Luna duo luminaria sunt , sed
non simul lucent ; quia uni
diem , alteri noctem assignavit
Deus , nec una videntur do-
minari. Quin Sol vere unus ,
& Princeps est Lunæ , & Sy-
derum ; & tribus suis litteris
denotatur , quod *solus omnibus*
lucet ; sicut Luna est quasi *lux*
aliena ; quia ab ipso sole illam
accipit. Concesso etiam , mul-
tos esse cœlestes orbes , & mul-
tas pro eorum intelligentias
numero ; unus tamen cœteros
continet , ac coerct : & hujus
intelligentia suprema est , &
reliquijs præst , & ad impul-
sum primi mobilis rapit uni-
versos. Unde nullum exem-
plum faveat Aristocratæ ; &

omnia Monarchiam persua-
dent.

18 Ad aliud resp. Deum
reprehendisse populum peten-
tem Reges : non quia petebant
Monarchiam ; sed quia sperne-
bant regimen judaicum , quod
etiam erat Monarchicum : nam
Judicibus adherat , & assis-
tebat , præsertim Samueli : ac
proinde negligendo Judices , &
optando Reges , injuriam Deo
inferebant. Hinc illa vox: *Non*
te abjecerunt , sed me : quibus
significatur Monarchia : nam
te , & me , singulare sunt. Et
si Saul fuit malus Rex ; David
fuit optimus , & vir juxta di-
vinum cor. Ad aliud de Apos-
tolis satisfit dicendo ; habuisse
quidem æqualem à Christo de-
legatam potestatem ; sed non
æqualem subordinationem:nam
Petrus erat Caput , & Pastor ,
cui omnes hac ratione subor-
dinati erant ; quippè erant il-
lius oves. Quod autem affer-
tur ex Paulo : *Posuit nos Epis-
copos regere Ecclesiam Dei* : ni-
hil officit Monarchia , sed tan-
tum denotatur esse etiam regi-
men Hieraticum , nempe ,
constans pluribus prælatis in-
familis , & intermedij ; sed om-
nes subordinantur , & subdun-
tur Romano Episcopo , Pasto-
ri , & Capiti Ecclesiæ univer-
salis. Unde omnes Episcopi re-
gunt Ecclesiam Dei , sed regun-
tur

tur à Principe ejusdem Ecclesiæ. Concedimus etiam in CC. ecumenicis esse in Episcopis coniunctis, nomine Ecclesiæ, ipsammet Ecclesiam ; sed negamus eam esse Aristocraticam; quia in CC. ipse Summus Pontifex, vel per se, vel per alium est Caput ; ut postea dicemus, Deo dante.

19 Ad ultimum de ambitione, & vitijs Pontificum, respond. sic : Demus ea vitia esse vera. Quid inde ? Peccarunt homines contra regimen : at regimen, ex se optimum, non peccavit. Calvinus, Brenz. Illiricus, & Lutherus, negant cathedras suas errasse ; & non audent negare se peccatores esse. Quod ergo ipsi falso de suis cathedris jactant, discernendo eas à personis, signat nos verè de nostra Romana Monarchia prædicare. Illud eos monemus, multo minus illis Pontifices nostros fuisse ambitiosos : nam nostri Pontifices expectarunt, ut à Cardinalibus nomine totius Ecclesiæ eligerentur, & eorum consilio gubernant Ecclesiam : at verò illi sponte, & arbitrio suo à Matre Ecclesia defecerunt, & cathedras posuerunt, & Sectas considerunt. Quod attinet ad Antipapas ; non illis causam Pontifices dederunt, sed propria uniuscujusque ambitio, & su-

perbia, & quorundam Principum insolentia, qui eos in odium Pontificum in cathedralm intruxerunt. Sed multo pejores sunt Hæretici ; qui non solum schismata, sed etiam Hæreses inventarunt, & cum Matre Ecclesia bellum gesserunt, & gerunt. Multi Antipape ad gremium reddiderunt. Hæresiarchæ verò indomita cer-
vice Pontificibus resistunt, & in Apostasia perseverant, Ec-
clesiæ judicia contemnentes, &
contra illam conspirantes ; sed
nihil hucusque profecerunt;
quia portæ inferi non præ-
luerunt adversus eam.

20 Dices. Apostoli Lucae 22. de primatu contendentes arguantur istis verbis : *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, beneficij vocantur, vos autem non sic :* Et inde pater Christum inter eos nullum Prin-
cipem, & caput constituisse, nec voluisse regimen Ecclesiæ esse Monarchicum, & Regale. Res-
pond. Ibi non primatus ab Apostolico Collegio tollitur;
sed ambitus, & præpotentia,
qua est propria Regum, inter-
dicitur : ut dicit Beda : *Nvè Gentium instar dominari sub-
jectis, seque ab eis gaudeant laudibus attolli, sed ad exem-
plum Regis Christi præfint, ac efficiantur ministri.* Unde
Chris-

Christus vult quidem suum Vicarium præesse Ecclesię, at sine dominandi libidine; & non intendit, quod bonum privatum, & honorem querat, sed singula in commodum ovium referat, ad ipsius Christi exemplum, qui non venit ministrari, sed *ministrare*. Siquidem Prælatio Ecclesiastica à fastosa Regum dominatione distat, & tota in bono ovium procurando occupatur. Hinc textus sequitur, *qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator*. Observetur, eos ibi non fuisse reputatos æquales, dum major, & præcessor nominatur. Quare humilitas in Prælato commendatur, non excluditur superioritas.

QUÆ ST. II.

Utr. *VERA RELIGIO SIT nobis visibilis, & quomodo?*

ISUPPOSITO JAM ALIQUAM doctrinam, seu veram religionem esse revelatam; certum etiam debet esse, Deum ipsam condecorasse aliquibus signis, seu notis, quibus à falsa religione, seu à falsa doctrina secerneretur; alioquin vana esset Dei providentia, si quidem nullius bonum consu-

litur, si vera doctrina, vera religio, seu quod idem est, vera Ecclesia ignoscibilis foret. Cum ergo, ipsis Hæreticis factentibus, certum sit dari in mundo veram religionem; certum similiter erit obsignata esse aliquibus notis, medijs, quibus, & invenibilis sit, & discernibilis.

2 Multi igitur ex Hæreticis cum propter aperta testimonia scripturarum, negare non audent, veram Ecclesiam, seu veram religionem perpetuo durare, & in fide vera permanere; ut aliquomodo vim rationis, & lucem veritatis effugiant, duplum distinguunt Ecclesiam, seu religionem: unam veram, & solidam; alteram tantum apparentem: & priorem, dicunt, esse invisibilem oculis corporeis; posteriorem autem visibilem esse. Quia supposita distinctione, dicunt, Ecclesiam invisibilem, esse veram Christi Ecclesiam, & Catholica-
cam, cui promissum est, ut nunquam deficiat, nec portæ inferi contra eam prævaleant. Alteram vero Ecclesiam apparentem, & visibilem, licet in hac externa specie perseveret, dicunt, quod in veritate fidei, ac in subsistentia vera religionis potest deficere; & jam de facto defecisse in religione Romana, seu nostra Romana Ecclesia.

3 Lutherus lib. de servo arbitrio, ait: veram religionem, seu veram Ecclesiam non esse istam, quam videmus, & audimus Romanam, & Catholicam, Papa, & Cardinalibus, & Episcopis, Clericis, Monachisque, & Laycis constantem; sed pium quemdam justorum cœtum uni Deo cognitum. Eadem ferme sententia est Madeburgensem: nam ad solos pios reddigunt veram religionem, seu veram Ecclesiam. Philipus Melancthon in examine ordinandorum, concedit eam esse visibilem. Et alibi, cum Luthero, negat esse visibilem; & ad paucos illuminatos, & electos à Deo illam reducit. Idem sentit Brenzius. Calvini autem sententia in hac parte incerta est, & anceps: nam lib. 4. institut. visibilem ponit; sed §. 6. eam oculis subtrahit; & ait, esse nobis invisibilem; Deo conspicuam. Contra quos omnes sit nostra vera, & Catholica

4 Conclusio: Religio vera, seu vera Ecclesia, quam Christus supra petram fundavit, & cui promisit, portas inferi non prævalituras adversus illam, visibilis est. Hæc conclusio est de fide apud Catholicos Romanos: & illa probata, penitus corruit Anglicana secta, & omnes aliae; quæ visi-

biliter omnes defecerunt, & exissa sunt tanquam putridi rami à visibili arbore Sanctæ Romanae Ecclesiæ. Noster Dogmæ sim. Macedo Schola 8. cap. 3. inquit, quod nihil est tam perpicuum, tamque manifestum, sicut est hæc nostra conclusio: Sed Hæreticis omnia subsdeque sunt; ex obscuris clara, ex claris obscura sunt: pro arbitratu fingunt sibi quodcumque; traditiones tollunt; veritates patentes negant; & fumo involvunt. Esse visibilem Ecclesiam, cœci vident. Quid enim est illa; nisi corpus fidelium congregatum, hominum, videlicet, cum suo capite, inter se, & cum Deo copulatorum? At illi nollunt eam esse Ecclesiam, sed chymeram faciunt. Quidam cum Luthero negant CC. alij vero concedunt dummodo ad illa admittantur omnes, etiam Layci, & fœminæ, quasi ad connubia, & non ad CC. veniant: omnes Papam præsidem negant. Quid igitur his hominibus faciemus? Sed quoniam testimonijs Scripturæ moveri se dicunt; afframus aliqua, quibus aperie probatur nostra conclusio.

5 Igitur Numer. 20. v. 4. dicitur: *Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem?* Quam Ecclesiam, nisi cœtum Judæorum? Et 3. Reg. cap. 8.

v. 14. *Benedixit omni Ecclesia Israhel: omnis enim Ecclesia Israhel stebat.* Ubi observare opportet, non poni synagogam, sed Ecclesiam, cum dicitur de populo visibili: nam synagoga interdum acommodatur rebus invisibilibus, uti cum dicitur: *Deus stetit in Synagoga Deorum.* Qua voce intelliguntur Angeli, & creaturæ, quæ non videntur. Veniamus ad locos novi testamenti, quorum tanta vis est, ut numerus iairi ægrè possit. Demus perspicuos Matth. 17. assignando gradus correctionis, ponitur tertio loco: *Dic Ecclesiæ:* ergo audit Ecclesia, & sentit. Deinde additur: *si Ecclesiam non audierit:* ergo loquitur Ecclesia; si autem loquitur; os, & caput habet: g. non est invisibilis; nec insensibilis. Et Act. 15. v. 3. & 4. *Illi ergo deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœniciem: cum autem venissim Jerosolimam, suscepisti sunt ab Ecclesia.* Homines erant, qui deducebantur, & deducebant, & ab Ecclesia suscepisti sunt. Et c. 18. *Ascendit Paulus, & salutavit Ecclesiam.* Salutabat, quam videbat, & illa salutantem videbat, & audiebat. Et cap. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Grex

cernitur, & cernit. Episcopi homines sunt, & homines regunt, & cum illis loquitur Paulus: *obedite Præpositis vestris: g. &c.*

6 Hæc testimonia præcipua sunt, & Ecclesiam nominatum ponunt. Sunt alia figurata, quæ rem continent; nam Psal. 18. v. 5. dicit David: *In sole posuit tabernaculum suum: quod August. exponit; in manifestatione posuit Ecclesiam suam.* Et epist. 166. ad Donatist: *Ipsa est Ecclesia in sole posita, itest, in manifestatione omnibus nota, usque ad terminos terræ.* Et ipsemet Christus: *Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum.* Quod SS. PP. de Ecclesia intelligunt. Unde August. lib. de Unitat. Eccles. cap. 16. *Non est operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed super candelabrum.* Et vertit se ad Donatistas; & nos cum eo, ad Lutheranos, & Calvinistas: *Sed Donatistis velut operta est, qui audiunt tam lucida, & manifesta, quæ illam toto orbe demonstrant, & malunt clausis oculis offendere in montem, quam in eum ascendere.*

7 Hæretici autem omnia putant invisibilia; quia nihil videre possunt. Christus mille mo-

modis voluit significare, Ecclesiæam esse visibilem: & Hæretici eam omnibus modis abscondunt, ne videatur. Christus super petram ædificatam dixit; ut staret, & fundamentum, & ædificium visibile: Hæretici vero petram connantur dejicere. Christus Ecclesiæam sagenæ comparavit, quæ videtur, & ab hominibus oculatis jacitur: Hæretici eam demergunt, ne appareat. Christus ovili assimilavit, ubi sunt oves, & pastor, qui illis præstet; easque vocat, & ab illis auditur: Hæretici lupos agunt, & oves abigunt, & lacerant, ne sint. Sane Ecclesiæ Sacraenta, Sacramentalia, & ceremoniæ visibles sunt. Ipse met additus, quo in Ecclesiæam intramus visibilis est, videlicet, Baptismus, quo tingimur, & labamur. Christus sponsus Ecclesiæ, Deus est, & homo, qui in terris visus est, & cum hominibus conversatus, ut ex hominibus Ecclesiæam componeret. Nam si invisibilem vellet, non incarnaret, & cum Angelis suis maneret. Denique (alia innumera relinquendo) audiant August. ep. 166. In Scripturis didicimus Christum: in Scripturis didicimus Ecclesiæam: ibi novimus Christum: ibi novimus Ecclesiæam. Si Christum ipsum tenetis: ipsam Ecclesiæam quare non tenetis? Si in ipsum Christum. Tom. III.

tum, quem legitis, & non videntis (post ascensionem) tamen propter scripturarum veritatem creditis: quare Ecclesiæam negatis, quam & legitis, & videntis? Hucusque Augustinus. Quid Hæretici? Non audiunt ista, quia non vident Ecclesiæam, nec sunt in Ecclesia, in qua ista dicit, & scripsit Augustinus.

8 Arg. i. Hæretici: Ecclesiæam esse, est de fide: sed fides est invisibilis: g. & Ecclesia est invisibilis. Magna argumentatio! Ut si diceremus: fama est, fuisse Calvinum: sed fama est vox, auditu perceptibilis: g. & Calvinus est vox, quæ auditu percipitur. Rursus; libri nos docent, fuisse Lutherum: sed libri sunt chartacei: g. Lutherus est chartaceus. Vel aliter in re sacra, seu in Sacra Scriptura: Habuisse canem Tobiam, est de fide: sed fides est invisibilis: g. & canis Tobiæ. Idem esto argumentum de assinis Saulis, & de mulo Absalonis. Videatur quæcum ridiculè argumentantur Hæretici. Respondetur tamen directe; quod aliud est fides, quam rem esse credo; & aliud rem, quam credo esse: quemadmodum aliud est oculis rem videre, & aliud res, quæ oculis videntur. Fide credimus multa invisibilia; uti sunt Deus, Angeli, Animæ, Gratia, virtutes, & dona Spiritus Sancti. Verum etiam

etiam credimus eadem fide multa visibilia; uti sunt Prophetæ, Apostoli, & quæ in libris historiarum Sacrae Scripturæ continentur. Alioquin; si quæ credimus fide invisibilia sunt, nihil corporeum credemus: atque adeò neque in Christo, credemus, qui in terris visus est, qnod ipsi Hæretici non concedunt.

9 Arg. 2. Ecclesia est formata per fidem, sicut nos Romani affirmamus: sed fides est invisibilis: g. & Ecclesia est invisibilis. Retorquo argumentum: Lutherus, Calvinus, Brenzius, Melancton, Zuinglius, & Breza fuerunt formati per animam rationalem: sed anima rationalis est spiritualis, & invisibilis: g. omnes isti erant spirituales, & invisibles. Argumentum tenet, nisi dubitetur de majori; nam certè posset quispiam dubitare: an, hi animam rationalem habuerint? Vel justa ipsorum opinionem: an suæ animæ essent inmortales, & spirituales? Et tunc minorem negabunt cum Atheis, Calvinianis nonnullis, & plurimis Lutheranis. Alioquin argumentum tenet. Concedimus ergo, quod fides est forma Ecclesie: sed negamus, Ecclesiam totam esse fidem. Etenim componitur ex hominibus, Summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis, Cle-

ricis, Monachis, & Laycis utriusque sexus: qui omnes corpore constant, & corpus Ecclesiæ componunt, & vident, & videntur, & loquuntur, & audiunt, & sentiunt, prædicant, & instituunt; concilia celebrant, Sacraenta conficiunt, & ministrant, & recipiunt. Immò, & ipsa Sacraenta constant materia sensibili, & sensibili forma, ut unumquodque sit invisibilis gratiæ, visibilis forma.

10 Arg. 3. aliquanto melius: quod fide creditur non est visibile: sed Ecclesia creditur: g. non est visibilis. Major, & min. sunt ex Sacra Scriptura. Pro majori: *Fides est argumentum non apparentium.* Ex Paulo. Pro min; ex Symbolo Nizeno: *Credo in unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Respondetur. In hoc argumento esse sophisma, quod distinctione tollitur. In re credita intervenit id, quod est materiale; & id, quod est formale, nempè, res objecta quæ videri potest, & veritas de ea affirmata auctoritate divina. Hoc secundum est obscurum, & invisibile; non autem illud primum, quod terminat ultimorum assensum fidei. Applicetur alijs exemplis distinctio. In Christo D. apparebat humanitas, & videbatur oculis, & tan-

gebatur manib; hoc non erat objectum de fide (sicuti obscurra, quidquid sit de fide clara) sed aliud in ipsomet objecto inclusum, idest divinitas, & unio hypostatica ad verbum, quod erat objectum fidei, & invisible. In Sacramento Eucharistiae sunt species visibles, & est substantia Corporis Christi; non creduntur illæ, ista creditur, quæ in Sacramento non est sensibilis. In Sacris Biblijs cernimus chartam, & characteres, non vero cernimus veritates contentas: g. hæc benè possunt esse objecta fidei, licet non characteres, & charta. Ita similiter in vera Religione, seu in Ecclesia vera, & est corpus huminum, & mysticum visibile constitutum ex sacris hominibus, & Laycis fidelibus; & est ratio Religionis vera, seu vera Ecclesia, qua homines inter se, & cum Christo religantur, & vocantur ad Deum: ille cœtus non creditur, quia videtur: hæc unio, & religatio creditur, quia non videtur, & nititur auctoritate divina. Unde credimus illud corpus mysticum, compositum ex membris materialibus, & visibilibus, esse fide conjunctum, & perfectum.

11 Arg. 4. aliquibus locis Scripturæ Sacræ; nam Psal. 44. v. 14. Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus. Et c. 3. Ierem. Da-

ba legem meam in condibus eorum. Joann. 4: Spiritus est Deus, & qui adorant eum in spiritu, & veritate opportet adorare. Et Luc. 17: Regnum Dei non venit cum observatione, neque dicent, ecce hic, aut ecce illic, ecce enim Regnum Dei intra vos est. Addunt denique locum August. 20. de Civ. cap. 8. ubi Ecclesiam dividit in prædestinationem, & non prædestinationem: ergo &c. Ad omnia ista facile respondetur. Ad primum enim dicimus; quod ibi laudat virtutem intrinsecam, quæ gratia, & donis animæ continetur: non tamen excludit corpus externum, seu visibile; immo, ex eo, quod dicit, ab intus, significatur aliquid esse exterius. Ad secundum dicimus; quod lex non est Ecclesia; sed fertur, & promulgatur in Ecclesia. Deinde, qui corda habent, vivunt, & habent pectora sedes cordium, & reliqua membra: atque adeo sunt homines visibles. Ad tertium dico, quod illud non capio: nam si aliqua vis est in eo, quod spiritus sit Deus, tollantur omnia corpora, & sint soli Angeli, & animalia: quo quid ineptius, ad constituendam veram Religionem pro hoc statu viatorum? Si autem ex adoratione in spiritu, & veritate, deducunt, non esse Ecclesiam visibilem, male de-

ducunt; quia ex eo potius sequitur, eos qui adorant, habere corpora; si enim essent puri spiritus, non erat opus, ut in adoratione monerentur, attendere ad rationem spiritus, & veritatis.

12 Ad quartum, in quo maximè nituntur respond: quod per Regnum Dei ibi non significatur Ecclesia; sed ipsum Christum, vel adventum ejus: Interrogaverunt enim Pharisei: *Quando venit Regnum Dei?* Et non interrogabant de Ecclesia, sed de Regno aliquo temporali, quod per Messiam obtenturos sperabant, & adhuc fatuè sperant; & ideo respondit Christus: *Non venit Regnum Dei cum observatione, &c.* ut excluderet judaicam expectationem de adventu Melsiae cum magna pompa, & strepitu admodum temporalis Regis. Et ut omnino tolleret falsam judaicam cogitationem de futuro adventu Regni Dei, quasi nondum venisset, addit Christus: *Ecce enim Regnum Dei intra vos est:* quia Melsiam, quem sperabant, jam inter illos versatum habebant, licet sine illo apparatu Regio, quem cogitabant. Dato autem, significare Ecclesiam, nihil evincitur: nem quæ est illa Ecclesia, quæ intra nos est, ita ut singuli eam capiamus, ut denotat ly *ecce intra vos est?*

Erit sanè fides, sanctitas, & alia spiritualia dona, quæ non sunt alligata alicui parti terræ, nec alicui loco, aut temporis, sed per totum Orbem terrarum diffunditur perpetuè, & universaliter, ita ut in potestate cuiuslibet hominis sit tale Regnum intra se habere, ut Augustinus observavit: Sed quavis hoc Regnum Dei sit spirituale, & per se invisibile, quoad sanctitatem, & spiritualia dona; nihilominus est visibile quoad personas, ut sapè diximus; immo, & quoad ipsa spiritualia dona, ut jam dicemus.

13 Ad locum Aug. & ad alias authoritates, si quæ sunt SS. PP. respondeo; illos nunquam distinxisse Ecclesiam prædestinorum, & reproborum, tanquam duas Ecclesiæ: Nam omnes fideles, sive sint reprobati, sive electi, sive sancti sint, sive peccatores unicam Ecclesiam componunt. Unde solùm Hæretici, (ut quæst. antec. diximus) Pagani, & Judæi, & Mahometani, ab Ecclesia Christi excluduntur. Circa alios; graves, & curiosæ quæstiones sunt inter nos. Doctores. Solum enim August. in principio illius capitilis loquens de Antichristo ait: *Nunquam ab illo Ecclesia seducetur prædestinata, & electa ante mundi constitutionem:*

ubi

ubi non distinguit Ecclesiam, sed à potiori parte illam denominat; quia illa præcipua pars electorum, & prædestinatorum in adventu Antichristi existentium non seducetur, nec decipitur ab illo, immò nec poterit decipi, ut significavit Christus illis verbis: *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi; sed portæ inferi non prævalebunt adversus eam.*

14 Ex hucusque dictis jam satis patet secunda pars tituli quæstionis, nempè, quomodo sit visibilis vera Religio, seu vera Ecclesia. Sed ulterius SS. PP. & DD. Catholici hanc visibilitatem demonstrant; non solum, quoad materialem congregationem hominum; sed etiam, quoad internam formam, seu rationem formalem Ecclesiae. Ad cuius intelligentiam est notandum; quod aliqua res dupliciter potest esse visibilis; vel in se, vel per aliqua signa, aut effectus visibles. Sicut anima equi, vel etiam hominis, potest dici visibilis, aliter vero quam corpus: nam corpus videtur in se; anima vero non in se, sed in suis actibus, seu operationibus. Corpus dici potes visibile animali modo, id est, modo sensitivo; anima vero modo rationali, id est, adminiculo rationis, adiungendo discursum sensui. Sic

Pael. ad Roman. 1. dixit: *Invisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspicuntur.* A visibilibus enim ad invisibilia rapi-mur. Unde invisibilia in se, sunt aliquomodo visibilia in alio. Sic etiam Christus D. interrogatus à Joann. Bapt. per Discipulos suos: *Tu es qui venturus es, an aliud expectamus?* Christus respondit: *Renunciate Joanni, quæ audistis, & evidistis: oeci vident, claudi ambulant, &c.* Matth. 11. quasi diceret Salvator mundi: in signis, quæ ego facio, videre potestis, me esse Messiam, quia illa opera, & miracula exhibeo, quæ Messias facturus erat prædictit Isai. 35. & 61. Unde idem Dominus dixit Joann. 15: *Si opera non fecissim in eis, quæ nemo alias fecit, peccatum non haberent, scilicet, in non credendo illi: sed quia per ipsa opera ita clarè manifestabatur ipsis, nullam excusationem potuerunt habere.*

15 Ita similiter dicimus, Ecclesiam veram, seu veram Religionem esse visibilem, adhuc, quoad internam formam veræ religionis, veræque Ecclesiae: quia talia semper exhibuit signa, & quasi radios visibles suæ veritatis, ut in eis, & per ea videri possit, ac debet: „Sicut Sol, (inquit Ira-

neus

neus lib. 1. contra Hæres. cap. 2.) „ creatura Dei in universo mundo , unus , & idem „ est, sic & lumen, prædicatio „ veritatis ubique lucet, & illuminat omnes , qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Et Cyprian. lib. de unit. Eccles. „ Ecclesia una est , quæ in multitudinem latius incremento „ fecunditatis extenditur; quo modo Solis multi radij , sed „ lumen unum, divelle radium „ Solis à corpore , divisionem „ lucis unitas non capit. Et Origin. tract. 3. in Matth. „ Ecclesia plena est fulgore ab oriente , usque ad occidentem , & plena est lumine vero , quæ est columna , & firmamentum veritatis. Propter ter quod dixit Chrysostomus hom. 4. in cap. 6. Isai. „ Facilius esse Solem extingui, quam Ecclesiam obscurari. Et Aug. ad Hæretic. donatist. epist. 28. dixit: „ Incerti estis ubi sit Ecclesia : nos autem ideo certi sumus, neminem se à communione omnium gentium justè separari potuisse; quia non quisque nostram in justitia sua , sed in Scripturis divinis , querit Ecclesiam, & ut promissa est, redi conspicit. Promissa est enim Ecclesia vera , & vera Religio habens tales proprietates , quibus impletis conspici , & vi-

deri potest. Quæ autem sint ha- proprietates , & ista signa? diffusse tractatur à nostris DD. præsertim videri possunt Nost. Macedo. in Theologia positiva , & in tomo de Clavibus Petri. Et Suarez in Regem Anglia.

16 Unum signum , & maxime commendatum à PP. est antiquitas , quam nomine successionis nunquam interruptæ Pontificum à Christo , & D. Petro infra tractabo. Aliud signum est , quod vera religio, veraque Ecclesia maneat fundata in eademi petra , in qua Christus illam fundavit. Aliud signum est localis amplitudo, vel ubiqüitas veræ religionis per totum orbem diffusa. Sed omittendo alia plura signa, quorum præcipua ex Nost. Subtilis. Doct. infra adducemus, convenientia nostri DD. quod omnia possunt reduci ad illa quatuor , quæ in Symb. fidei inveniuntur , nempe , „ credo „ unam, Sanctam , Catholicam , & Apostolicam Ecclesiam. Exponamus breviter quid per istas voces significetur. Quod vera religio , seu vera Ecclesia Christi debeat esse una , & non plures; jam questione antecedenti satis probavimus : nam vera religio vocatur in Sacris Scripturis , una familia , una vinea , unum Regnum , ut in Evan-

Evangelio dicit Christus Judais: *Auferetur à vobis regnum Dei, (idest vera religio, seu vera Ecclesia) & dabitur genti facienti fructus ejus.* Vocatur etiam unum ovile, unum corpus, una sponsa, una columba. Et Luc. 11. dicitur: *Omnis regnum in se ipsum divisum desolabitur: ergo vera Religio est in se ipsa indivisa, & divisa à qualibet alia: ergo est unica, & singulatis. Non est dissensionis Deus, sed pacis:* inquit Paul. 1. ad Corinth. 14. v. 33.

17 Insuper; vera religio debet esse *Sancta*. Hoc constat ex Epist. ad Ephes. 5. „, Christus se ipsum tradidit pro Ecclesia, ut illam exhiberet gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, sed ut sit sancta, & immaculata. Unde cant. 6. vocatur; „, de cora, columba, pulchra ut Luna, electa ut Sol. Item 1. Petr. cap. 2. dicitur: „, Gens sancta: & paulo ante: „, Genius electum. Et ad Rom. 1. „, Omnibus qui sunt Roma vocatis Sanctis. Hac autem sanctitas convenit illi, primò; propter sponsum Christum, qui est Sanctus Sanctorum. Secundo propter Baptismum, & alia Sacramenta: & ideo 1. Corint. 6. „, Sed abluti estis, sed sanctificati estis. Tertio, propter

Christi mortem: „, Christus dicit, lexit Ecclesiam, & se ipsum traddidit pro ea, ut illam sanctificaret. cap. 5. ad Ephes. Quarto, propter leges, & precepta, juxta illud Psal. 18. „, Lex Domini immaculata, convertens animas, testimoniūm Domini fidele, justitiae Domini rectæ. Et ad Ephes. 4. „, Vocati estis, ut cum omnibus humilate, & mansuetudine, &c. Unde vera Religio nihil debet tradere rectæ rationi contrarium, nihil falsum, nihil injustum: nam finis ejus doctrinæ debet esse, & est, ut in sanctitate vivamus, crescamus, & perseveremus.

18 Insuper, vera religio debet esse *Catholica*, idest, universalis. Primo ratione loci; quia per totum orbem diffusa; juxta illud Psalm. 18. „, In omnem terram exivit sonus corerum. Et ipsemet Christus in Math. c. 24. prædixit: „, Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus. Et Marc. 16. „, Euntes in mundum universum prædicare Evangelium omni creaturæ. Et Actor. 1. „, Eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ. Et Psalm. 2. promissit Pater aeternus suo filio: „, Dabo tibi gen-

„, tes

„ tes hæreditatem tuam , &
 „ possessionem terminos terræ.
 Et Psalm. 71. „ Dominabitur
 „ amari usque ad mare. Deinde
 dicitur Catholica, seu universa-
 lis etiam ratione personarum;
 quia vocat, & complectitur om-
 nes omnino nationes , si velint
 Evangelio obedire , & salvati-
 „ Non enim est distinctio Ju-
 „ dæi, & Græci, nam idem Do-
 „ minus omnium. Etiam ratio-
 ne doctrinæ; quia proponit om-
 nia credenda, docet omnia prac-
 ticanda , & prohibet omnia vi-
 tanda. Denique , debet esse Ca-
 tholica , seu universalis ratione
 temporis ; quia semper dura-
 bit , & nunquam deficit , nec
 deficiet postquam semel incep-
 pit. Hoc constat ex Christo Do-
 mino , qui Matth. 16. dixit:
 „ Super hanc Petram ædifica-
 „ bo Ecclesiam meam , & por-
 „ ta inferi non prævalebunt ad-
 „ versus eam. Et cap. 28. v. 20.
 „ Ecce ego vobiscum sum om-
 „ nibus diebus , usque ad con-
 „ summationem sæculi. Ego ro-
 „ gavi pro te, ut non deficiat fi-
 „ des tua. Si erg. interrupta fuisset
 aliquando (ut volunt He-
 retici) jam certe aliquando de-
 fecisset , & portæ inferi adver-
 sus eam prævaluissent , & non
 omnibus diebus nobiscum
 Christus fuisset.

19 Quartum symbolum,
 seu signum veræ Religionis est,

quod sit *Apostolica*. Hoc pater
 ex Epistol. ad Ephef. 2. „ Su-
 „ perædificata super funda-
 „ mentum Apostolorum. Unde
 vera religio debet proponere
 eamdem omnino doctrinam,
 quam Apostoli tradiderint. Ad
 Galat. 1. „ Licet nos, aut An-
 „ gelus de cœlo evangelicet vo-
 „ bis præter quam quod (idest
 contra id quod Evangelium)
 „ evangelizavimus vobis , ana-
 „ thema sit. Debet esse etiam
 Apostolica per continuam suc-
 cessionem Episcoporum ab
 Apostolis , ad hæc usque tem-
 ора numquam interruptam:
 nam ad Ephes. 4. *Deus de-
 dit Ecclesie sue Pastores , ac
 Doctores ad consummationem
 sanctorum , donec occurramus
 omnes , &c.* idest , usque ad
 diem judicij universalis. Et
 v. 14. redditur ratio: „ Ut (si-
 „ lij religionis) non sint sicut
 „ parvuli fluctuantes , & circum-
 „ ferantur omni vento doctrinæ. Unde Aug. contra Epist. Ma-
 nichæi , inquit : „ In Catholica
 „ Ecclesia tenet me ab ipsa se-
 „ de Petri Apostoli , cui pas-
 „ cendas oves suas post Resur-
 „ rectionem Dominus com-
 „ mendavit , usque ad præsen-
 „ tem Episcopatum successio-
 „ Sacerdotum. Et concludit:
 „ Petro enim succedit Linus;
 „ Lino Clemens (numerando
 omnes Romanos Pontifices us-
 que

quæ ad suum tempus) „, in hoc
„ ordine successionis nullus
„ Donatista Episcopus inveni-
„ tur : inquit ipse Aug. & nos,
quod nullus Calvinista ; nullus
Lutheranus ; nec alterius Sectæ
sed sit hucusque in Cathedra Pe-
tri.

20 Inquieris : „ An ista ve-
„ ra religio , seu Ecclesia vera
„ possit deficere , vel errare in
„ fide ? Pro responsione est ob-
servandum , quod Ecclesia po-
test sumi pro parte , & pro to-
to conflato ex Pastoribus , &
ovibus ; primo modo respond.
posse deficere , & errare in fi-
de , ut erravit Arius , Macedo-
nius , Nestorius , Euthyches ,
Dioscorus , Pelagiani , Dona-
tistæ , Lutherani , Calvinistæ ,
&c. Secundo modo sumpta , res-
pondetur , non posse deficere ,
neque errare in fide ; idest ,
Christus D. Ecclesia visibilis
Catholicae , & Apostolicae Spon-
sus non est permitturus , ut ip-
sa Sponsa tota conflata ex ovi-
bus , & Pastoribus , publicè ,
aut universaliter profiteatur
aliquid dogma , quod sit con-
tra fidem , vel Evangelium. Hæc
resolutio est de fide , ut videri
potest apud Controversistas ,
principiè Beccan. Probatur illis
Sacra Scripturæ oraculis , qui-
bus probata est perpetua veræ
Ecclesiæ , seu vera Religionis
visibilitas , ut per se patet. In-

Tom. III.

ſuper , Psal. 47. de Ecclesia
dicitur : „ Deus fundavit eam
„ in æternum. Danielis 2. „ Sus-
„ citavit Deus regnum , quod
„ in æternum non dissipabi-
„ tur. Matth. 16. „ Portæ in-
„ feri non prævalebunt adver-
„ sus eam. Deinde , Christus
Apostolos , & Discipulos , ac
fideles Ecclesiam componentes ,
alloquens , ait : „ Ecce ego vo-
„ biscalum sum usque ad con-
„ summationem sæculi. Quo-
modo ergo deficere poterit , cui
nè deficiat semper Christus af-
fistit. Insuper , Joann. 16. „ Spi-
„ ritus veritatis docebit vos
„ omnem veritatem. Sciens om-
nem veritatem non potest do-
cere errores , nisi ex pura ma-
litia , quod de Sancta Ecclesia
nequit dici. Insuper , Matth.
18. „ Qui Ecclesiam non au-
„ dierit , sit sicut Ethnicus. Cùc
verò esset habendus sicut Eth-
nicus , si Ecclesia foret fallibi-
lis , & posset errores propone-
re ? Et quomodo esset Colum-
na , & firmamentum veritatis ?
Denique , Luc. 10. „ Qui vas
„ audit , me audit : Si omnes
simil errare possent , qui eos
audiret errantes , non audiret
Christum , qui est incapax pro-
ponendi errores. Concludat
Aug. lib. 1. de Symb. ad Ca-
thecum. cap. 6. „ Ipsa est , in-
„ quis , Ecclesia Sancta , Eccle-
„ sia una , Ecclesia vera , Eccle-

„ *sia Catholica*, contra omnes
 „ hæreses pugnans. Pugnari
 „ potest, expugnari tamen non
 „ potest. Hæreses omnes de illa
 „ exierunt, tanquam sarmenta
 „ inutilia de vita præcisa. Ipsa
 „ autem manet in radice sua,
 „ in vite sua, in charitate sua.
 „ Portæ inferorum non vin-
 „ cent eam. Argumenta Hære-
 ticorum infra proponentur, &
 dissolventur.

QUÆST. III.

QUÆ NAM SIT HÆC
*vera Religio, seu vera
 Ecclesia?*

Conclusio nostra, pro viribus, & usque ad totius sanguinis effusionem tenenda, sit; Vera religio, & vera Ecclesia, intra quam Salvatur, quisquis salvatur, & extra quam nemo salvus sit, est sola Ecclesia, & religio, quæ vocatur Romana. Contra hanc conclusionem habemus innumeros Hæreticos, inquit Nost. *Subtil. Doct. Scot. quæst. 2. Prolog.* habemus etiam contra illam Judæos, & Saracenos; uno verbo, omnes infideles. *Sed contra omnes istos in communis (prosequitur noster Doct.) octo sunt viae eos rationabiliter convincendi; quæ sunt, prænuntiatio prophetica: Scriptu-*

rarum concordia; autoritas scribentium; diligentia recipientium; rationabilitas contentorum; irrationalitas singulorum errorum: Ecclesiæ stabilitas; miraculorum claritas. His medijs, quibus rationabiliter possumus convincere omnes sectarios, adjungitur etiam constantia Martyrum, & vita Sanctissima Fundatorum hujus Romanæ Religionis; adjungitur etiam mors felicissima Sanctorum Ecclesiæ Romanæ, & finis infelix, infastaque mors Hæresiarcharum. Descendamus igitur ad singula.

2 *Primum medium*, seu prima via, qua possumus probare nostram conclusionem, & adversarios convincere, est *prænuntiatio Prophetica*: In Religione Catholica Romana adimpleri conspiciuntur, quæ scripta sunt, & loquutus est Deus in testimonium veræ religionis: ergo religio Catholica Romana est vera Religio. Pates anteced. consideranti libros Prophetales, ex quibus non est dubium, quin sequantur pauca, quæ refellant secundum Gregor. in homil. de adventu. Istam viam tangit Aug. lib. 10. de Civ. cap. 10. ubi ait: *Vera se narrasse præterita ex his, quæ futura prænuntiavit cum tanta veritate implentur.* Hincusque Doct. Deinde; quod per ta-

talem viam bene probetur, Religionem Romanam esse veram religionem, insinuavit Christus Luc. 24: *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ.* Et meritò, quia solus Deus, inquit Doct. potest naturaliter non ab alio futura contingencia certitudinaliter prævidere: ergo solus ille, vel ab illo instructus pro vera Religione, potest ea certitudinaliter prædicere. Conferatur igitur tota vita Christi, & invenietur conformis Prophetarum vaticinijs: & similiter conferantur omnia, quæ de Populo Christiano prædixerunt, uti convercio gentium, despectus temporalius, &c. & reperientur omnino consona cum dictis Prophetarum: g. si illa religio, in qua omnia ista verificantur, est sola vera religio: cum solum in Romana Religione verificeatur; aperte sequitur, illam solam esse veram Religionem.

3 *Secunda via*, seu secundum medium ad probandam nostram conclusionem, & improbandos adversarios, est: *Scripturarum concordia.* Et formatur sic: In non evidentiis ex terminis, nec ex principijs evidentiā habentibus, non consonant firmiter, & infallibiliter multi diversimodè dispositi, nisi à causa superiori

intellectus inclinetur ipsorum ad assensum: sed Scriptores Sacri Canonis, scribentes hanc nostram Religionem, variè dispositi, & diversis temporibus existentes in talibus non evidentibus omnino consonabant: g. ab ipso Deo fuerunt moti. Atqui Deus non moveret ad scribendam falsam religionem: g. religio quam scripserunt, est vera Dei religio: sed quam scripserunt est, quæ vocatur Romana: g. vel non est in mundo vera Religio, vel est, quæ vocatur Romana. Minor principalis prob. præcludendo alias evasions: nam Ezechiel prophetabat in Babylonia, eodem tempore quo Jeremias in Judæa prophetabat: sed aliter de altero naturaliter in omnibus vaticinijs, & sententijs scire non poterat: g. eorum mira consonantia ex uno, eodemque Magistro sumenda comprobatur. Atqui ex magna sanctitate utriusque doctrinæ convincitur, non potuisse provenire à malo spiritu: g. dirigebantur à Spiritu Sancto.

4 *Tertia via*, seu tertium medium est, *authoritas scribentium.* Et formatur sic: Aut libri Scripturæ sunt istorum authorum, quorum esse dicuntur, aut non? Si sic: cum damnent mendacium, præcipue in fide, & moribus, quomodo est ve-

rismile eos fuisse mentitos , dicendo : *Hæc dicit Dominus* , si Dominus non fuisset eis loquutus ? Aut si dicas , eos fuisse deceptos , non mentitos , vel propter lucrum mentire voluisse : primum improbatur ex dicto Pauli 2. Corinth. 12 : *Scio hominem in Christo , &c.* & subdit ibi : *Verba arcana audisse , quæ non licet homini loqui.* Quæ assertiones non videntur fuisse sine mendacio , si asserens non fuit certus : quia asserere dubium , vel est mendacium , vel non longe est à mendacio. Ex ista revelatione Pauli , & multis alijs revelationibus factis diversis SS. concluditur , quod intellectus eorum non potuerunt induci ad assentiendum ita firmiter illis , quorum notitiam non potuerunt habere ex naturalibus , sicut assenserunt , nisi ab agente supernaturali : g. ab ipso Deo fuerunt instructi , ut nobis docearent scripto , verbo , & opere , quæ in Religione Romana continentur. Atqui Deus non instruit , nec potest instruere homines ad amplectendam falsam sectam : g. Religio Romana est vera Religio. Deus enim , qui est infinite bonus , & infinite sapiens , quomodo revelaret doctrinam sibi displicentem , reflecta doctrina , quæ sibi magis placet ? Deinde , ex una parte

bonum sibi placet ; ex alia displicet , homines non sequi ducum doctrinæ à se revelatæ : g. doctrina à Deo revelata , est vera religio , quæ homines facit Sanctos , non vero doctrina , quæ ab ipso Deo non est revelata. Secundum etiam improbatur , scilicet , quod fuerunt propter lucrum mentiti ; quia immò potius pro illis adstruendis , & pro instruendis in illis hominibus maximas tribulationes sustinuerunt , & omnes divitias contempserunt.

Si autem libri non sunt illorum , sed aliorum , hoc dicere est magnum inconveniens : quia ita negabitur , quencumque librum esse illius authoris , cuius dicitur esse. Quare ergo isti soli falso adscripti sunt authoribus , quorum non erant . Præterea ; aut illi , qui eis adscripserunt libros istos , fuerunt Christiani , aut non ? Si non : g. non videtur , quod voluerint tales libros conscribere , & illis adscribere , & ex hoc magnificare sectam , cuius contrarium tenebant. Si fuerunt Christiani : aut erant superbi , & elati ; aut sancti , & humiles ? Si primum : cur voluerunt se privare illo magno honore , & nomine , quod per tales libros sibi acquirearent ? Si fuerunt humiles , & sancti ; quomodo mendaciter tales eis adscripserunt , cum lex

Iex eorum damnet mendacium? Quomodo affererent, Deum loquutum fuisse multa, quæ ibi narrantur, & hoc personis, quibus libri intitulantur, si talia non acciderunt illis personis? Quomodo etiam isti libri fuisserit ita authentici, & divulgati esse talium authorum, nisi fuisserint eorum, & ipsi authores eorum authentici foissent? De quo Ricard. 1. de Trin. cap. 2. Certe à summa sanctitatis viris sunt nobis tradita. De hoc etiam August. 2. de Civit. Dei, cap. 2. loquens de Christo D. dicit sic: *Hic prius per Prophetas, deinde per seipsum, postea per Apostolos quantum jatis esse judicavit locutus scripturam condidit, quæ canonica nominatur eminentissimæ authoritatis.* Atqui nefas est suspicari, nobis mentitos fuisse tales viros, tam insigni sanctitate pollentes: g. quæcumque scripserunt nobis ad nostram doctrinam, bona, recta, & vera fuerunt; ac per consequens nostra Romana Religio, est sola vera Religio.

¶ 6 *Quatum medium, seu signum est, diligentia recipientium; quod sic formatur: aut nulli credis de contingentibus, quod non vidisti; & ita non credes mundum fuisse ante, nec locum esse in mundo ubi non fueris; nec ipsum esse Patrem*

tuum, & illam esse Matrem tuam; & talis incredulitas detrueret omnem vitam politicam. Si igitur vis alicui credere de contingentibus, quod tibi non est, nec fuit evidens, maximè credere debes communitat, seu illis, quæ tota aliqua communitas approbat; maximè, si talis communitas est famosa, & honesta, & cum maxima diligentia probat, quæ recipit. Quis hoc neget? Talia sunt quæcumque continentur in Romana Religione. Tanta igitur fuit solicitude apud Judeos; tanta apud Christianos pro recipiendis libris continentibus hanc nostram Religionem, quod de nulla alia Scriptura, ut inter authenticas reciperetur, tanta solicitude fuerit hucusque inventa. Memorare, quantum laboraverint S. Hieronym. S. August. aliquique veteres PP. pro veritate querenda! Quantum insudaverint Concil. PP. implorantes absentiam Spiritus Sancti! Ergo vel nullis Scripturis est credendum, vel solis Scripturis nostræ Religionis est fides praestanda.

7 Consideremus insuper nostræ Religionis Magistros: primum Patriarchas, & Prophetas; deinde Apostolos, tum DD. qui contra singulas Heresies strenue micarunt. Deinde institutores ordinum Religioso- rum;

rum ; & inveniemus omnes tam
sanctos , castos , pios , & so-
brios , ut etiam , qui ex adverso
sunt vereantur , nihil habentes
malum dicere de eis , nisi for-
san quod excesserint in nimia
sanctitate. Dicat Lutherus , quid
senserit de SS. Parentibus , &
Patriarchis , Bernardo , Domini-
nico , & Francisco ? Sanctos
fuisse fatetur , ut refert Bellar-
minus de notis Ecclesie , not. 10.
nec solus Lutherus , sed &
alij quam plurimi id ipsum di-
xerunt ex Hæreticis. Et nos hi-
lares in Christiana Fide , tuti
de veritate illius dicamus : vi-
vat anima nostra cum Patribus
nostris : ubi illi sunt , utinam ,
& nos simus , securi , & gauden-
tes eadem via gradimur , qua
illi graffi sunt.

8 Videamus Exercitus Hæ-
reticorum ex altera parte. Qui
sunt hæresum DD? Ipsi metu Hæ-
retici sciunt , quod in plurimum
fuerunt Poetae leves , vel Phi-
losophi superbi , homines elati ,
ambitiosi , turpes , impuri-
ssimi , incentinentes , immor-
tificati , invidi , nugaces , ava-
ri , quorum Deus venter
erat. Quid incontinentius Ma-
hometo fingi potest? Ipse qui-
dem in Alcorano cap. 45. di-
cit ; se a Deo privilegium acce-
pisse conjungendi sibi omnes
foeminas , etiam consanguineas ,
quas voluptas appeteret. Prä-

tereà ; turpitudines Lutheri , So-
domiticæ Calvini , aliorumque
Hæreticorum nostri temporis ,
nota sunt , & videri possunt re-
latæ ad longum apud nostros
Dogmaticos Doctores.

9 Aliud etiam vitium ca-
pitale tenuit Hæresiarchas , &
hoc est superbia , & ambitio.
Div. August. lib. de Pastorib.
cap. 8. inquit : „ Nulla hære-
sis invenitur exorta directe
„ per se , & ex intentione ; sed
„ per accidens ex aliqua mala
„ occasione , sicut solent mons-
„ trua generari. De Teobute ,
qui juxta aliquos fuit primus
hæreticorum Ecclesiæ Catholicae
post passionem Christi , ait
Egesypus : „ quoniam deside-
„ ravit Episcopatum , & repul-
„ sammeruit , cœpit omnia per-
„ turbare , & corrumpere. Post
hunc surrexit Simon magus ,
de quo constat in Act. Apost.
cap. 8. Episcopalem authori-
tatem desiderasse , & data pe-
cunia emere voluisse ; & cum
se vidisset exclusum , hæresim
novam excogitavit. Post Simo-
nem exivit Valentinus : deinde
Marchion. Et ut prolixitatem
vitimus prouincia , quia posteà
dabimus seriem illorum , fere
omnes , tam veteres , quam
moderni facti fuerunt Hæretici
ex ambitione , superbia , in-
vidia , & turpitudine ; quod
certè ipsorum sectatores nega-
re

se non possunt. Primum initium Lutheri fuit invidia , & ambitio: desideravit enim quod munus promulgandi indulgentias Cruciatæ sibi , cæterisque Monachis donaretur ; & quoniam alijs oblatum aspexit , sic impatienter tulit , ut invidia , & furore repletus , cæperit in errores prolabere diversos , ut jam diximus. Quadam itaque die dis putando cum Eckio , exclamavit Lutherus ; hæc causa , nec propter Deum capta est , nec propter Deum finietur : infelix homo ! melius illi esset , si natus non fuisset. Descripti igitur sunt Hæretici , & veri fideles.

10 Nunc sic : Deus non deest quærentibus toto corde salutem : atqui veri fideles , non vero Hæretici , quærant cum omni humilitate , & vero cor de salutem : g. Deus fidelibus non deest. Deinde , Deus est bonus : ergo rectos diligit. Si illos diligit , illos opitulatur in majori necessitate : atqui nulla major , quæ cognitio veræ religionis , sine qua salus æterna obtineri nequit : Ergo vel Deus non exaudit petitiones justorum , & quærentium toto corde æternam salutem ; vel dicendum est , quod vera religio , media qua æter na salus consequitur , inveniatur apud fideles Romanos.

11 Quintum signum , seu

medium est *rationabilitas contentorum* ; quod sic proponitur : nulla religio prudentius potest reputari vera Dei religio , quæ illa , quæ hominem dirigit ad eximiam perfecti onem per exercitia omnium virtutum , & cuius observantia præceptorum hominem reddit prorsus irreprehensibilem : at qui talis est sola religio Romana : ergo sola Romana religio est vera Dei religio. Major est evidens : quia ratio naturalis demonstrat , Deum esse infinité bonum , bonum sibi placere , sicut & abominare malum : g. doctrina illa , seu illa religio , quæ magis hominem avertit à malo , & efficacius dirigit ad bonum , est religio Deo magis placens ; ac per consequens vera Dei religio.

12 Pone hominem acutum in Sylvis nutritum , & nulli , religioni affectum , volentem eligeret religionem ; quia per rationem naturalem apprehendit aliquam esse religionem veram à Deo revelatam , qua salvetur quicunque voluerit. Hic homo , si prudenter eligeret , qualem existimaret Dei religionem , nisi illam , quæ illum perfectum redderet in ordine ad Deum , in ordine ad proximum , & in ordine ad se ? certè hoc ipsa ratio naturalis dictat. At qui talis est nostra Christiana Ro-

Romana religio: g.&c. Hæc mi-
nor subsumpta, sicut & min. prin-
cip. est evidens, etiam cuicun-
que attendenti legem nostram:
nam in ordine ad Deum, per-
fectissimum consulit amorem:
„Diliges Dominum Deum
„tuum est toto corde tuo, &
„ex tota anima tua, & ex toris
„viribus tuis. Quid rationa-
bilius, quam Deum, tanquam
finem ultimum super omnia di-
ligere, & proximum sicut se ip-
sam? „Idest (inquit Subtil.
Doct.) „ad idem, ad quod se
„ipsum. Omnia ergo quæcum-
„que vultis, ut faciant vobis
„homines, & vos facite illis.
In his duobus præceptis uni-
versa lex nostra pendet, &
Prophetæ.

13 Confirm. hæc eadem
min. quia in nostra religione
Christiani nulla est levis offen-
sa contra Deum, vel prox-
imum, vel honestatem, quam
non condemnat: nullum pie-
tatis, aut virtutis officium,
quod non commendet: nullus
modus amandi Deum excellen-
tior, nullus finis præstantior
eo, ad quem dirigit: nullum
est medium necessarium ad il-
lum consequendum, cuius no-
titiam, & usum non doceat:
nullum motivum efficacius ad
vitam pię, ac sancte instituen-
dam; nam cum caro hominis
semper concupiscat adversus

spiritum; omnibus modis pos-
sibilibus refrenat carnis con-
cupiscentias (hoc benè sciunt
Hæretici, & quia ita refrena-
bat illos, ut cum libertate carnis
viverent, facti sunt Hæretici) vel
ex Dei præsentia cuncta
cernentis; vel ex memoria mor-
tis; vel ex judicio futuro; vel
ex promissione præmij; vel ex
magnitudine pœnae; & ex alijs
pluribus capitibus. Deinde; ni-
hil turpe, ac flagitosum ex-
pectandum, imitandumque
proponitur, ubi veri Dei aut
præcepta insinuantur, aut mi-
racula narrantur, aut dona
laudantur, aut beneficia postu-
lantur. De credilibus etiam
patet: quia nihil credimus de
Deo, quod aliquam imperfec-
tionem importet; immò, quid-
quid credimus verum esse, ma-
gis atestatur perfectioni divi-
nae, quam ejus oppositum. Pa-
tet, de Trinitate personarum;
& incarnatione Verbi; & hu-
jusmodi; nihil enim credimus
incredibile: quia tunc incredi-
bile esset (inquit Aug.) mun-
dum ea credere; & mundum
ea credere non est incredibile;
quia hoc videmus.

14 Insuper, in ordine ad
proximum docet nostra religio,
non solùm reddere bonum pro
bono; sed vincere in bono ma-
lum: non solùm diligere am-
icos; sed etiam inimicos. Quid
ap-

aptius ad refrenandas carnis
passiones? Et quid utilius pro
bono proximi? Non solum non
occidere; sed neque irasci;
exorare pro persecutoribus, &
eis bené facere; contumelias, &
injurias non reppendere; sed
beneficijs commutare. In ordi-
ne ad nos ipsos nullum est exer-
citium virtutis, quod non con-
sulat, ut sobrie, justè, & piè,
vivamus in hoc sæculo: in ea
juvenes, & virgines relictis
parentibus, contemptis hono-
ribus, & divitijs, spretis car-
nis, & mundi illecebris, ac vo-
luptatibus, uni Deo tanquam
Angeli famulaturi, vitam pau-
perem, despectam, solitariam,
& monasticam amplectantur.
Deinde; propter hanc Roma-
nam Religionem, quam plurimi
viri potentissimi se abdicarunt
seculari potentia, & tempora-
libus divitijs. Illusterrimi sec-
tatores hujus Romanæ Religio-
nis egregia martyria pro ejus
defensione passi fuerunt.

115. Respice Sanctos Docto-
res omni eruditione eximios:
Purissimos Confessores, Bene-
dictum, Bernardam, Domi-
nicum, Franciscum, Petrum de
Alcantara: respicite tenellas
Virgines, & debiles puellas, qua
omnes tyrannos superarunt,
ut videre est in Catharina, Ag-
neta, Lucia, Agatha, Barbara,
& alijs, qua ad atrocissima

martyria ibant gaudentes, qua-
si ad æpulas invitatae. Quibus
omnibus incredibile est, Deum
denegasse cognitionem vera re-
ligionis; & permisisse omnes
istos, & istas damnari, & in er-
tores vivere, ac mori, dum
veram religionem expetebant ad
Dominum continuis precibus,
& orationibus. Quis hoc neget?
Aut enim dicendum est, Deum
inxorabilem esse; aut dicen-
dum est, audisse tot sanctissi-
mas, & justissimas petitiones.
Dicamus ergo ex toto corde:
Vivat anima mea cum Patri-
bus meis; volo esse ubi Augus-
tinus, Franciscus, Petrus de Al-
cantara, &c. Fidem, quam hi
tenuerunt, & non aliam cupio.
Imprudens ero, tales sequendo
Daces? Quid facere potui, &
non feci? Religionem illam se-
legi, qua me ordinat exactissime
in ordine ad Deum, ad
proximum, & ad me: qua me
in amorem Dei efficacissime in-
ducit: qua omne genus virtutum
consulit; cui dum magis
accedo; magis, ac magis inca-
lesco amore Dei, proximi, &
perfectionis; testis est mihi
conscientia mea, magis deter-
reor in vitijs, magisque ea de-
testor. Religionem igitur illam,
qua sua directione viros adeò
perfectos eformavit, hanc se-
quor; & quia hanc sequor fi-
dem, & religionem, damnabit

me Deus , dum tot impellunt
motiva insistendi ei ? Non cre-
dam : faciliusque dubitarem me
vivere (loquor cum Aug. 7.
Confess.) quam non credam,
vera esse , quæ credo. Dicamus
ergo concludendo cum Ricard.
à S. Victor. lib. de Trinit. I.
cap. 2. loquendo cum Deo:
Domine , si error est (in rebus
nostræ religionis , quod absit)
ā te decepti sumus ; nam ista in
nobis tantis signis , & prodigijs
confirmata sunt , & talibus , quæ
non nisi per te fieri possunt,

16 *Sextum signum* , seu
medium pro cognoscenda vera
religione est : *Irrationabilitas*
singulorum errorum. Dum men-
te habetis rationabilitatem , &
sanctitatem nostræ R. C. & Ap.
Religionis : manifestos errores
omnium aliarum sectarum at-
tendite : quia *opposita justa se*
posita magis elucentur. Nulla
est secta , vel Paganorum , vel
Philosophorum , vel Judæorum ,
vel Hæreticorum , vel Turca-
rum , quæ demonstrabilibus er-
roribus non sit admixta ; ut vi-
deri potest apud Bellarmin. lib.
4. de Not. Ecclesi. cap. 11.
Not. 8. Pagani multiplicant
Deos ; & tanquam Deos colunt
animalia sordida : immo , &
dæmones. Antiqui Philosophi
adulteria licita decebant. Quid
Sarraceni vilissimi porci , Ma-
hometi discipuli pro sua reli-

gione allegabant ? Expectant
pro beatitudine , quod porcis
convenit , scilicet , gulam , &
cohitum. In suo Alcorano nun-
quam fit mentio operationum
spiritualium , vel amoris Dei.
Affirmant , divinam potentiam ,
& providentiam intra Cœlos
contineri ; nec infra lunam
posse descendere. Tenent Deum
esse corporeum : orationes ni-
hil prædestinatis , nec reprobis
proficere : dæmonem ex igne
pestifero fuisse creatum. Quid
Judæi , qui novum testamentum
damnant , quod in suo veteri
promittitur : ut ostendit Apost.
ad Hebræ. Negant etiam Chris-
tum advenisse ; cum prophetæ
ipsorum jam advenisse aperte
ostendant : *Non auferetur* (ait
Jacob. Genes. 49. v. 10.)
sceptrum de Juda , & dux de
femore ejus , donec veniat qui
mittendus est. Ubi ergo est jam
suum sceptrum ? Ubi est jam
suum Regnum ? Ubi Dux co-
rum ? Ubi sunt illuminati viri ,
cum quibus Deus familiariter
loquebatur , & quorum preci-
bus exoratus , ingentia opera-
batur miracula ? Ubi sunt illi
Prophetæ , qui futura prædicen-
tes , mysteria , & verba Dei
populo revelabant ? Ceterè hoc
ipsis defecit : quia translata est
ad nos vera religio Dei ; non
quoad cærimonialia ; & legalia ,
qua cessare debuerunt , nam om-
nia

nia in figura contingebant illis, & finem habuit figura, veniente Christo D. & lege gratiæ; sed translata est, saltem quoad mortalia. Unde, sine lege, & sine Rege, profugi, vagi, sine terra, & sine patria meritas poenas iuunt. Et jam neque legem Moys. servant; sed thalmudicas fabellas, & ex eis vix unus, præcepta in Levitico contenta scit. Et hoc, quare? Quia ut dicitur Daniel. 9. v. 26. Occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est.

17 Deinde; discrimen inter nos, & Judæos, in hoc statu præcipue: An Christus sit, vel non sit Messias? Atqui imprudentissimum est, non credere; & prudentissimum, credere Christum esse Messiam: g. &c. Minor, inqua est difficultas, innameris authorit. veteris testamenti, quod ipsi Judæi admittunt, probatur à nostris AA. sed suadetur hac ratione: Christus dixit, se esse Messiam: sed imprudentissimum est, Christo hoc dicenti non credere: g. &c. Prob. min: Christus fuit mirabilium operum effector, & Doctor omnium illorum, qui libenter audiunt, quæ vera sunt: ergo imprudentissimum est, ipsi non credere. Anteced. constat ex plurimis Judæis; præcipue ex Josepho Judæo, qui

lib. 18. antiqu. cap. 4. inquit: *Doctrina edoc̄ta à Christo, est doctrina continens omnem perfectionem, ducentem ad exactissimum apicem omnium virtutum.* Hoc etiam patet intuenti ipsam doctrinam, ut in signo antecedenti diximus. Deinde de miraculis ipsi dicebant: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit.* Nunc sic: incredibile prorsus est, quod homo Deo inimicus, ut sibi Deitatem abrogans, & inducens in mundo idolatriam, dictaret doctrinam moventem ad omne exercitium excellentissimarum virtutum, & quod faceret tot signa, & mirabilia in confirmationem talis doctrinæ, quod ipsimet Judæi viderunt. Quis audabit dicere, quod Deus benignissimus provisor, & gubernator mundi id permitteret, & faceret in seductionem hominum? Ergo Christus non fuit Dei inimicus, nec sacrilegus: ergo non falso sibi abrogavit Divinitatem; nec falso dixit se esse Messiam: ergo imprudentissimum est, illi non credere: ac per consequens imprudentissime Judæi id negant.

18 Quid igitur Hæretici? Quid Asini Manichæi fabulantur, primum malum provenire à Deo; cum ipsi, & si non primi, tamen mali valde essent?

Nonnè vident omne ens , in quantum ens, bonum esse? Nonnè etiam in novo Testamento potuerunt videre esse vetus authenticum , & approbatum? Quid singuli alij Hæretici , qui unum verbum Scripturæ male intellexerunt: *Non potest* (inquit Aug. lib. 83. qq. q. 69.) *error oriri palliatus nomine Christiano , nisi de Scripturis non intellectis ; & hoc ideo, quia præcedentia , & sequentia non contulerunt :: Unde, Hæreses ortæ sunt per se legendæ , quæ conferendo repulsa sunt ; quia conferentes , diversas sententias adduxerunt, quæ ex se invicem mutuo videri poterant , quomodo & qualiter essent intelligenda. Sed illorum irrationalitatem videamus. Hæretici Persarum permittont nuptias cum matribus , filiabus , & sororibus. Tyberianni , dejiciunt senes ex altis turribus; cum potius prudentia , & pietate honorari deberent , juxta illud : *Honora senes ; etenim ex nobis senescunt.* Hircanni , projiciunt Canibus cadavera hominum. Scythi , cum mortuis sepelliant vivos , qui magis à mortuis fuerunt dilecti.*

19 Sed quid Hæretici moderni ? Lutherus , inter alia valde irrationalibia , sequentia docuit : Scientias speculativas errores fore dicendas ; in ho-

mine non dari liberum arbitrium : Orationem esse iniutilem : nullum Prælatū habere potestatem condendi leges: quemlibet licite posse vivere, prout ei placuerit: Pontificem non esse superiorcm Episcopis: Excommunicationem non esse timendam , sed procurandam , & cum gudio suscipiendam. In tota Lege Evangelica nullum esse præceptum : amorem Dei super omnia esse impossibilem. Infantibus in ipso Baptismo infundi lumen rationis , ac prout credere , sperare , & amare. Non vident infantes Anglicanos in ipso Baptismo ejulare , clamare , immò , quantum possunt ablutioni Sacramentali se opponere ? Alia quam plura irrationalibia docent.

20 Infelix , & impudicus Calvinus ferè hæc omnia etiam asserit : & ultra docet : quemlibet fidelem , sive doctum , sive indoctum esse judicem controversiarum Sacrae Scripturæ. Fidem esse inamissibilem. Omnes damnos tam homines , quam demones esse damnos sine ullo demerito. Deum aliquos creasse , ut præcisè damnarentur. Deum esse authorem peccati cuiuscumque. Deum absolute non esse omnipotentem. Usuram non esse malam. Vitam Religiosam esse damnan-

vandam. Nullum esse meritum
in bonis operibus. Hæc ferè
omnia, & alia quam plurima
irrationabilia inserta, & coad-
unata sunt ex plurimis Ethero-
dosis in Secta quæ vocatur An-
glicana, & quam vocant refor-
matam: cum aperte sit pror-
sus deformata; ubi non profec-
tus ad sanctitatem; sed omni-
bus vitijs, luxurijs, ebrietati-
bus, & crapulis anxa præbe-
tur, laxatis habenis pessimo
illo dogmate: *Quod solum per
infidelitatem gratia amittitur;*
& quod solum per fiduciam,
qua quis credit, sibi imputari
Christi merita, omne remitti-
tur peccatum, stante abhuc ani-
mo peccandi. Contra istos est,
illud verbum Aug. contra Epis-
tol. fundamenti: *Non crede-*
nim Evangelio, nisi quia Ec-
clesia Catholica Credo: Igitur
irrationabile est, aliquid cano-
nis recipere, & aliquid non;
cum Ecclesia Catholica cui cré-
dendo, Canonem recipio, res-
cipiat totum æqualem.

21. *Septimum signum, quod*
probat nostram Romanam Re-
ligionem esse veram Dei reli-
gionem, est *stabilitas illius;*
quod sic forniatur: permanen-
tia rerum confirmat esse opus
Dei: sed nostra Romana Reli-
gio permanet ab Apostolica Se-
de per successiones Episcopo-
rum, & permanebit ad usque

consummationem generis hu-
mani: g. &c. Maj. constat ex
illo Magno Doct. antiquæ legis
Gamaliel, scilicet, qui cum
Judei totis viribus perseque-
rentur Christianam Religio-
nem, ut refertur Actor. 5. di-
xit: *Si ex hominibus consilium*
hoc, dissolvetur: si vero ex
Deo est, non poteritis dissolve-
re, ne forte, & Deo videami-
ni repugnare: erg. &c. Atqui
nostra Romana Religio post de-
cem, & septem tæcula, seu cen-
turias, in numeris inimicis cir-
cumlatrantibus firma perma-
net: g. Dei opus est, & nobis-
cum Dominus. Certè nec Bar-
barorum rabies, nec tormen-
torum vis, nec persecutionum
tempestas, nec munera, aut
dignitatum tentatio, nec por-
tae inferi; immo, nec tota dia-
bolorum machina potuit hu-
cusque illam evertere: immo,
tanto fuit gloriosior Catholi-
corum triumphus, quanto fuit
cruelior oppugnantium excessi-
sus; & quo magis satagebant
Tyranni Martyrum sanguine
fidem nostram extinguere, eo,
magis accendebatur, cresce-
bat, & multiplicabatur cum
eorum confusione; ut eleganti
calamo dixit Sanct. Leo, ferm.
t. de SS. Petro, & Paulo, his
verbis: *Non minuitur persecu-*
tionibus Ecclesia, sed augetur;
& semper Dominicus ager seget;

*te dicitori vestitur, dum grana,
quæ singula cadunt, multiplicata
nascentur. Unde Tertullianus
tyrannos provocat, &
improperat, in Apologia con-
tra Gentes, his verbis: *Hoc
agite boni Praesides cruciate,
torquete, atterite nos, plures
efficiamur quoties metimur à vo-
bis: semen est sanguis christia-
norum: Exquisitior quæque
crudelitas illecebra est magis
Sectæ.**

22. Confirmatur: doctrina illa, seu religio, quæ non fuit introducta virtute humana, sed potestate, & potentia divina, Dei doctrina, & religio est: sed doctrina, & religio nostra sic est introducta: ergo, &c. Ma-
jor est evidens: & probat. min-
doctrina nostra, seu Religio Christiana, valde celeriter in
toto universo fuit introducta
prædicatione Apostolorum, id-
est, per pauperculos Piscato-
res, antea rudes, idiotas, im-
becilles, contemptibiles, non
armorum potentia, non Prin-
cipium præsidio, non opum, vo-
luptatum, aut honorum illece-
bris; sed contradicentibus, &
repugnatibus Principiam, &
Magistratum potentij, Philo-
sophorum sapientiam, repugnatibus
deum Rethoricorum eloquentia; immo, omnibus
humanis sensibus, & affectibus;
Quis enim (inquit Subt. Doct.)

*tantam multitudinem ad pe-
cata pronam, ad legem contra-
riam, carni, & sanguini ser-
vandam induceret, nisi Deus.
Ergo nostra Christiana religio
non fuit introducta ope huma-
na; sed adjutorio divino: ac
per consequens nostra Christiana
Religio, est vera Dei Reli-
gio.*

23. Videamus nunc de Hx.
reticis: omnium illorum Sectæ,
aut religiones semper mutatio-
ni, inconstantia, & variationi
expositæ sunt. Quid jam Secta
Judeorum? Non manet in vi-
gore: inquit Subt. Doct. cum
D. Aug. Quid de omnibus
alijs? Evanuerunt quasi fumus.
Erant hominum impiorum
Consilium, & dissolutæ sunt.
Ubi jam Arriani, Pelagiani,
Mahichæi, & Monothelite? Ubi
genitui Anabatistæ, Tremuli,
Calvinisti, & Lutherani? Im-
mò ubi priores Jansenistæ, &
Molinistæ? Tanta irrepit in
eorum dogmatibus, Sectis, &
opinionibus diversitas, ut non
solum Lutheranus à Calvinista;
sed Calvinista, Lutherani, Jan-
senistæ, & Molinistæ ita inter-
se differunt in materia fidei, ut
vix unus cum alio conveniat:
ut ad longum potest videri in
nostro Arbiol, Disputat. Se-
lectis, disp. 5. art. 1. Si obji-
citur ide permanentia Sectæ
Mahometi (inquit Subt. Doct.)
ref-

respondeo illa incepit plusquam sexcentis annis post legem Christi , & in brevi Deo cooperente finietur, quæ jam multum debilitata est: & prophætia dicitur esse apud eos, quod citò finienda est secta illa. Et certè licet diutius permanferit (quoniam licentiosam hominum vitam à prime sanctificat Aſmodæa doctrina) possimus dicere, quod in rei veritate jam finita est; cum sit jam diuīsa in plusquam octoginta partes , seu Sectas diversas. Unde, de originali Mahometi doctrina vix obſervantur duo præcepta. Ex tot , tantisque pernitosis Hæresiarchis , & eorum innumeris erroribus, pené omnia quaſi fumus evanuerunt deliramenta. Fere nihil jām , niſi de Janseniſtis, Calviniſtis , & Protestantibus , vix loquitur , nec auditur , & hi quidem evanescoſt , ſicut prædeceſſores eorum. Dominus reducat eos , ut omnibus fiat unum ovile , & unus Paſtor. Amen. Sola ergo noſtra Ro- mana Religio , quæ ſola Sanc- ta eſt , incoluſis perfeverat: ergo ſola illa eſt vera Dei Re- ligio.

24. *Octavum ſignum* eſt, miracuſorum claritas: quod ſic patet: Non potest eſſe teſtis falſuſ Deus : ſed Deus iuocau- tuſ a prædicante noſtram Chriſ-

tianam religionem , ut oſten- deret veram Dei religionem eſſe, fecit aliquod opus ſibi pro- prium , ut pote miracula , ac per hoc teſtificatus eſt , eſſe ve- rum , quod iſte prædicavit: g. &c. Confirmatur pro vera eſt credenda illa religio , quæ ab exordio fuit veris miraculis propagata , & miraculis pa- tentibus obtinuit, ut innume- ræ gentes , quæ colebant Ido- la , & ſectas profitebantur ne- farias, ad verum Deum conver- terentur : ſed talis eſt noſtra Christiana religio : g. &c. Ma- jor eſt evidens ; nam miracula ſunt quædam voceſ grādiōtes Dei , ut aiebat Aug. tract. 8. in Joann. Deinde ; ſi quis iu- vocatus in teſtem ; ſignum con- ſuetum teſtificationis permi- ttat adduci , & præſens non con- tradicat , talis taciturnitas no- ſtat cum veritate perfecta: At- qui miraculum eſt tale ſignum Dei , ut teſtis : igitur ſi per- mittat , miracula fieri a dæmo- nibus non contradicens , ſeu non enuntians , illa non eſſe teſtimonia ſua , non videtur eſſe perfecte verax : atqui hoc eſt imposſibile: g. illa religio , quæ ab exordio fuit propaga- ta veris , & patentibus mira- culis , eſt evidenter tenenda pro vera.

25. Probatur min. ex in- numeris Ecclesiæ Catholicæ
Sc rip-

Scriptoribus, quibus recta ratione irrationabile prorsus videtur negare fidem; tuni, quia eodem saeculo floruerunt, quo miracula facta sunt. tum, quoniam ex eorum vita sanctitate canonizata, digni comprobantur indubitabili fide. Deinde à Christo, ab Apostolis, ab alijsque innumeris SS. quot muti, surdi, & cœci sensum recuperunt? Quot claudi gresum? Quod infirmi sanitatem? Quot mortui vitam? Hinc sedata maris tempesta, illinc fugati demones, istinc ardor ignis compresus: modò redditur aqua calcabilis: modò vaculus aridus crescit in virentem, & fructiferam siccum; ut de admirabili N. Parente D. Petro de Alcantara authenticè constat. Adde plura SS. corpora post ducentos, aut trecentos annos adhuc integra, mollia, & flexibilia, ut oculis nostris conspicimus, & manibus contrectamus. Si enim hæc miracula negantur, ostendant nobis sectatores aliarum religionum quedam his similia facta in corporibus eorum, quos prædicant suorum sectarum excellens cultores.

26 Iam Hæretici aliqua narrant miracula à Luthero, & Calvinio facta: nam Lutherus voluit ex quadam sua discipula diabolum ejicere; sed satis

fuit ei, ne ipse à dæmoni òcideretur: ut refert Staphylus, qui fuit præsens. Præterea, alia vice tentavit resuscitare Nissenum in flumine submersum; sed frustra; quoniam semper mortuus remansit. Item, in finibus Poloniæ, & Hungariæ anno 1568. suscitare voluit hominem, nomine Mattheum, quem ipse persuaserat, ut se mortuum fingeret, & quod dum esset in foro inter Magenses, foret uxor Mathei magnis clamoribus petendo illi, ut dignaretur resuscitare maritum suum: fuit ergo cum magna maiestate; verum qui mortem fixerat, mortem invenit in re, & re vera mortuus inventus est: Tentavit Lutherus mortum illum resuscitare; sed non potuit. Tunc mulier majoribus, & veris clamoribus petebat suum maritum ab ipso Lutherò, & illum maledicendo declaravit fictionem Lutheri. Sic narrat noster Macedo ex alijs AA. qui interfuerunt occasione. Hæc sunt miracula Lutheri; & similia referunt de Calvinio; ut videri possunt apud nostrum Macedo.

27 Deinde (inquit nostrus Subtiliss. Doct.) si ista miracula facta esse non credunt; hoc nobis unum grande miraculum sufficit, scilicet, quod jam terrarum orbis sine ullis mira-

eulis credidit. Quid enim mirabilius , quam quod mundus totus exiguo numero ignobilium , infimorum , imperitorumque hominum sine ulla miraculis crediderit ? Quid mirabilius , quam ut ad legem contrariam carni , & sanguini, Doctores pauci , & rudes , & pauperes potuissent plurimos potentes , ac sapientes convertere ? Quod sp̄cialiter patet , de multis sapientibus , primo fidei rebellibus , postea conversis : ut de Paulo prius persecutore ; postea gentium Doctore: & de Augustino prius per Manichæos seducto ; postea Doctore Catholico : de Dionysio prius Philosopho gentili ; postea Pauli discipulo : & de Cypriano , prius Mago ; postea Christianissimo Episcopo : Et de innumeris alijs conversis. Hucusque Doctor. Fateantur igitur Hæretici , mundum ad hanc Christianam religionem tractum fuisse vi miraculorum , quibus contradicere nequam potuit : fateanturque , Deum , authorem istorum miraculorum , & qui facit mirabilia magna solus , hanc nostram Christianam religionem mundo contulisse , ut in illa sola , & per solam illam homines salventur.

28 Nonum signum est , constantia Martyrum ; & Vi-

ta Sanctissima fundatorum Catholicæ Religionis , omniumque Orthodoxorum. Hoc signum , quoad primam partem de constantia Martyrum , omittunt nonnulli : quia ex Hæreticis multi visi sunt , qui se libenter flammis obtulerunt pro eorum falsa religione : & præsertim Montanistæ valde gloriabantur de Martyribus suis ; ut constat ex Tertul. lib. de fuga in persecuzione , quem scripsit contra Catholicos , dum erat Montanista. Bessaliani dicti sunt etiam Martyriani : quia gloriabantur valde de numero Martyrum suorum. Idem de Donatistis constat ; de quibus S. August. epist. 68. inquit : *Viveant , ut Latrones ; honorabantur , ut Martyres.* De Anabaptistis (sic dicti ; quia baptismum repetebant pro pœnitentia) scribit Sanct. Bernardus Serm. 66. in Cantic. *Mirabantur aliqui , quod non modo patienter , sed etiam lati ducerentur ad mortem.* De Adamitis etiam legitur , non nullos eorum canentes , & latosi ad ignem properasse ; ut refert Æneas Sylvius lib. de Historia Bohemiae , cap. 41.

29 Verum , & si propter ista , perseverare in confessione fidei usque ad mortem , non sit secundum se signum evidens vera Religionis ; quoniam non numquam , & aliqui luxuriosi

propter turpem amorem aliquius mulieris latenter etiam mortem subjerunt: Tamen evidens est, magnum intervenire discrimen inter Martyres Hæretorum, & Martyres nostræ Christianæ Romanæ Religionis. In primis nostra religio innumerabiles possidet gloriosos Martyres: nec tantos, nec tales ulla numerare valet diabolica secta. Caput nostrum, & caput Martyrum Christus Jesus passus est in Cruce; nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Apostoli planaverunt Ecclesiam sanguine suo, & Calicem Domini biberant. Quis post modum numerare poterit inclitos Catholicæ Fidei Martyres? Singulis diebus assignati possunt plusquam tria millia. Præterea, quanta mirabilia, stupendaque miracula visa sunt in passione nostrorum Martyrum? Hoc non possunt assignare Hæretici de suis Martyribus. Obliviscerantur bestiæ feritatem suam; coruebant Idola: ignis vertebarat in auram: omniaque elementa Martyres Domini reveri didicerunt, obstupescente mundo. Quot miracula ad sepulchra Martyrum Catholicæ Religionis experta sunt? Concentus Angelorum; luminaria mirabilia; incorruptionem sarcarum reliquiarum; sanatio-

nes instantaneæ morborum innumerabilium; resurrectiones mortuorum; & alia, quæ passim in lectionibus eorum leguntur.

30 Dicant Hæretici; quot miracula visa sunt in infesta passione eorum, quos Martyres suos appellant? Nunquid aliquis eorum per verum miraculum liberatus est ab igne, à bestijs, à Leonibus, &c? Mortui sunt, & nihil aliud visum est; nisi, quod mortui sunt. Obtulerunt vitam, & nihil inveniunt, nisi mortem. Habet etiam diabolus Martyres suos, qui patiuntur sine fructu. Ubi sunt corpora eorum incorrupta? Ubi miracula ad eorum sepulchra? Ubi luminaria Cœli? Ubi cantus Angelorum? Ubi conversiones Populorum; immo, & plurimum Tyrannorum ex miraculis factis in passionibus eorum? Voluerunt mori, & mortui sunt. Contemperunt vitam, & remanserunt absque vita. Corrupti sunt intus, & foris. Perierunt, in hoc finitum est totum.

31 Augetur hæc instantia ex licentia eorum vita: Montanus, à quo Montanista, seduxit nobiles feminas Priscam, & Maximillam, docendo eas prophetare secundum voluntatem suam. Dicebat, se esse Paraclytum Spiritum, quem Pa-

ter promisserat dare Discipulis suis. Dissolvebat nuptias, & alias ducebat uxores. Discipuli ejus addiderunt, foeminas posse ad Sacerdotium promoveri. Perjurium licitum esse, prædicabant. Unde, dicebant: *Fura, perjuria secretum prodere nulli.* Sic vivebant Martyres Montanistæ. Messaliani plures Deos collebant. Sathanæ cultum exhibebant, nè à Deo lèderentur. Jejunia Ecclesiastica despiciebant. Matrimonia, tanquam inutilia dissolvebant. Mulieribusque sine ullo Matrimonio utebantur ad libitum. Sic vixerunt Martyres Messalianenses.

32 Donatistæ sic diabolice vixerunt, ut Sacram Eucharistiam Canibus projicerent. Personas divinas, inæquales prædicabant. Baptismum Christianorum irritum faciebant. Sanctum Christinam contemnebant, & conculcabant. Se ipsos præcipites dabant, & dicebant, eos fore veros Martyres. Iti sunt Martyres Donatistæ. Adamitæ (sic dicti, quasi Adamum imitantantes, vel à quodam Adamo eos regente) moltos, & magnos errores præsorbantur. Nuptias rejiciebant, dicentes esse malas; quia si Adam non peccasset, non essent. Pluralitatem Deorum tenebant, inter quos, quatuor elementa. Solem, & Lunam adorabant. Ingressi ad

Ecclesias suas, se denudabant, relicitis vestibus ad fores Ecclesiæ; nudi Lectiones audiebant, edebant, & Sacra menta celebrabant: & dum ad certam sententiam, vel ceremoniam deveinerint, promiscuè quasi bestiæ mulieribus jam nudis jungebantur. Hac turpidissima brutalitate vixerunt Martyres Adamitæ. Sic turpiter vixerunt, qui ex hujusmodi sectis vocantur Martyres. Et similimis absurdis vivunt Lutherani, Calviniani, & Anglicani. Narrent igitur nobis, quot in omnium eorum Martyrio visa sint miracula?

33 Videant è contra Martyres Christi D. in vita Sanctissimos, in morte clarissimos, & in aeterna vita, seu in die Judicij, videbunt potentissimos. Sap. 5. v. 3. & pœnitentiam agentes, (instructuosam, sicut pœnitentia Judæ) & præ angustia spiritus gementes) dicent: *Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum estimabamus insaniam, & finem eorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos fors illorum est.* Sic igitur tunc clamabunt Hæretici, absque libertate, & absque meritó: nam præ angustia spiritus confitebuntur omnes

nes istas veritates cum magno cordis sui dolore : & similibus verbis nunc jam nobis improperant. Conferatur igitur vita omnium Orthodoxorum , vita omnium Etherodoxorum , vita omnium cultorum nostræ Religionis , & vita cultorum Anglicana sectæ , & aliarum. Quid inveniemus in vita Orthodoxorum , nisi redolentem Sanctitatem , stupenda miracula , virtutes eximias , despectus temporalium , insaturabilia bonorum æternorum desideria , affectus patiendi pro Christo , conatus ad majorem Dei gloriam , ad animarum lucra , ad vitandaque peccata ? Ibant Apóstoli gaudentes à conspectu Concilij , quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Missit eos Dominus sicut agnos inter lupos. Aspiciant deinde , omnes SS. & Sanctas nostræ Christianæ Romanae Religionis , esurientes , & sitiientes justitiam , mortificatos , abstinentes , humiles , vera charitate repletos , &c. H̄i sunt , quos jam Anglicani habent in derisum , & in similitudinem improperij , & quorum vitam estimant insaniam. Sed cum tempus advenerit , jam fatebuntur se esse infensatos. Nunc videamus illos superbos , elatos , iracundos , temporalia , & delectabilia quarentes , & vanitates

ambientes. Sed vix illis in morte , & post usque in æternum !

34 *Decimum , & ultimum signum est , Mors felicissima SS. nostræ Religionis : & finis infelix , infaustaque mors Haeresiarcharum. Præfatio in conspectu Domini mors Sanctorum ejus ; nec solùm in conspectu Domini , quin etiam regulariter , & inconspectu hominum , loquente ecclœ lingua miraculorum : quoniam nimis honorati sunt amici tui Deus. Omnes Patriarchæ Religionum gloriissimo fine quieverunt ; adhortantes fratres suos ad humilitatem , patientiam , charitatem , &c. Alius spiravit in versiculo : Me expectant justi , &c. Alius dum cancretur à fratribus : Subvenite Sancti Dei , &c. Alius in illis verbis : Redemptionem misit Dominus populo suo , &c. Alius in illis : In manus tuas Domine commendó spiritum meum , &c. Alius dicens : Lætatus sum in his , &c. Unde , Sanctissim. Pater noster Petrus de Alcantara , cum se apparuerit Sancta Theresia , latus exclamavit : Ô felix pœnitentia , quæ tantum consecuta est præmium ! Sed quid immorarum ? Legantur attente Lectiones Sanctorum , & invenietur abundantissimè confirmata veritas proposita.*

Tran-

35 Transeamus nunc ad infelices, iusfasque mortes eorum, qui vexarunt Populum Dei, & Christianam Romanam Religionem imperierunt. Nue quid Judas laqueo se suspendit, & suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus? Nunquid Pilatus se ipsum interfecit? Nunquid etiam nunc Judæi vagantur in toto Orbe sine Duce, sine Ecclesia, sine Judice, sine Sacerdote, sine sacrificio, & sine terra? Nunquid Nero, Christiani sanguinis crudeliter prodigus, se ipsum interemit, exclamans: *Turpiter vixi, turpius moriar?* Nunquid Decimus absorsit terra, Maximianum laqueus, & Julianum Apostamat vermium corrosio? Sed quid Hæretarchæ? Artius cum in Ecclesiam intrare vellet, subito ventris motu ad latrinas publicas accessit, ubi simul eum exrementis viscera omnia, & animam misere effudit. Lutherus ad latus Monialis à se corruptæ repentina morte corrigitur. Calvinus sodomita diabolicus, consumptus vermis, blasphemans, & demonem invocans intolerabili factore spiravit. Alij alijs modis miserabiliter perierunt. Sic ergo punit Deus, adhuc in hac vita mortali, persecutores nostræ veræ Religionis. Nec oblivioni tra-

dendum, quod de misero Henrico VIII. Anglia Rege, & a quo sumpsit exordium Anglicana secta (ut jam videbimus) concordi calamo referunt Historici. His enim morti propinquus Sacerdotem Catholicum postulavit; verum Hæretici, letho circumstantes, dixerunt nullum Sacerdotem Papistam illie esse; quo audito, Rex infelix exclamavit, & dixit: *Omnia perdimus!* Et sic miserrime spiravit. Concludamus ergo cum Pico Mirandulano: *Magna insanitia est, Evangelio non credere, cuius veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolica resonant voces, prodiga probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, & dæmones confitentur.* Nota, (inquit Subt. nost. Doct. cit.) quomodo singuli hæretici de Catholicis inquisiti, non alios mittunt, sed ad veros Catholicos, quasi etiam illi soli ab omnibus etiam hæreticis Catholicis nominentur.

36 Igitur vera Religio; & vera Ecclesia, in qua salvatur quisquis salvatur, & extra quam nemo salvus fit, & in qua semper, & quotidie aliqui salvantur, est sola Ecclesia, seu religio, quæ vocatur Romana; quia hæc, & non alia, retinet hunc eamdem fidei doctrinam, quam habuit a tempore Apos-

tolorum ; tunc enim tenebat, Deum non esse authorem peccati : Baptismum esse infantibus necessarium ad salutem: septem esse sacramenta : confessionem peccatorum mortaliū coram Sacerdote Confessario esse jure divino præceptam : Christum realiter esse præsentem in Eucharistia : Missam esse verum legis novæ sacrificium : Sanctos pīe, & utiliter à fidelibus invocari. Venerandas esse Christi, B. Mariæ Virginis, & SS. Imagines : dari Purgatorium : Legem Dei non esse impossibilem : Neminem Deum damnare nisi propter peccata. Ista, & alia, quæ primitiva Ecclesia à Christo instituta tenuit, & docuit, modo adhuc docet, & tenet nostra Ecclesia Romana : g. ipsa est, quæ non potest deficere, nec errare, & in qua sola salvantur, qui salvantur.

QUÆST. IV.

IN QUA AMPLIUS ostenditur, Anglicanam fidem non esse veram Dei Religionem; magisque robatur veritas præudentis questionis.

IGildas ille, cognomeno sapiens (quem communiter, teste Suarez, alij

Historici sequuntur) lib. de Scidio Britanæ, testatur, Britaniam accepisse Christianam Religionem ab initio orti Evangelij. Quam rem describit Polydorus sic accidisse: cum Joseph ille, qui teste Matthæo Evangelista, ab Arimathæa civitate oriundus, Christi corpus sepeliverat, sive casu, sive consilio, ita volente Deo, cum non parvo comitatu in Britaniam venit; ubi tān ipse, quām ejus socij, cum de Evangelio prædicarent, atque dogma Christi sedulō docerent, multi per hæc ad vera n pietatem traducti salutiferaque fruge Baptizati sunt. Eamdem postea Islam confirmavit, vel iterum prius ad fidem reduxit Elcutherius Pontifex Romanus, à D. Petro duodecimus, teste Bedajib. 1. cap. 4. quam usque ad tempora Diocletiani Principis in violatam, integrumque servarunt. Sed tunc (inquit Gildas) ob immanitatem persecutionis, religio ita reflexerat, ut sit penè extincta.

2 Tandem vero, divina afflante gratia, anno Christi D. 590. anno 11. Imperij Mauritij, Gregorius Papa I. misit in Britaniam D. Augustinum, & Melithonem; quorum prædicatione tota illa Insula, jam in plurimum idolis serviens, restituta fuit Christo. A præ-

prædicto vero tempore usque ad annum Domini 1534. & usque ad 25. annum Henrici Regis hujus nominis octavi per annos circiter mille , prout ex Anglorum liquet annalibus, non alia viguit apud illos Religio, præter illam, quam nunc vocitant : *antiquam , Catholicam Romanam*. Immò ipsem Henricus octavus hoc tempore adeo fuit devotus Sedi Apostolica , ut in ejus defensionem adversus Lutherum composuerit justum librum de septem Sacramentis , quem missit examinandum , & authoritate Apostolica approbadum, Leon. X. tunc in terris Christi Vicario. Postea vero , nimio Annæ Bolenæ flagrans amore , à Sede Apostolica facultate non obtenta , quam sœpè petierat, ad repudiandam suam legitimam uxorem ; vel ad simul habendam Annam Bolenam; sua propria facultate repudavit legitimam uxorem ; quæ erat Catharina , Catholicorum Hispaniæ Regum filia , omni reclamante jure; & prædictam Annam duxit uxorem. Qui ut impunius , & securius (ut sibi videbatur) faceret , se ipsum constituit caput Ecclesiae Anglicanæ in temporalibus , & spiritualibus , & decrevit, ut omnes Anglicani ipsum pro tali nominarent , & haberent : & negavit autoritatem vero Christi

in terris Vicario. Hæc vasis, hoc fundamentum , hoc est initium , & origo novi Evangelij, seu novæ Religionis reformatæ in Anglia : Neque ipsi Protestantes diffitentur , aut erubescunt , ut vulgatum est in illius temporis Historijs.

3 Post hujusmodi vero illius Ecclesiae caput , ex turpisissimis principijs obortum , anno Dominicæ Incarnationis 1546. aliud caput non minus firmum , & regimini Ecclesiastico aptum, licet alterius indigens regimine, successit. Hic fuit filius Eduardus sextus puer IX. annorum, quem , & si Pater in fine vita suæ juxerat educari fide Catholica (dempto titulo primatus Ecclesiae) hoc tamen Henrici Regis mandato spreto , Zuinglianam sectam amplexus est, Pontificiamque exercuit autoritatem. Cum plurimæ verò innovationes per spatiū septem annorum fierent , Rex tandem juvenis anno 16. atatis suæ, è vivis abscessit; coque mortuo, & ipsa Zuingliana secta penè extincta est.

4 Subsecutum est nunc felicissimum illud Regnum Mariæ filiæ nostræ Catharinæ , feminæ in omnibus lectissimæ, pariter ac Religiosissimæ, quæ post obtentam cœlesti auxilio inexpectatam victoriam ab inimicis , sua sola pietate , & Religione commota , titulum pri-

matus Ecclesie à Patre , & fratre usurpatum , respuit , & stilo regio delevit : pristinamque Catholicam Religionem , quam semper professa fuerat mirificé , divina operante potentia , & Pontificis interposita authoritate , per omne suum Regnum gloriose restituit . Sed ob inscrutabilia judicia Dei , vel ob Patris sui , suorumque subditorum peccata , hoc tanto bono publicæ professionis Romanæ fidei Anglia privata est , post quinquenium , & quatuor menses , præoccupata præclarissima Regina Maria felicissima morte ; quanvis à toto illo Regno semper lachrymabili .

5. Maria successit , non in pietate & religione ; sed in Regno Elisabetha tertia Henrici soboles , habita ex Anna Bonena . Ita igitur crudelis fœmina , pro Catholica religioni , Calvinianæ sectæ formam statim in Regnum induxit . Et quanvis in primo Parlamento visum fuerit , ipsam non fore appellandam caput Ecclesiæ , quia nomen illud adhuc in Patre , & fratre displicuerat Calvino : nihilominus Supremæ Gubernatricis Anglicanæ Ecclesiæ (quod in idem reddit) sibi nomen assumpsit ; subditosque ad illud confirmandum solemni Juramento compulit , protestantes , nonquam se recognitos Simum Pontificis . Mul-

tisque legibus in varijs Comitijs editis voluit , decrevit , ac declaravit , omnimodam protestati in spiritualibus annexam esse Regio Sceptro . In hoc statu , ac professione Religionis perseveravit Anglia quādiu Elisabetha vixit . Illa vero demortua , Serenissimus Jacobus , Reginæ Scotiæ Mariæ filius , & in Regno Scotia hæres (à quo descendit Stuardus , quem Dominus custodiat pro bono Religionis) sceptrum etiam Anglicani Regni consecutus est . Sed non contentus hoc suo jure temporali , simul cum illo primitum cum supraem spirituali potestate in universam Britaniam usurpavit . Sectam autem vel calvinianam , vel parum ab ea diversam professus fuit , & à suis subditis totis conuictibus recipi , & observari studuit cum simili , vel strictiori jramento , ac protestatione , quo tempore Elisabethæ . Nunc autem perseverat Anglia in hac eadem secta exhibitis alijs erroribus ex alijs Hæreticis , ut potest videri apud P. Arsdekin in Theolog. tripartita , tom. I. tract. 3. art. 5.

6. Sed potest dubitari ; cùr hæc secta Anglicana ita nominetur ; & non nominetur Henricia , cum illud , quod illi est proprium , & quasi differentia distinguens illam , non solum ab Ecclesia Catholica , sed etiam ab

ab omni Ecclesia malignantum, videlicet, quoad recognitionem temporalis Regis in ratione supremi capit is in Ecclesiasticis, & spiritualibus ab Henrico Octavo introductum fuerit? Vel cur non nominetur Calviniana, cum in re non sit alia ab illa, teste Stapletonio apud Suarez? Sed fortasse, inquit Suarez, non ita vocatur, quia suum primarium fundamentum Calvinus non probavit, sed potius impugnavit. Nec vocatur Henriciana; quia licet illud precipuum dogma Henricus introduxit: in reliquis vero voluit Catholicam Romanam Religionem in suo Regno servari, quod successores ejus noluerunt. Vel certè non vocatur Henriciana; quia non sua tantum auctoritate, sed celebri actu Parlamenti totius Anglia institutum est, ut Rex in supremum caput sue Ecclesie susciperetur. Et non solum iste articolus ita definitus est, sed etiam speciali arbitrio illius Regni, seu Parlamenti modus religionis, ex varijs novis erroribus mixtus, sanctitus fuit.

7 His ergo suppositis, probemus jam, Anglicanam sectam non esse veram Dei religionem. Prob. 1. interrogando; an ante Henricum Octavum perierit in Anglia vera Dei religio, plantata à Joseph Tom. III.

ab Arimathea, & à D. Augustino; vel non perierit? Elige, quod putaveris: Sic arguebat D. Aug. contra quemdam Donatistam. Si ante Henricum Octavum perierat; quæ vera religio peperit Henricum Octavum? Vel quæ vera religio peperit Anglicanam Religionem anteriorem ad Henricum? Nunquam assignabunt; ut videri potest apud Suarez, & nostrum Macedo. Si non perierat vera Dei religio ante Henricum: quæ dementia persuasit, ut ab ea se Anglia separaret, nisi inordinata libido Henrici cum Anna Bolena? Et quomodo nunc potest esse vera Dei religio, cum ab illa antiqua, quæ vera fuit, separata perseverat, & penitus contraria? Quæ enim participatio justitiae cum iniustitate? Aut quæ societas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideili? Ergo Anglicana secta, quæ introducta est per separationem à vera Dei religione, non est vera Dei religio, sed humana adinventio, vanaque opinio. Hanc probationem late prosecuantur noster Macedo, & Suarez. Qui voluerit videat apud ipsos.

8 Probatur 2. illa secta, cui convenient signa Hæresis, non est vera Dei religio: atqui

Anglorum sectæ , & omnium protestantium convenienter signa hæresis : g. &c. Prob. min. duodecim sunt signa , quæ SS. PP. tradunt ad cognoscendam hæreticam doctrinam. Primum est origo infecta , vel per superbiā ; vel per lasciviam: nam una mater superbia , (inquit Aug.) omnes hæreses genuit. Et D. Paul. 2. ad Thymoth. 3. Erunt homines se ipso amantes ; cupidi : homines corrupti mente , & reprobri circa fidem. Et Subt. Nostr. Doct. inquit, quod primum peccatum diaboli, qui fuit primus Hæreticus , fuit luxuria spiritualis, seu amor inordinatus sui ipsius: Et adstruit autoritatem D. Augustini dicentis : *Duo amores constituerunt duas Civitates, nempe, Civitatem Dei amor Dei usque ad contemptum sui, & civitatem diaboli amor sui usque ad contemptum Dei.* Talem fuisse Lutherum, & per ambitionem , superbiam , & luxuriam defecisse à fide , & Romana Religione , notum est in Historijs illius temporis. Calvinum autem simili electione , & sodomitica , seu prepostera libidine apostatasse, etiam certissimum est : quia notissimum est (inquit nostr. Macedo) eum præpostera libidinis penas publicè dedisse ; & post latam sententiam Lilliata terga canden-

tis ferri opera gestasse , aut ne conbureretur aufugisse. De Henrico Octavo jam vidimus, quod propter turpem amorem dereliquit veram religionem , in qua natus fuit , & educatus , & quam strenue contra Lutherum defensavit. Sed non est opus longius in his sordibus immorari , ne calami conspurcentur.

9 Secundum signum est discordia , & separatio ab obedientia Romanæ Sedis. Hoc signum tradunt, D. Cyprian. & D. Aeg. contra Donatistas , qui valde in Cathedram Romanam , & Apostolicam blasphemarunt : in quo maximè novi Sectarij Angli , & Protestantes eos imitantur , & excellunt. Tertium signum est, inconstans , & dissensio doctrinæ : Nihil est enim magis contrarium veritati , & certitudini fidei, de quo jam satis diximus: quia magis inter se pugnant ipsi Hæretici , quam cum nostra Catholica fide: & prius consentiunt nobiscum Lutherani , quam cum Calvinistis ; & econtra , ut testatur nostr. Macedo ab ipsis audivisse : & ego his temporibus in quodam manifesto Anglorum pro Rege Stuardo legi ; quod omnes Angli , prius convenienter cum Catholice , quam cum Lutheranis ; seu prius amplexabunt Catholicae sectam , quam Lutheranam. Propter hanc dissensio-

nem

nem inquit D. Athanasi. dum perpetuo scribunt suamet ipsi immutantes , incertam suam fidem , vel potius certam suam infidelitatem , dementiamque ostendunt. Et D. Hilar. 3. de Trin. Hæretici contra Ecclesiam veniunt, sed dum Hæretici omnes se invicem vincunt , nihil tamen sibi vincunt. Unde Salmeron refert, Saxonæ Ducem dicere solitum esse : se quidem nosse , quid præsentí anno sui crederent : quid autem sequenti anno credituri essent ignorare. Hanc mutationem habent omnes protestantes.

10 Quartum signum , & in Prætestantib. fortasse maximum est ; jactare Verbum Dei, corrumpendo , & mutilando illud : de quo , Deo dante , infra dicemus. Quintum signum est ; contemnere Ecclesiam Catholicam , eique errorem tribuere , negando esse Catholicam ; sibique hanc vocem attribuendo : De quo jam supra , & infra. Sextum signum est , Concilijs non acquiescere : inquit Athanas. contra Arrianos. Quod , & faciunt Sectarij Anglicani. Nam quædam CC. sponte sua admittunt ; alia vero respuant : quia non ipsi acquiescunt Concilijs ; sed potius inter illa dijudicant ; ea que suo arbitrio approbant , vel reprobant. Inter se ipsos

autem nullum hucusque Concilium generale habuerunt : quia nunquam possunt in unum convenire. Septimum signum , & huic affine est ; Patrum authoritatem contemnere : in quo liberrimus fuit Calvinus : qui etiam ausus est , Patres comparare Phariseis ; sicut olim fecerunt Donatistæ , apud August. Octavum signum , superioribus consentaneum , est ; proprio spiritu duci , sive humano , sive Satanico Angeli nebularum transfigurantis se in Angelum lucis. Unde Hilar. inquit : Hæreticos esse sibi arbitros Religionis : cum Religionis opus , in solo obedientiæ sit officio. Pro voluntatis sue sensu verba Dei interpretantur.

11 Nonum signum est ; fucata eloquentia , seu vaniloquentia cum præcipitatione , & nimia loquendi libertate . „ De quo Nazianc. orat. 33. in „ princip. sic inquit : Hi vero „ utinam sicut linguam volubilem habent , atque ignobilioribus , ac probationibus verbis in sectandis acrem , & vehementem , sic etiam in agendo non nihil saltem , aut etiam æquè , operam collocarent. Id , quod sic facerent , minus utique cavillatores essent , nec tam absurdè , atque insolenter in verbis , perinde atque in alex.

, ludo versarentur. *Decimum* signum potest esse, *novitas doctrine*, *contra aliam doctrinam antiquam*, *seu per defectionem ab antiqua fide*: De quo jam satis supra. *Undecimum* sit, *nominis Catholici amissio*, & *nova ab authore denominatio*. De quo etiam supra, & iterum infra.

12 Duodecimum additur a Tertulliano, & est *Conversatio ipsorum haereticorum*; „ quam ipse late describit, & „ futilem, ac terrenam esse di- „ cit. *Ordinationes eorum, in-* „ *quit, temerariax, leves, in-* „ *constantes: nunc Neophytes* „ *collocant; nunc saeculo obli-* „ *trictos, nunc apostatas nos-* „ *tros, ut gloria eos obligent,* „ *quia veritate non possunt.* „ *Nusquam facilius proficitur,* „ *quam in castris rebellium,* „ *ubi ipsum esse illic prome-* „ *teri est. Itaque aliis hodie* „ *Episcopus, cras alias; hodie* „ *Diaconus, qui cras Lector;* „ *hodie Presbyter, qui cras* „ *Laicus: nam & Laicis Sacer-* „ *dotalia munera injungunt.* Hucusque Tertullianus. Hac igitur signa breviter recensui, ut cum protestantium moribus, & cum Secta Anglicana conserri possint: nam si id prudenti consideratione fiat, nemo dubitari poterit, quin Secta illa sit aperta Haeresis, & via damnationis.

13 Probatur 3. Anglicanæ Sectæ non convenient illæ qua- tūor notæ desumptæ ex symbo lo Apostolorum, & Nicæno, & Constantinopolitano: erg. non est vera Dei religio. Probatur antec. nam quod illi non con veniat esse unam, jam in supe rioribus satis evincimus; & ultra evincitur observando cum nostro Macedo: Haereticos cum tot sint, & per tot annos va ria doceant, nullum haecenū Concilium generale habuerunt: quo argumento constat eos non posse in unum con venire; cum nos Catholici decem ferme Concilia generalia numeremus: idque providentia Dei est assignandum. Nulla quippe magis Ecclesia Ca tholicæ nocere possent Haereti ci, quam si omnes advertus eam in generalem Synodus convenirent: nec aliquid magis haeretici horrent, quam ista Concilia oecumenica. Deinde, in Ecclesia Catholica ab initio semper fuerunt litteræ commun ionis, quæ formatae appellabantur, quibus inter se Catholici Praesules communicabant, seque mutuo agnoscabant, & a ceteris distinguebant. Inter Haereticos autem numquam legimus similes fuisse. Hoc ar gumentum est, apud eos nihil esse Catholicum, nihil con seniens; & proprium eorum esse

Sec.

Sectis , & sensibus discrepare,
magisque inter se pugnare,
quam cum ipsa fide Catholica.

14 Prob. etiam , quod illi
non conveniat esse Sanctam.
Nam primo : Quæ sanctitas in
eius fundatoribus ? Quæ sancti-
tas in Luthero ? Quæ sancti-
tas in Calvino ? Uterque erat
voti-fragus , impudicus , se-
ductor. Primus per decem an-
nus laboravit , ut conscienc-
iam extingueret. Secundus propter præpostoram libidinem
fuit publicè flagellatus , &c.
Quæ sanctitas in Henrico Oc-
tavo ? Ipsi fuerunt fundatores,
Apostoli , Prædicatores , & ho-
mines à Deo missi ad fundan-
dam illam Ecclesiam , quam
vocant reformatam. Secundo ;
quæ sanctitas in eorum legi-
bus ? Clastra destruunt ; Mo-
nachorum bona deborant : je-
junia tollunt ; Religionis vota
despiciunt ; Moniales ad nup-
tias sacrilegas trahunt ; aufe-
runt à Sacerdotibus cælibatum;
abstinentiam à carnibus res-
puunt : & denique , omne quod
carnis mortificationem sapit,
omnesque vias comparandæ
sanctitatis penitus substulerunt;
nihil relinquunt intactum , ni-
hil integrum , nihil sanctum ,
cum ipsa quoque pietatis ves-
tigia aboleverint. Tertio : quæ
sanctitas in eorum doctrina?
Deum impossibilia juvere con-

tendunt : nulla volunt imputa-
ri peccata habentibus fidem;
adeoque nec fornicationem ,
nec sodomitam , nec his horri-
biliora. Deum authorem esse
peccati : immò , & ad peccan-
dum cogere , docet Calvinus.
En Ecclesiæ Reformatæ Angli-
canæ Sanctitas.

15 Præterea ; Anglicanæ
Sectæ non convenit tertia no-
ta , scilicet , quod sit Catholi-
ca , seu universalis. Invenitur
nè in INDIA , in Japonia , in
Brasilia , in Chinæ Regno ? aut
invenitur in Assia , in Africa ,
in America , in Græcia , in
Egypto ? aut invenitur in mul-
tis Galliæ , Hispaniæ , Italiae-
que partibus ? Latitat solum
in parvulo Europæ angulo. En
quoad locum. An , vocat em-
nes , qui volunt salvari ? Econ-
tra expresté docet , posse quem-
libet salvari in sua religione.
En quoad personas. An , num-
quam deficit ? Ostendant , vel
levissimum , aut ex scriptura ,
aut ex PP. aut ex ratione hu-
jus rei fundamentum , & dabi-
mus manus. Immò , jam mag-
na ex parte defecisse ; testis est
experientia : tum in multis Bel-
gij partibus : tum in amplissi-
mo Galliæ Regno : En quoad
durationem. Adjicio , nostram
Romanam Ecclesiam pro om-
nibus etiam inimicis , & hos-
tibus suis orare , & in sacris

totius anni solemnioribus publicas pro his orationes fundare, ac pro Hæreticis, Judeis, Paganis nominatim Deum rogare, ut eos illuminet, & ad salutis viam perducat. Quod est argumentum, eam veram esse Matrem, & Catholicam, nec injuria ab his accepta, sed pietatis, & officij sui rationem habere.

16 Tandem nec Anglicana saecula convenit quarta nota, nempè, quod sit *Apostolica*. Primo; non ex parte fundamenti, cum Ecclesia reformatæ non sit author Christus. Secundo; non ex parte Apostolorum cum alia fuerit Apostolorum doctrina, alia Hæreticorum. Numquam enim docuerunt Apostoli, Deum impossibilia jubere, esse authorem peccati, cogere ad peccatum. Deinde, Anglo-Calvinista interroga Patres tuos, & dicent tibi, se realitatem corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia credidisse, quod tu negas: interroga majores tuos Anglo-Lutherane, & anuntiabunt tibi, se non fuisse impanatores, seu credentes realitatem Christi cum substantia panis; sed credidisse, sicut credimus nos, & crediderunt Apostoli, omnesque veri Christiani. Reformatam vocas Anglicanam Ecclesiam: sed quæso in quo deficimus? Quando deficimus? An aliud tenuerunt

Apostoli circa Eucharistia mystérium, quam nos Catholicí tenemus? Si id affirmas, adeoque Apostolos, vel negasse Christi realitatem in Eucharistia secundum Calvinum; vel fuisse Impanatores, secundum Lutherum; Tempus asigna, in quo ab illa fide Patrum nostrorum recessimus, quod nunquam facies. Tertio, Anglicana secta non est Apostolica ex parte successionis; quia nec Calvinus, nec Lutherus assignare potuissent, vel unicum prædecessorem sibi omnino in fide conformem. Quod signum est, non ab Apostolis, sed a diabolo descendere. Unde Tertullianus lib. de præscription. cap. 32. *Edant origines*, inquit, *Ecclesiarum suarum: evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio recurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui cum Apostolis perseveraverint, habuerit authorem, & antecessorem; hoc enim modo Ecclesia Apostolica census suos deferunt.* Id unum observandum, cum in Urbe Romana tot persecutions adversus nostram Religionem motæ sint, & tot Pontifices martyrum subjerint, tot Barbari eam Urbem deformarint, bastarint, incendarint, nunquam successionem nostrorum Pontifi-

ficum defuisse, quod sanè absque miraculo, & sola humana ope non ita esset. Unde manifestum signum est, Romanam sedem veram esse sedem Apostolicam in Christo, & Petro fundatam; nec portæ inferi prævalebunt adversus eam. Magnis artibus, & machinis eam Hæretici oppugnarunt, & oppugnant: sed stetit, stabitque arx Romana, donec erit orbis, & hominum genus durabit: immò, & mundo jam finito, æternum triumphabit in superis.

17 Methodus brevissima (inquit Reifenstuel) atque efficacissima reducendi ad Fidem Catholicam errantes animas, & hæretica pravitate seductas, est clare proponere, atque explicare istas quatuor notas. Videantur quæ ex Pat. Becano diximus in 1. præludio de modo disputandi cum hæreticis. Nunc ergo:

*PROPONUUNTUR, ET
diluuntur aliqua illorum
argumenta.*

18 PER easdem notas arguunt Hæretici contra nostram Romanam Ecclesiam. Primo sic: inter DD. Romanos, seu Ecclesiæ Romanæ maxime sunt controversiae in ipsa doctrina Theologica, in qua tradunt, quæ ad fidei dog-

ma spectant: sunt diversæ Scholæ, dum alij D. Thom. alij Scotum profitentur, alij se Neutrales, & Recentiores appellant, & se invicem vehementissime impugnant: ergo non est unitas in ipsorum Ecclesia. Confirmatur; quia sunt plures, & diversæ Religiones in quibus profitetur valde diversus modus vivendi; & unus dicit, Ego sum Benedicti; alter ego sum Francisci; alius, ego sum Dominici; ergo sunt schismata inter illos, & non unitatis nota: nam D. Paul. hoc summè reprehendit apud Corinth. quod unus dicebat, ego sum Pauli; alter Apollo, alter Cephæ, quasi divisus esset Christus.

19 Respond. ad 1. disting, anteced: sunt controversiae in doctrina substantiali, & essentiali fidei, & ad salutem necessaria, nego; in hac enī omnes DD. Catholici, omnesque Catholica Scholæ conveniunt, & sunt summè unanimes: si autem ab hac aliquis Doctor deviat, facile corrigitur, & à Pafatore Ecclesiæ damnatur. Controversiae igitur sunt solum circa opiniones quasdam Scholasticas, quæ nullo modo Fidem labefactant, immò, cum ipsis magis rutilat, & clarescit fides. Eodem modo respond. ad confirmat: quia omnes Religiones sunt ejusdem prorsus Fidei cum alijs

alijs fidelibus, & cum eisdem pacem, & charitatem servant, ac omnimodo promovere student, & dirigunt ad servanda mandata Dei, & præcepta Ecclesie. Omnes etiam eamdem substantialem doctrinam, ab eadem Sancta Ecclesia habent; eamdemque obedientiam illi præstant; eadem Sacra menta usurpant. Denominatio autem illa, tantum est à suis Fundatoribus, à quibus particulares Regulas, non in essentiali fide, & necessaria doctrina ad salutem diversas; sed ultra communia Dei, & Ecclesie præcepta, strictiorem vivendi modum acceperunt, juxta consilia Evangelica: *Si vis perfectus esse* (dixit Christus Matth. 19. cuidam juveni) *vade, & vende omnia,* *& veni, sequere me.* Alteri tantum dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Alteri molestè arguunt contra hanc unitatem ex parte Summi Pontificis, intendentis, Ecclesiam Romanam aliquando habuisse plura capita simul, & multoties caput Hæreticum; immo, aliquando fœminam habuisse Pontificatum, cui nomen Joanna; sed hoc ultimum est merum fignitum, & fabula. De alijs jam Deo dante cum de Summo Pontifice tractemus.

20 Arg. 2: magna grasan-
tur vitia in Ecclesia Romana,

permittuntur lupanaria: magnus est in Clero faustus, abundat vitijs, amat multitudinem famulorum, & famularum, & equorum, cuius contrarium fuit in Christo, & Apostolis. Prætereā; Clerus se plurimum intrincat negotijs Sæcularibus, contra illud Pauli 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus.* Denique; Pontifex se Deum vocari permittit: Pedes Imperatori osculandos porrigit. Friderici Barbaroxæ collum pedibus calcat: De pedibus Dia deina ab Henrico V. Imperatore jubet accipi; que omnia sunt signa magnæ arrogantiæ, & multum remota ab humilitate Christi, & Apostolorum. Ubi ergo nota Sanctitatis? Respond. nihil Sanctitati Ecclesie obesse unius, vel alterius, aut plurium vitia; sicut Sanctitatis Cœli nihil derogat malitia Luciferi: Paradiso suam non abs toluit Sanctitatem lapsus primi hominis; nec Collegio Apostolorum eam dempsit interitus Judæ. Inter frumenta quoque inveniuntur paleæ, & inter se getes zizania. Manet igitur Ecclesia Sancta, esto sint in ipsa mali; quia zelat zelum legis di vinæ, optima suis fuditis præscribit præcepta, & media exhibet ad eam servandam; eosque ad omnium bonorum exer ci-

citium hortatur ; mala nimirum avertere, & scelera puniri. Unde, si qui sunt mali, suo vitio sunt, non vitio Religionis. Itaque, ut jam alibi diximus, inepte argumentantur Hæretici ex culpis humanis ad Ecclesiasticas dignitates. Nec lupanarium permisso (juxta probabilem opinionem) profanat Sanctitatem Ecclesie ; quia permittuntur tanquam minus malum, ut evitentur mala majora.

21 Dum dicitur fastuosum esse Clerum, &c. respond. aliam esse rationem modernis temporibus, & aliam temporibus Christi, & Apostolorum. Nunc enim regnat Christi Ecclesia, illique se Imperatores, Reges, & Principes submiserunt, & Christianismo nomen dederunt, non ita tunc. Nunc Patribus nati sunt filii, qui constituti sunt Principes super omnem terram, Psalm. 44. *Quos Reges vultu in terram demissi adorabunt, & pulverem pedum ipsorum lingent.* Isai. 49. Honores qui defacto Episcopis deferuntur, illorum dignitates, principatus, & potestates faciunt Ecclesiam potentem, ornant, & adjuvant, & contra iniquorum insultus defendunt. Christus quoque satis numerosam familiam Apostolorum, & Discipulorum pro ratione temporis, & causæ, ob quam ve-

nerat, assumpsit : majorem autem majestatem tunc ostendere noluit, ne Regni affectati incureret suspicionem, aut impeditret Redemptionis opus : de reliquo honorem nardi à Magdalena effusi gratum habuit, & munera à Magis oblata, suscepit. Dum dicitur ; Clerum se implicare negotijs Sæcularibus; dico, Apostolum tantum velle, abstinentem esse ab his, quæ militiam Christi ita remorantur, & impediunt, ut eam deserere cogantur. De cætero sicut S. Paulus vita negotio implicitus fuit, cum labore magnaum suarum vietum apud Corinth. quæsivit, tempusque, quod orationi, aut meditationi impendere poterat, externo operi dedit, ita pro communī bono Reipublicæ, si communis utilitas postulasset idipsum facere poterat. Vel respond. sicut ad primum ; quod si exceedunt, non est ex vitio Religionis, & dignitatis ; sed ex vitio humanæ fragilitatis, & malitiæ.

22 Ad ultimum respondi quod Pontifex nunquam Dei titulam admittit, quemcum ipse cum omnibus ovibus suis constitutus tantum esse unum Creatorem Cœli, & Terræ : sed in eo sensu in quo etiam homines dicuntur dicitur : *Ego dixi dixi estis.* Et Moysi dixit Deus : *Constitui*

te Deum Pharaonis. In eo, quod admittit osculum pedum suorum, nihil est vitij. Si enim servus hoc facit laudabiliter Domino suo? Cùr hoc non possit facere ovis Pastori suo? Deinde, dum in calceis Crucem osculatur, hanc subjectionem, & reverentiam in Pastore, seu Vicario, ostendit fieri Christo, qui pro nobis in Cruce suam possuit vitam. Si aliud quid aliquando Pontifex fecit, id fecit in debitam humiliacionem, & subjectionem propter præcedentem exorbitantiam contra Ecclesiam, & Supremam Vicariam Christi potestatem in terris, quam semper oportet submisse venerari. Quod tandem Celestinus III. de pedibus suis Henrico Imperatori coronam porrexerit, nihil aliud hoc factio judicare voluit, quam ut Deo, & Ecclesiae eam Majestatem acceptam referret, quæ cum diademate ipsi conferebatur.

23 Arg. contra 3. notam, primo sic : esse Ecclesiam Catholicam non est perfectio; immo, est imperfectio : g. non est nota veræ Ecclesiae. Probatur assumptum ; quia Christus paucitatem laudavit, quando dixit : *pauci vero electi* : Unde apparet, non ex multitudine; sed ex paucitate notam Ecclesie esse sumendam. Secundo,

arg. sic : Gentilismus, & Mahometismus latius patet, quam Romana Ecclesia : ergo si haec est vera nota, uterque erit Catholicus. Confirm ; Judæi sunt etiam diffusi per totum Orbem: g. eorum synagoga erit Catholica. Præterea, locus, & tempus sunt quid extrinsecum Ecclesie: g. ridiculum est ab illis sumere materiam laudis. Denique ; Ecclesia Papista dicitur Romana, & ad Romanos tantum redacta est: g. non est catholica. Haec sunt præcipua argumenta Hæreticorum ; & præfertim Calvinistarum.

24 Respond. ad primum, primo : esse ineptum ; quia in Ecclesia non tantum sunt electi, id est, salvandi, sed etiam vocati, fide informati, qui multi sunt, uti ait Christus : *multi sunt vocati*. Secundo respondit confundit Ecclesiam triunfante cum militante, de qua tantum loquimur. Triunfans constat solum ex electis, & paucis : militans vero ex vocatis, & multis. Tertio respondit retorquendo argumentum : quia si pauciores admittendi sunt ad Ecclesiam, & paucitas in laude ponitur : sequitur, Ecclesiam constare ex pejoribus : nam sacrilegi sunt pauciores, quam fures; Patricidæ pauciores sunt, quam homicidæ ; adulteri pauciores sunt

sunt, quam fornicarij : ergo ex sacrilegis , Parricidijs , & adulteris constabit Ecclesia. Hac ratione concedimus Calvinistis , eos esse pauciores catholicis ; & eodem modo esse salvandos , quo salvantur sacrilegi , Parricide , & adulteri.

25. Ad 2. respond. 1. quod hæc nota non est unica ; nec debet sumi seorsim ab alijs ; sed committatur illas , & omnes simul veram Ecclesiam significant , seu denotant. Respond. 2. Gentilismum , & Mahometismum in suis locis latius patere : at non diffunduntur per totum orbem , uti Christianismus diffunditur , qui in omnes partes mundi extenditur , & ad omnes nationes pervenit : *In omnem terram exivit sonus eorum.* Aliud est enim servare fidem , aliud pervenire ad notitiam fidei : servare fidem opus est hominum voluntarium , cum gratia Dei ; at vero habere notitiam fidei , non est in hominum potestate , sed ad gratiam , & providentiam Dei pertinet. D. Aug. Epist. 80. ad Esichium , inquit : *Ut Ecclesia sit Catholicæ , non requiritur , ut sit in omnibus hominibus totius mundi , sed satis est , ut innotescat omnibus Provintijs , & in omnibus fructificet , ita ut aliqui in qualibet fideles sint;*

idque procesu temporis usque ad finem mundi. Ea quomodo nostra Ecclesia sit Catholicæ ; quod bene notate. Gentiles igitur non sunt in Italia , nec in Gallia , nec in Hispania , nec in reliqua Europa : & vix inter Mahometanos iuveniuntur. Idem est de Mahometanis , excepta ea regione , quam armis occuparunt post Florentinum Concil . & in America minimè inveniuntur. Circa Judæos , respond. non esse diffusos per totum Orbem , sed dispersos in supplicium , & poenam : sunt ubique , sicut ubique sunt latrones ; & sicut latronum congregatio non est Ecclesia ; quia sunt sine Rege , sine lege , sine Deo , sine Templo , & sacrificio : ita & Judæorum congregatio , nec crescunt , uti fideles , nec alias gentes convertunt ad suam sectam , uti faciunt Catholicæ.

26. Ad 3. respond. Ecclesiam non eo sensu dici Romanam , quod extra Romanam non sit ; sed propter cathedram , & sedem , quam Pontifex habet Romæ. Unde alia nota est esse Romanam ; alia catholicam esse ; hæc pertinet ad omnes gentes ; illa vero ad notam , qua dicitur Apostolica. Vel respond. Romanam Ecclesiam , perinde esse ac catholicam : nam Romana fides est ea , quæ ubi-

que est , & ubique prædicatur. Præterea , sicut Romanum Imperium cum erat omnino tempore , & gentilicum per totum orbem fundebatur , ita ut generale haberetur ; sic Romana Ecclesia jurisdictione , & Religione spirituali per totum orbem funditur , & universalis appellatur : *Providentia igitur Dei fuit , quod ibi Sedes Ecclesia poneretur* (inquit D. Leo) *ut Roma latius præsideret Religionem divinam , quam dominationem terrena.* Idem dixit D. Prosper carmine de ingratis : *Sedes Roma Petri , quæ pastoralis honoris , facta caput mundo , quidquid non possidet armis , Religionem tenet.* Ad ultimum respond ; verum esse locum , & tempus non esse per se laudes , & perfectiones : at vero illas supponunt in subiecto , cui applicantur ; ut patet exemplo Dei , qui ab immensitate , & æternitate laudatur , & arguunt infinitam in Deo perfectionem. Ita similiter , proportione servata , in extensione , & duratione Ecclesiæ.

27 Contra quartam notam , afferunt Hæretici innumera argumenta ; jam ut probent , successionem ab Apostolis interruptam esse : jam intendendo in falsis religionibus esse prædictam successionem : jam vero dicendo ad Ecclesiæ veri-

tatem , & ad notam Apostolicæ , non tam requiri personarum successionem , quam doctrinæ veritatem. Sed jam satis diximus , & requiri successionem personarum , & doctrinæ veritatem : Immò , falsum supponunt , posse dari veram doctrinam sine successione personarum ab Apostolorum tempore : siquidem doctrinam in aere pendere nequit. *Deus dedit quosdam Apostolos* (inquit Paul.) *quosdam autem Prophetas , alios Evangelistas , alios verò Pastores , & Doctores.* Sed in quem finem ? In opus ministerij , in ædificationem Corporis Christi (idest Ecclesiæ) donec occurramus omnes in unitatem fidei , & agnitionem filij Dei. (idest usque in diem Judicij Universalis ,) Per reliqua argumenta , inquiunt , quod est magna differentia inter modernam Papisticam , & antiquam Romanam Ecclesiam : quia in antiqua Romana Ecclesia non fuerunt septem Sacra menta , nec cælibatus Monachorum , & Clericorum , nec Sacramentalia , nec tot ceremoniæ , quæ sunt superstitiones ; inquiunt Lutherus , Calvinus , & Quimnius. Sed , ut pleni us , & radicitus appareat istarum objectionum falsitas , sit.

QUÆST. V.

QUÆNAM SINT RATIO-
nes aliae , quibus ostenditur
veritas Ecclesiæ Romanae , &
falsitas sectarum?

1. **N**otandum est , Eccle-
siam Romanam du-
pliciter sumi posse , primo , pró
illa Ecclesia particulari , quæ
olim Romæ fuit , & nunc est .
2. Pro collectione omnium fi-
delium , qui toto orbe dispersi
adhærebant olim Romano Pon-
tifici , & nunc etiam adhærent:
& hoc posteriori sensu habet
varia nomina : 1. Dicitur Ca-
tholica , seu Universalis , quia
toto orbe diffusa . 2. Pontifi-
cia , quia Pontifici subjecta .
3. Romana , à Nobiliori sui
parte . De Romana Ecclesia
posteriori modo sumpta loqui-
mur in præsenti : & jam ex dic-
tis constat esse veram Christi
Ecclesiam ; quia habet quatuor
notas essentiales , quæ unicé
spectant ad veram Christi Ec-
clesiam , cum sit una , Sancta ,
Catholica , & Apostolica , quod
minimè habent Hæreticorum
sectæ . Nunc igitur denuo pro-
batur hæc veritas , & ostendi-
tur illarum falsitas .

2. Primo sic : Visibilis
Christi Ecclesia non potest de-
ficere , aut errare in fide , ut

probatum est : ergo à tempore
Apostolorum ad nos usque sem-
per mansit visibilis Christi Ec-
clesia sine ulla interruptione ,
aut errore . At nulla alia visi-
bilis præter Romanam , seu
Pontificiam mansit sine ulla in-
terruptione , aut errore : Ergo
sola Romana , seu Pontifica
est visibilis Christi Ecclesia .
Minorem prob. inductione:
quia Judaica abrogata , & re-
pudiata est per mortem Christi ,
Turcica , seu Mahometanica
non semper fuit . Calviniana , &
Lutherana , quam reformatam
vocant , nova est . Cecepit enim
cum ipsa reformatione , (à qua
nomen habet) quia à Lutheris ,
& Calvino , ut ipsorum affectæ
dicunt , facta est . Sola Ponti-
ficia hucusque perseveravit .
Quid hic respondebunt adver-
sarij ? An putant aliam præter
Pontificiam , visibiliter , & sine
errore semper extitisse ? Si pu-
tant , dicant , obsecro , quæ
illa sit ? Quo nomine appelle-
tur ? Quas mundi partes oc-
cupaverit , & adhuc occupet ?
Quos Pastores , & Episcopos
habuerit , & adhuc habeat ?
Qui Reges , & Imperatores
illi adhæserint , & adhuc adhæ-
reant ? Qui hæretici ab illa
damnati ? Quæ Academiae con-
firmatae ? Quæ templæ : & Mo-
nasteria erecta ? Hic non eva-
dent , sat scio .

Non

3. Non desunt tamen, qui oppressi hoc argumento, fingant Ecclesiam quandam in cunis jacentem, ac vagientem, quæ nec fari possit, nec fidem profiteri. Ajunt enim, Ecclesiam Christi aliquot sæculis tam fuisse corruptam, ac vitiatam, ut nulli in ea fuerint veri fideles, nisi infantes Baptizati. Et sine dubio intelligunt Ecclesiam Romanam, seu Pontificiam, quam putant superioribus sæculis penitus defecisse, nisi quod soli infantes legitimè in ea baptizati, tanquam vera ipsius membra, permisserint. Miserum perfugium, & ipsis adversarijs perniciosum: nam ipsi passim docent, diuinas esse notas Ecclesiae, nempe, sinceram prædicationem Evangelij, & legitimam Sacramentorum administrationem, ex quibus vera Christi Ecclesia dignosci debet, & sine quibus consistere non possit: ut videre est in confessione Augustana art. 7. & in Apolog. ejusdem, & in Calvinio lib. 4. inst. cap. 1. §. 9. 10. & 11. At hæ doæ notæ non convenient Ecclesiae, in qua soli infantes baptizati sunt; quia soli infantes nec possunt sincerè prædicare Evangelium, nec legitimè administrare Sacra menta: Ergo Ecclesia in qua soli infantes sunt, non est vera Christi Ecclesia.

4. Alij habent aliud effigium. Ajunt; semper in Ecclesia fuisse unum, aut alterum cordatum virum, qui Papæ contradixerit, cujusmodi diversis temporibus fuerunt Joannes Wicleph, Joannes Huss, Lutherus, Calvinus. Eque in epte: nam primo, dicant mihi, quis fuerit ille unus, vel qui duo cordati viri, qui ante Wiclephum, per singula superiora sæcula Papæ contradixerint? Si nesciunt, quare temerè affirmant? Si sciunt, edicant eorum nomina, locum habitationis, & cæteras circumstantias? Non poterunt. Secundo, Ecclesia Christi non est deterioris conditionis, quam fuerit Synagoga Iudeorum, cum Ecclesia sit Domina, Synagoga ancilla, Ad Galat. 4. v. 22. At Synagoga nunquam fuit tam deserta, ut duo tantum viri in ea reperirentur: immo tempore Eliæ, cum putabatur desertissima, septem millia virorum in ea reperta sunt, Rom. 9. v. 4. Cur ergo adversarij fingunt, Ecclesiam Christi fuisse aliquando tam deserta, ut duo tantum viri in ea reperti fuerint? Quod manifeste repugnat Scripturæ, quæ apud Isaiam testatur, Ecclesiam Christi multo fecundiorrem, & ampliorem fore, quam fuerit Synagoga, Isai. 54. v. 1.

Ter-

Tertio , Donatistæ plus trübuebant Ecclesię , quām hi faciunt. Nam illi tametsi dicerent Ecclesiam toto orbe perijisse , & in sola Africa remansisse ; non tamen ausi sunt asserere quod hi asserunt , remansisse aliquando in duobus tantum viris , qui Papæ contradixerint. Si ergo illi , qui melius sentiebant de Ecclesia , quam hi nostri adversarij sentiunt , nihilominus ab Augustino , & alijs Patribus damnati sunt , tanquam hæretici : quid de his nostris fieri oportere existimandum est?

5. Probatur 2. Sic ex dictis ; quia unā tantum est Christi Ecclesia : Si ergo Romana , & Pontificia , in qua nos sumus , est vera Christi Ecclesia ; certe Reformata , in qua adversarij sunt , vera Christi Ecclesia esse non potest. Alioquin , cum hæc ab illa disideat , essent dñi Christi Ecclesiæ iuter se diversæ , ac discrepantes , quod est absurdum. Insuper , vera Ecclesia est Sponsa Christi : at Reformata Ecclesia non est Sponsa Christi : Ergo non est vera Ecclesia. Major superius probata est. Minorem prob. ex principijs adversariorum , quæ sunt hæc tria. 1. Romanam Ecclesiam primis quingentis annis , aut circiter fuisse veram , & legitimam Christi Sponsam. 2. Tandem post illud tem-

pus cœpisse paulatim prosti-
tui , & corrumpi ; ac eo tan-
dem devenisse , ut tempore Lu-
theri publica meretrix , & adul-
tera deprehensa sit , ideoque à
Christo repudiata. 3. In ejus
locum successisse Ecclesiam Re-
formatam , in qua Lutherani ,
& Calvinistæ sunt. At hinc se-
quuntur multa absurdæ. Pri-
mo , omnia falsa esse , quæ de
perpetua , & indossolibili con-
junctione Christi cum Ecclesia
a Prophetis , & Apostolis præ-
dicta sunt. 2. Nullum ex hac
parte discrimen esse inter Ec-
clesiam Christi , & Synagogam
Iudeorum. Utramque enim
propter adulterium fuisse repu-
diatam. 3. Christum aliquot
sæculis non habuisse Sponsam ,
sed adulteram. 4. Ex hac adul-
tera natos esse Lutherum , &
Calvinum : itaque spurious esse ,
non legitimos Ecclesiæ filios.
5. Ecclesiam Reformatam esse
illorum novercam , non ma-
trem. Videant ipsi , an hæc ve-
ra sint.

6. Nos certè aliter sen-
timus de nostra Matre. Non
duas , sed unam agnoscimus:
non adulteram , sed castam: non
repudiatam , sed sponso suo
unice charam , & perpetuo illi
adhærentem. Nobiscum sen-
tiunt , quotquot veri , & ge-
nuini Ecclesiæ filij sunt. Ac in
primis D. Aug. serm. 12. de
tem-

tempore (qui est serm. 8. de Natali Domini) ubi de Christo, & ejus Sponsa sic habet: *Hic est speciosus forma p̄filiis hominum sanctae filia Mariae, sanctæ sponsus Ecclesie, quam suæ genitrici similem reddidit.* Nam & nobis eam Matrem fecit, & Virginem sibi custodivit. Ad hanc quippè dicit Apostolus: *Aptavi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* De qua rursus dicit: *Matrem nostram non ancillam, sed liberam, cuius multi filii, sicut Mariae, perpetua virginitas, & incorrupta fœcunditas.* Et serm. 50. de Verbis Domini: *Christus Ecclesie concessit in spiritu, quod Mater ejus habet in corpore, ut & Mater, & Virgo sit.* Et rursum serm. 119. de tempore: *Virgo est Ecclesia. Dicitur es mihi forte: Si Virgo est, quomodo parit filios?* Respondio: *Et Virgo est, & parit. Mariam imitatur, quæ Dominum peperit.* Nunquid non Virgo Sancta Maria, & peperit, & Virgo permanxit? Sic & Ecclesia, & parit, & Virgo est.

7 Ex quibus Augustini verbis tria colligo. Primo, Ecclesiam esse nostram Matrem. 2. Esse simul Virginem, castam, incorruptam, non ad brevè tempus, sed perpetuo. 3. In utroque similem esse Mariæ Dei

Genitrici, quæ & ipsa Mater, & nihilominus semper Virgo, & incorrupta fuit. Hinc sumo duplex argumentum contra adversarios. Unum, sicut olim habitu sunt hæretici, qui dicebant Beatam Mariam non semper mansisse Virginem; ita nunc habendi hæretici, qui dicunt Ecclesiam non semper mansisse Virginem. Est enim eadem ratio utriusque, secundum Augustinum. Alterum, ideo Ecclesia dicitur Mater; quia nos gignit in Spiritu. Ideo Virgo; quia servat incorruptam fidem. At semper manet Virgo, secundum Augustinum. Ergo semper servat incorruptam fidem. Faceant igitur, qui illam meretricem, adulteram, idolatricam contumeliosé appellant, &c.

8 Insuper; in vera Christi Ecclesia viget donum miraculorum: At in Ecclesia Reformata, in qua Lutherani, & Calvinistæ sunt, non viget donum miraculorum: Ergo non est vera Christi Ecclesia. Major patet ex Apostolo 1. Corint. 12. vi confert Ecclesiam Christi cum humano corpore. Nam sicut in humano corpore sunt multa membra, quæ habent diversa officia, & actiones: ita in Ecclesia sunt multi fideles, qui habent diversa dona à Deo concessa. Nam alius habet do-

num miraculorum; alias interpretationis Scripturæ; alias aliud. Rursum, sicut membra abscissa ab humano corpore non possunt exercere ullam functionem hamani corporis: (nam oculus erutus non potest videre, nec auris abscissa potest audire: & sic deinceps) ita homines abscissi ab Ecclesia non possunt habere donum miraculorum, quod soli Ecclesiæ datum est. Minor probatur; quia nullum unquam miraculum à Lutheranis, aut Calvinistis patratum est: Ut verissimè de illis scriperit Erasmus in Diatribe de lib. arb. *Nullum eorum adhuc extitisse, qui vel equum claudum sanare potuerit.* Et tamen si verum esset, quod ipsi clamant, nostram Ecclesiam haec tenus errasse, ac se à Deo specialiter vocatos esse ad eam reformatam; maximè fuisse necessarium, hanc ipsorum vocationem vel uno saltu miraculo confirmari. Quod nonquam factum est.

9. Probatur 3. sic: Vera Christi Ecclesia non potest errare in fide, *cum sit columna, & firmamentum veritatis:* Ecclesia Reformata potest errare in fide: Ergo non est vera Christi Ecclesia. Major ex superiori dicta constat. Minorem coguntur adversarij concedere. Ajunt

Tom. III.

enim, ut dictum est; totam Christi Ecclesiam errare posse: Et Pontificiam, quæ olim fuit vera Christi Ecclesia, de facto errasse. Ex quo sequitur, totam quoque ipsorum Ecclesiam errare posse, idèoque neminem apud eos securum, aut tutum esse de sua fide. Vel enim sequuntur Ecclesiam suam; vel ab ea dissentient? Si illam sequuntur, nihil certi habent, si ipsa errare potest. Si ab ea dissentient, magis perplexi sunt; quia si tota ipsorum Ecclesia errare potest, multo magis singuli ipsorum possunt. Quod magis confirmo ex duobus principijs, quod ipsi statuunt. Unum est, Pontificiam Ecclesiam non subito, sed sensim defecisse à fide, ac tandem omni fide abjecta, adulteram factam esse. Alterum, defectiōnem illam initio fuisse latentem, & occultam, adeo ut nec locus, nec tempus, nec alia circumstantiæ illius certo designari potuerint. Tandem tamen post aliquot sæcula à Luthero, & Calvinio publicè fuisse notatam, & deprehensam. Ex utroque sic concludo: Quod contigit Ecclesiæ Pontificiæ, potest etiam contingere Ecclesiæ Reformatæ: At Pontificia, ut adversarij dicunt, sensim, latenter, & occulte defecit à fide, nobis non advertentibus: g. etiam Reformata potest sensim, latenter, &

Cc.

oc.

occulte deficere , ipsis non advertentibus. Quid si ergo jam defeccerit , & ipsi non advertent? Immò, quomodo possunt advertere , si defectio latens , & occulta est. Manent ergo incerti de sua Fide , & Ecclesia.

10 Hic plane constricti sunt , nec video , quid possint respondere. Nam , quod aliqui dicunt , Ecclesiam non posse errare , vel deficere à fide , quādū sequitur Verbum Dei , frustra est. Primo , quia argumentum quod jam possui , repeatam hoc modo: Quidquid contingit Ecclesiæ Pontificiæ , potest etiam contingere Ecclesiæ Reformatæ : at Pontificia , ut ipsi volunt , sensim , latenter , & occulte deseruit Verbum Dei , nobis non advertentibus : erg. etiam Reformata potest sensim , latenter , & occulte deserere Verbum Dei ipsis non advertentibus. Quid si ergo jam deseruerit , & ipsi non advertent? Nunquam elabentur ex hoc labyrintho , semper manebunt dubij , & incerti de sua fide , nisi nobiscum afferant , tam Ecclesiam errare , aut deficere non posse.

11 Insuper , unde constabit adversarijs , an nostra , vel ipsorum Ecclesia sequatur Verbum Dei , nec nè? Nos nostram defendimus , illi suam. Qj:is dirimet hanc litem. Designant

ipsi infallibilem Judicem , qui sententiam ferat. Non possunt. Vel enim designabunt ipsum Verbum Dei , vel Ecclesiam , vel singulos , qui sunt in Ecclesia , vel aliquos ex illis? Ac primo , si designent Verbum Dei , nos vincimus. Nam verbum Dei expressè afferit , Ecclesiam esse columnam veritatis , quam nullæ inferiorum vires eversuræ sint. Idem nos afferimus. Si ergo , hoc Judice , causa definita est , victoria nostra est. Si autem designent Ecclesiam , contra se faciunt. Vel enim sententia Ecclesiæ infallibilis est , vel falli potest? Si infallibilis est , errant ipsi , qui dicunt , errare posse. Si falli potest , iterunt errant; quia cum debeant assignare Judicem infallibilem , designant Ecclesiam , quam ajunt falli , & errare posse. Denique , si designent , vel singulos , vel aliquos eorum , qui in Ecclesia sunt , magis desipiant. Si enim tota Ecclesia errare potest , quanto magis singuli , qui in Ecclesia sunt , errare possunt?

12 Forte dicturi sunt , duplē esse Ecclesiam ; unam visibilem , in qua boni , & mali permixti ; alteram invisibilem , in qua soli praedestinati sunt. Totam visibilem errare posse; non item invisibilem. Sed hoc etiam frustra : Immò qui hoc di-

dicunt, secum ipsi pugnant. Nam omnes prædestinati, quos ajunt esse in Ecclesia invisibili, sunt etiam in Ecclesia visibili. Ergo si tota visibilis errare potest, omnes etiam prædestinati errare possunt; aut, si hoc non possunt, nec tota Ecclesia visibilis potest. Quod autem prædestinati omnes sint in Ecclesia visibili, nec adversarij quidem negare possunt. Et ratio manifesta est; quia nullus salvatur extra Ecclesiam visibilem, ut per se patet: at omnes prædestinati salvantur: g. nullus prædestinatus est extra Ecclesiam visibilem.

13 Ex dictis colligo duplex dilemma in adversarios. Unum est 3 vel tota Ecclesia visibilis erravit in fide ante ortum Lutheri, vel non erravit? Si tota erravit; omnes, & singulos Christianos errasse necesse est, etiam prædestinatos: Nulla igitur tunc erat fides in terris: Unde igitur Lutherus eam accepit? Si non erravit; cur adversarij fingunt errasse? Cur eam, ut errantem, defertunt? Alterum est: Vel tota Ecclesia reformata, in qua Lutherani, & Calvinistæ sunt, potest errare in fide, ipsis non advertentibus, vel non potest? Si non potest, quomodo Pontificia potuit? Si potest, quid si jam erret, & ipsi non adver-

tant? Repeto, quod supra di- xi, semper dubios, ac incertos fore quandiu sentiunt Ecclesiam errare posse. Deponant nunc errorem, & id sentiant de Ma- tre Ecclesia, quod majores nostri senserunt. Sic futurum est, ut amplius non errent.

14 Ex ijs, quæ hactenus dicta sunt magnam consolatio- nem, & securitatem percipiunt Catholici in negotio fidei, ac Religionis. Adversarij ē con- trario confusionem, & diffi- dentiam. Nam Catholici cum Augustino, ut supra dixi, se- quuntur hanc certam, ac fixam regulam: *Tota Ecclesia visibi- lis non potest errare in fide.* Ex qua tria inferunt. 1. Romanam Ecclesiam, quam adversarij con- cedunt primis trecentis, aut quadringentis annis fuisse ve- ram Christi Ecclesiam, hac- tenus non errasse in fide. 2. Tu- tos, ac securos se esse in fide, quandiu publicè profitentur id, quod Romana Ecclesia toto Or- be diffusa publicè profitetur. 3. Se in defensione Romanæ Ec- clesiæ similes esse probis filijs, qui Matri suæ honorem defe- runt, & subsidium præstant. Adversarij tenent contrariam hanc regulam: *Tota E clesia potest errare in fide, & de facto erravit.* Ex qua similiter tria infero. 1. Totam ipsorum Ecclesiam errare posse. 2. Ne-

minem apud eos securum esse de fide. 3. Omnem eorum conatum, quo contendunt Romanam Ecclesiam errasse, & adulteram factam esse, eo spectare, ut fateantur se esse spurios, & adulterinos. Nam illi spuri, & adulterini sunt, qui nascuntur ex Matre adultera: At Lutherus, Calvinus, & similes Ministri nati sunt ex Ecclesia Romana, seu Pontificia: g. si illa Ecclesia tunc fuit adultera, necesse est ipsos ex adultera natos esse. Quis ergo illorum Parens est? Hoc viderint eorum nepotes, qui nunc sunt Protestantes, &c.

15 Aliæ quamplurimæ rationes sunt ad probandam veritatem nostræ Romanæ Ecclesiæ, & ad ostendendam falsitatem Ecclesiæ malignantium, quam vocant Reformatam, ut v. g. quod Lutherus, & Calvinus se ipsos sine legitima vocatione, aut missione intruxerunt ad talēm Reformationem. Sicut autem in Regno civili nemo potest sibi arrogare pro libito potestatem gubernandi populum, abrogandi veteres leges, & consuetudines, ac totum politiæ statum mutandi, & reformandi, alias habbitur ut tyrannus; sic etiam non potest quis, absque legitimo titulo, usurpare potestatem docendi, & diligendi populum in fide,

ac Religionem, nisi fur, & latro vocetur; Joann. 20. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Cū ergo Lutherus, & Calvinus sine ullo jure arrogarunt sibi potestatem docendi populum in fide, totumque Ecclesiæ statum immutandi, & reformati? Vel ut melius loquamur deformati, destruendi, & prostituendi: g. Ecclesia ab ipsis reformatæ, est malignantum Ecclesia, & non vera, nec legitima, defectu legitimæ vocationis, seu missio-

nis.

16 Dicant igitur nobis; qui, & quales fuerunt Prælati veræ Ecclesiæ, qui illos misserunt, elegerunt, & potestatem derunt ad reformatam Ecclesiam, Sacram Scripturam, Doctrinam Sanctorum Patrum, Sacra menta, Catholicorum Temp la, Festa, & jejonia? Quilibet Sacerdos nostræ Romanæ Religionis (eadem est ratio de Concionatoribus) potest nominare Episcopum, à quo est consecratus, & ordinatus; item Episcopus, à quo Summo Pontifice potestatum, & iurisdictionem accepit; & quilibet Summus Pontifex à quibus Cardinalibus, seu Electoribus fuerit designatus, ascendendo usque ad D. Petrum, & ipsum Christum: ipsi vero miseri hæresiarchæ,

chæ, Lütherus, & Calvinus nequeunt assignare à quo vero Episcopo, veroque Summo Pentifice fuerunt missi, vocati, & consecrati ad reformandam Ecclesiam, decernentes, ipsius regimen, & consistorium, ad Reges, & ad Principes sacerdtales pertinere. Ad reformatam Sacram Scripturam, illam spoliantes Sacris Traditionibus, quæ illi germanæ sacerdtes sunt; illamque privantes aliquibus partibus, seu membris; atque ipsam tot versionibus transmutantes, ut jam non sit sibi ipsi similis. Reformati insuper Symbolum fidei, negando, Christum ad limbum descendisse; quia per, descendit ad inferos, intelligunt. Corpus ipsius in sepolcro fuisse depositum. Reformati insuper Doctrinam Sanctorum Patrum, ipsam sapè negando, & contra ipsam semper docendo. Reformati Sacraenta, contendentes solum esse duo, scilicet Baptismum, & Eucharistiam. Reformati Ministros Ecclesiæ, tollendo ordinem, & Hierarchiam Ecclesiasticam, liberando eos à cœlibatu, & novas leges Ecclesiasticas præscribendo illis. Reformati Tempa, & Monasteria, aliqua destruendo, alia prophanando; ab illis imagines eliminando, & incestas nuptias Mona-

chorum, & Monialium faciendo. Reformati Catholicorum festa, ipsa reducendo ad dictam Dominicam, ut impletetur, quod dictum est per Prophetam Ps. 73. v. 8. „Quiescere faciamus omnes dies festos, Dei a terra. Incenderunt igni Sanctuarium tuum: in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Reformati denique, jejunia, hoc fundamento moti, quod debeant esse libera, non coacta; unde susciterunt jejunium Quadragesimæ, quatuor temporum, Vigilarum, & abstinentiam à carnisbus.

17 Nec valet quod dicunt, se esse missos a solo Deo; quia qui ita missi sunt ad instruendum populum in fide, & moribus, nullum errorem, aut falsitatem credendam proposuerunt populo, ut patet de Moyse, Christo, Prophetis, & Apostolis. Deinde, ut scribit Tyrinus in Script. tom. 2. controv. 8. num. 3. „Sed quandocumque Deus, ait, ita extra ordinem aliquos eligit, aut mittit, semper id Ecclesiæ manifestat certis signis, ac miraculis, quibus ipsorum missio populo innotescat, & comprobetur. Sed de hoc, & alijs füssius infra, ex quibus facile confici poterunt aliae rationes pro veritate nostræ Romanæ Ecclesiæ.

DISPUT. II.

DE MEMBRIS

Ecclesiae.

Ecclæsia ab Apostolo sæpius dicitur corpus; nec corpus, nisi membris, externisque partibus, inter se sub eodem capite unitis, integrari, & coagmentari conspicimus, ut in humano est certum. Idemque, & de mystico accommoda proportione est dicendum. Ideo hic examen de membris Ecclesiae instituitur, ut de veris, & legitimis ad tanti corporis compagem concurrentibus, ejusdemque cum capite communicantibus, contra Aca-tholicos plenissime constet. Est autem, inter cæteras, hæc differentia inter corpus naturale hominis, & corpus mysticum Ecclesiae; quod membra corporis naturalis sunt omnia simul; membra vero corporis mystici non sunt omnia simul, nec quantum ad esse naturæ, nec quantum ad esse fidei, spei, & Charitatis. Ita, ex Torrecremata Guarnieri de Eccles. Milit. lib. I. cap. 2. §. 3. num. 32.

Hoc etiam ponderandum, quod cum Ecclesia dicitur una unitate fidei, spei, & charitatis, non est intelligendum, quod unus numero habitus fidei, spei, &c. sit in toto corpore Ecclesiae, cum sint tot numero habitus

distincti fidei, spei, & charita-
tis, quot numero sunt fideles,
qui corpus Ecclesiae constituunt:
ideo cum dicitur *una* fides Ec-
clesiae, *una* spes, *una* charitas
non accipitur unitas ex parte
unius numero subjecti earum,
sed ex parte objectorum, qua-
tenus omnes fideles, qui nu-
mero, & merito sunt in corpo-
re Ecclesiae, idem credunt, idem
sperant, & idem amant: prop-
terea uniuntur in uno credito,
credendo, quidquid Deus re-
velavit, & Ecclesia credendum
proponit: & in uno sperato,
& amato, quia id ipsum spe-
rant, & amant, quot fides spe-
randum, & amandum ostendit.
Præterea, nostra vera Ma-
ter Ecclesia etiam apud Scrip-
turam exhibetur, veluti terribi-
lis Castrorum acies ordinata,
tribus præsertim militum ge-
neribus compaginata, nempe,
Clericis, Laicis, & Monachis.
Inter Clericos Episcopi, tan-
quam Duces, & milites tri-
buni, non quidem toti Ecclesiae,
sed agmini quique suo impe-
rant, ut egregie tradit Bellar-
minus; quia in partem soli-
citudinis vocati sunt, non ve-
ro in potestatis plenitudinem.
Sub ijs Presbyterij, qui & Par-
rochi vocantur, tanquam Cen-
turiones, singulis cohortibus
præsunt. Itisque Diaconi, Sub-
diaconi, & Clerici inferiores,
quasi

quasi vexilla gerentes, aut tympanis, & tubis excitantes ad prælium, vel huc atque illuc celeriter mandata Prælatorum deferentes, inserviant, & subministrant. Laici, seu populus fidelis, exercitum in toto orbe Christiano diffusum, & sub Christi stemmate in acie institutum componunt. Regularium vero, & Monachorum alij in montibus, quasi vigiles quidam perpetuo excubant, & clamore ferè assiduo exterrent inimicos: alij, tanquam devoti Milites, ante aciem progrediuntur, & ostilia castra audacter infestant; alij vero, quos Anacoretas vocamus, divina virtute prædicti, & armis cœlestibus instructi in aperto campo, locisque desertis, separati à plebe, ad singulare certamen Christiani nominis provocant hostem. Iti igitur sunt tres ordines militares exercitus Ecclesiastici, seu tria membra Ecclesiæ militantis.

Jam supra satis insinuavimus, quod neque infideles, Pagani, Ju'xi, neque hæretici, immò & juxta aliquos, neque excommunicati, neque Schismatici pertinent ad Ecclesiam Dei, ut docet Catecismus Romanus in expositione Symboli; & Matth. 18. *Si Ecclesiam non audiuerit, sit tibi tanquam Etbnius, & publicanus.* Deinde, in-

die Parasceves Ecclesia orat pro illis, ut Deus dignetur illos reducere ad Ecclesiam. Ratio est; quia, ut aliquis sit proprié in Ecclesia, & membrum illius, requiritur, ut communicet cum illis membris, & cum capite in vero culto Divino, quod non habent Excommunicati. Unde Aug. lib. *De unitate Ecclesiæ*, cap. ult. inquit: *excommunicari, est visibiliter præscindi ab Ecclesia.* Nec obstat, quod si excommunicatus moriatur verè contritus ante absolutionem, salvetur, & extra veram Ecclesiam nemo potest salvari, ut supra diximus; non obstat, inquam, quia pro tunc jam esset intra Ecclesiam affectu, desiderio, & voto, unde salvari potest; non esset tamen in Ecclesia externa communicatione, quod requiritur, ut quis sit membrum visibile visibilis Ecclesiæ. His non obstantibus, aliqui tenent, excommunicatos, retinentes fidem, esse vera membra Ecclesiæ.

Quomodo autem possit Ecclesia cognoscere de hæreticis, & schismaticis, cum non sint membra illius? jam supra diximus, quod propter Characterem Baptismalem pertinent ad Ecclesiam, non ut membra, & filios, sed ut servos, & subditos; propter quod de jure tenen-

nentur legibus Ecclesiasticis, licet facti rebelles sint; eosque potest Ecclesia punire; quia ex rebellionis scelere comodum reportare non debent. His igitur prælibatis, sit

QUÆST. I.

*QUID CLERICI, ET LAICI
importent nomina?*

Iuanvis Lutherani, & Calviniste facientur, ministerium verbi Dei, & Sacramentorum administrationem non pertinere indifferenter ad omnes, sed aliquibus tantum competere, quos ad hoc designant; & qui propterea ab illis vocantur ministri Ecclesie, aut Pastores, vel Superintendentes; sed nulli sunt tales præesse Populis cum potestate, nec legibus continetia abstringi, neque liberi esse a jurisdictione temporali Principium: bené autem laicorum more posse tales jungi connubio, procreare liberos, saeculi exercere negotia, & ad judicia saecularia protrahi, invitatis etiam Summis Pontificibus: uno verbo, negant pertinaciter, tales obtinere aliquam excellentiem, ex qua inter Christianos aliqui Clerici, & alij laici nominentur. Contra quos, sit.

2. Conclusio nostra. No-

mina Clerici, & Laici important notabilem distinctionem. Est omnium catholicorum, & de fide. Probatur 1. ex ipsis terminis Clerici, & Laici, nam Cleros, à quo denominantur Clerici, sortem, sive hereditatem significat; nomen autem laici interpretatur Populus, seu populum importat: unde laici, quasi viri populares, & plebei dicuntur, quibus nulla pars functionis Ecclesiastice est demandata; Clerici autem sunt quasi sors Domini, seu ipsi potius habent Deum pro sorte, & hereditate sua. Quod autem super statum laicalem clericalis importet differentiam notabilem, in autoritate, & excellentia spirituali fundatam, quæ sufficienter distinguat clericos à laicis, hoc est ita commune Conciliorum decreta, & SS. Patrum voluntibus, ut referente Bellarmino, non tam querendum sit cum hereticis ubi Clericorum, & laicorum nomen, & distinctione habeatur; quam ubi non habetur.

3. Pro Concilijs unicum adducatur, Nicenum I. cuius tantafuit Authoritas apud veteres, ut cum ipso Evangelio conferatur. Istud, inquam, Concilium Canonib. 1. 2. 3. 8. 17. & 19. nihil fere tractat aliud, quam de Ordinatione Clericorum.

rum. Hoc etiam clare habetur
can. 15. Canonum Apostolo-
lorum: *Si quis Presbyter, aut
Diaconus, aut quilibet de nu-
mero Clericorum, relinquens
propriam parochiam perget ad
aliam; hunc ulterius ministra-
re non patimur, præsertim si
vocatus ab Episcopo redire con-
tempserit: verumtamen tan-
quam laicus ibi communicet.*
Ex quo patet distinctio apposi-
ta inter Clericos & laicos: un-
de ineptissimè dicunt Lutheri-
rus, & Calvinus; Pontificios
ambitioso, & indocto artificio
fabricasse Clericorum, & Laicorum
vocabula. Quod habe-
tur apud Lutherum lib. de ab-
roganda Missa privata, ubi ha-
bet: *Hoc dixisse contumeliam
Christianum populum esse
simplicem; in quo prorsus nulla
se est, nulla differentia personarum,
nullus Clericus, nullus
Laicus, nullus unctus, nullus
Rasus, nullus Monachus esse
debeat.* Hoc idem recenset Cal-
vinus, lib. 4. institut. cap. 4.
ss. 9. *Hæc appellatio, aut er-
rore, aut certe ex prava affec-
tione, nata est; cum tota Ec-
clesia Clerus, id est hæreditas
Domini à Petro dicatur.*

4 Quantum ad Sacram
Scripturam, ex ipsius verbis
potest erui Lutheri, & Calvi-
ni condemnatio. Sicut enim
justissimè olim damnati fuerant
Tom. III.

Dathan, & Abyron, quod in-
solenter dicerent Num. 16.
*Sufficiat vobis, quod omnis
multitudo sanctorum est, & in
ipsis est Dominus, cur elevami-
ni super populum Domini? pa-
ri sententia feriuntur nostri hæ-
retici, ex eo quod dicant ad
Clerum: sufficiat vobis, quod
omnis Ecclesia Sancta est, &
hæreditas Domini, absque eo
quod vos præsumatis extollere
super populos. Quod si instent,
dicentes, nomen Cleri nus-
quam reperiri in Sacra Scrip-
tura; tales remittendi sunt ad
caput 12. Jeremiæ ubi Spiritus
Sanctus ait, *Cleri eorum non
proderunt eis.* Nec litigare de-
bent adversarij de tali verbo-
rum explicatione, quotquot
enim fuerunt Hæbraicæ linguae
interpretes eo modò intelligunt
vocabulum Cleri, quo nos ipsi
usurpamus; ut videre est apud
Hieronymum, Epiphan. &
Origenem, hæc verba Prophe-
ta explicantes. Iste enim hom.
7. in Jerem. dicit: *Hæc, in-
quit, verba ante me alij expo-
suerunt, & quia non improbo
interpretationem eorum, con-
sentiens eamdem profero. Nos
qui putamus aliquid esse, id est,
qui in Clericatus ordine vobis
præsidemus, in tantum, ut qui-
dam de minori gradu ad hunc
locum cupiant pervenire, nosse
dabitis; non statim in eo esse**

salvandos, quia Clerici sumus: multi enim, & Presbyteri perreunt, & Laici salvantur. Quod Patres veteres fuerint in nostra mente, nequidem audent negare hæretici; cùm Calvinus ipse in cap. 5. 1. Petri dicat: *Utinam nunquam Patribus venisset in mentem, ut hac voce uterentur.*

Objicit Lutherus, Christianum Populum esse simplicem; & sic in eo non esse distinctionem Clerici à Laico juxta Apost. ad Galat. 3. *Non est Iudeus, neque Gracus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque foemina: omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* Respondit, distinctionem Clericorum à Laicis non magis officere simplicitati Ecclesiae, quam distinctionem membrorum unitati corporis; eam tamen admittit Apollonus 1. Cor. 12. *Multa sunt membra, unum autem corpus.* Dum ergo dicit: *Non est Iudeus, nec Gracus, &c. sed omnes estis unum in Christo Jesu;* paratione dicere potuisset, non est Laicus, neque Clericus: sed per ista verba non vult tollere distinctionem statuum, nec impedire, quin in Ecclesia alij sint Laici, alij Clerici: & Laicorum alij Principes, & alij privati: sicut & Clericorum, alij Episcopi, alij Sacerdotes,

alij Monachi: bñè autem docere intendit, quòd diversitas nationum, sexuum, & statuum, non faciat Filios Dei; sed Fides, quæ per dilectionem operatur: ibi enim habet, *omnes eos Filii Dei estis, quæ per dilectionem operatur.* :: *non est Iudeus, neque Gracus, &c.* Quod si D. Petrus c. 5. 1. epist. dicat ad Episcopos: *Pascite gregem, providentes non coacte, sed spontaneé:* :: neque ut dominantes in Cleris: per hoc non intendit condemnare Clericos de pravo affectu honoris, quem habeant super Populum; sed vult tantum, ut Episcopi in pascendis Laicis caveant turpe lucrum, & in Clericis regendis dominandi cupiditatem fugiant.

QUÆST. II.

QUID, ET QUOTUPLEX
sit electio, vocatio, & Mis-
sio Ministrorum Eccle-
siæ?

Opulus Dei tam in veteri, quam in novo Testamento, duobus modis regi, ac gubernari solet. Primo in rebus politicis, quæ spectant ad externam Reipublicæ justitiam, & tranquillitatem. Hoc sit per Reges, Principes, & alios Magistratus Se-

culares. Secundo, in rebus fidei, ac religionis, quæ salutem animæ concernunt. Hoc sit per Ministros Ecclesiæ, de quibus nunc agimus. In utroque gubernandi genere necessaria est legitima vocatio. Nam neque Reges, & Principes Secularares possunt usurpare regimen temporale: neque Ministri Ecclesiæ Ecclesiasticum, nisi legitimo titulo ad hoc officium deputati, & admissi sint. Et si aliter faciant, priores quidem appellantur Tyranni: posteriores autem, fures, & latrones, juxta illud Christi Jonn. 10. 1. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.*

2 Hoc loco, relata Regum, ac Principum Secularium vocatione, solum agemus cum P. Beccan. in suo Minuali, lib. 1. cap. 12. per sequentes paragrafos de vocatione Ministrorum Ecclesiæ, de qua Scriptura sic loquitur, Rom. 10. 11. *Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?* Et Hebr. 5. 4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron:* Idest, nemo debet se ingerere, & intrudere in officium sacerdotale, sed debet assumi, & eligi a Deo, sicut Aaron, & ejus posteri electi sunt. Et Jerem.

23. 21. *Non mittabant Prophetas* (inquit Deus de falsis Prophetis) & ipsi currebant. *Non loquebar ad eos, & ipsi prophetizabant.*

3 Duplex solet distingui vocatio. Altera ordinaria, quæ fit a Deo, seu Dei institutione mediante consensu, & coope ratione eorum hominum quorum interest. Quo pacto Par rochus vocatur ex consensu Episcopi, Episcopus ex consensu Pontificis, Pontifex ex consensu Cardinalium. Altera extraordinaria, quæ immedia te fit a solo Deo. Quo pacto vocati sunt Moyces, Prophetæ, Apostoli. Igitur Ministri Ecclesiæ, qui in veteri Testamento ordinariè vocabantur, erant triplices. 1. Pontifex, seu Summus Sacerdos. 2. Alij Sacerdotes inferiores. 3. Levitæ. Omnes de Tribu Levi, qui speciatim deputati erant di vino cultui, ut habetur Num. 3. 12. & Num. 8. 13. In illorum vocatione multa spectari possunt. Primo, electio, seu designatio certæ persona. Secundo, purificatio præcedens consecrationem. Tertio, ipsa consecratio. Quarto, applicatio ad usum, seu exercitium ministerij. Quinto, potestas, & officium. Quod ad longum potest videri apud Beccan. cit. Nos autem solum de Ministris

novi testamenti, ob brevitas causam, tractamus per sequentes paragraphos.

§. I.

D E ORDINARIA VOCATIONE MINISTRORUM NOVI TESTAMENTI.

4 **M**inistri novi Testamenti generali nomine vocantur Clerici. Eorum varia sunt genera. Primo Episcopi, inter quos eminet Pontifex. Secundo Presbyteri, seu Sacerdotes non Episcopi. Tertio Diaconi, & Subdiaconi. Quartu Reliqui inferiores, ut Acolyti, Exorcistæ, Lectores, Ostiarij. De quibus omnibus videri potest Concilium Carthaginense IV. cap. 2. & seq. Gratianus in Decret. dist. 23. & alij passim.

5 Nos hic potissimum agimus de Sacerdotibus, & Episcopis, quorum nomine etiam Parrochi, seu Pastores intelliguntur. Igitur quoad ordinariam eorum vocationem attinet, eadem fere in ea spectari debent, quæ in vocatione Ministrorum legis Mosaicæ. 1. Electio, seu designatio certæ personæ. 2. Purificatio. 3. Consecratio, seu ordinatio. 4. Applicatio ad usum ministerij, quam nos in nova lege voca-

mus Missionem. 5. Potestas, & officium. Primo enim debet aliquis eligi, vel in Parrochum, vel in Episcopum, vel in Pontificem. Deinde, qui eligitur debet se disponere per puritatem animi, ut sit dignus tali statu, ac ministerio. Tertio debet consecrari, seu ordinari juxta ritum Ecclesiæ. Quartò, debet mitti ad executionem sui officij. Quinto, debet scire, quæ, & quanta sit potestas sui officij, seu ministerij. Et sic perficitur ipsius vocatio.

6 Electio non fit per naturalem propagationem, sicut fiebat in lege Mosaica, sed per suffragium, & consensum Cleri, cuius est idoneas personas eligere ad ministerium Ecclesiasticum. Quo pacto Cardinales eligunt Pontificem: Capitulares Episcopum: Episcopus, vel Vicarius illius, Sacerdotes, & Parrochos pro sua diœcesi. Id jam multis seculis servatum est, quamquam initio nascentis Ecclesiæ paulo aliter. Tunc enim Christus, qui erat author Cleri, elegit Petrum in Pontificem; reliquos Apostolos elegerunt Matthiam; Paulus Silam, & Thymothæum: Barnabas Joannem, cognomento Marcum: & sic deinceps. At progressu temporis aliquando populus elegit sibi

Iibi Patrochum , aut Episco-pum , ex conniventia , & con-cessione Cleri . Quod tamen pos-tea , propter abusum , in Con-cilio Laodiceno Can. 13. & in Septima Synodo Generali Can. 3. fuit revocatum , ac statutum , ut Ministri Ecclesiæ à Clero eli-gerentur , sicut antea factum est . Vide Bellarminum lib. I. de Clericis , cap. 7.

7 Purificatio , si præcisè spestemus Jus Divinum novi Testamenti , non necessariò est externa , & ceremonialis , sicut erat in lege Mosaica ; sed inter-na , & spiritualis , quæ potissi-mum consistit in puritate ani-mi , in probitate vitæ , in doc-trina fidei , & in alijs virtuti-bus , quæ in Ministris Ecclesiæ requiruntur ; de quibus Apost. ad Tit. I. 7: Oportet Episco-pum sine crimine esse ; sicut Dei dispen-satorem : non superbum , non ir-undum , non viole-n-tum , non percu-sorem , non tur-pis lucr. cupidum : sed hospi-talem , benignum , sobrium , ius-tum , sanctum , continentem , amplecten-tem eum , qui secun-dum doctrinam est , fidem ser-monem , ut potens sit exhor-tari in doctrina sana , & eos , qui contradicunt , arguere . Di-xi si præcisè spestemus Jus Di-vinum novi Testamenti . Nam si spestemus Jus Ecclesiasticum requiruntur etiam externæ quæ-

dam purificationes propter ho-nestatem , & decentiam illius status : cuiusmodi sunt , 1. Ton-sura , seu ratio pilorum in ca-pite . 2. Habitus Clericalis . 3. Abdicatio operum servilium ; & si quæ alia sunt similes .

8 Consecratio , seu ordina-tio debet fieri ab Episcopo per manuum impositionem , & null-o modo ab homine Laico , vel Sæculari . Quod facile demon-strari potest . Primo , quia Mi-nistri novæ legis sunt altioris gradus , ac dignitatis , quam erant Ministri Mosaici : sicut nova lex est præstantior , quam vetus , & Christus excellentior , quam Moyses . At Ministri Mo-saici non poterant ordinari , seu consecrari à Laicis : g. multo minus Ministri novæ legis . Se-cundo idem patet ex praxi pri-mitivæ Ecclesiæ . Nam quotquot tempore Apostolorum conse-crati sunt Sacerdotes , aut Epis-copi , semper ab Episcopis , nunquam à Laicis consecratos esse constat ex Scriptura . Sic Presbyteri Lystræ , Iconij , & Antiochiæ consecrati sunt à Paulo , & Barnaba , Act. 14. 22. Sic Timothæus à cœtu Epis-coporum consecratus est Epif-copus juxta illud 1. Timoth. 4. 14. Noli negligere gratiam , quæ in te est , qua data est tibi per prophetiam cum impositione manuum præsbyterij . Ubi per Pres.

Presbyterium intelligitur cœtus majorum Presbyterorum, id est, Episcoporum, ut Chrysostomus, Theophylactus, Aëcumenius, Theodoreetus, & multi alij interpretantur. Nam Episcopus non potest ordinari, nisi à duobus, vel tribus Episcopis, ut Can. 1. Apost. definitum est. Et hoc servatum fuit in ordinatione Timothæi. Plures enim Episcopi ordinarunt illum, inter quos etiam fuit Apostolus Paulus, ut ipsem fecerit 2. Timoth. 1. 6. Admoneo te, inquit, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Idem post tempora Apostolorum servatum est. Nullus enim unquam, vel Sacerdos, vel Episcopus repertus est, qui ab alio, quam ab Episcopo consecratus sit. Sacerdos quidem ab uno: Episcopus vero à duobus, vel tribus. Videatur Concilium Antiochenum Can. 12. Antiochenum Can. 10. Epiphanius hær. 75. Damasus epist. 4. Hieron. epist. 85. ad Eviagrium, Chrysostomus, & alij in 3. & 4. cap. prioris ad Timoth.

9 Quid autem impositionis manuum adhibenda sit, æquæ certum est, neque ullus id negat. Est autem notandum, manuum impositionem in novo Testamento ad varios effectus solitam esse adhiberi. Primo,

ad sanandos agrotos, Marc. 16. 18. *Super agros manus impo-*
nent, & bene habebunt. Secundo, ad impertiendam benedictionem, Matth. 19. 13: *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, nempe ad benedicendum, ut explicat Marc. 10. 16. Et complexans eos, & imponens manus super eos, benedicebant eos.* Tertio ad felicem comprecationem. Sic aliqui intelligunt illud Act. 13. 3. *Tunc jejunantes, & oran-*
tes, imponentesque eis manus
dimiserunt illos; nempe Paulum, & Barnab. Quarto, ad Spiritum-Sanctum conferendum, Act. 8. 17: *Tunc impone-*
bant manus super illos, & ac-
cipiebant Spiritum-Sanctum. Et Act. 19. 6. *Et cum imposuisset*
illis manus Paulus, venit Spi-
ritus-Sanctus super eos. Quinto, ad conferendam gratiam in ordinatione Ministrorum Ecclesiæ, ut patet locis supra cit. 1. Timoth. 4. 14. Et 2. Tim. 1. 6.

10 Missio fit etiam à Prelatis Ecclesiæ, & differt ab ordinatione, & consecratione. Nam in ordinatione confertur Sacerdoti, vel Episcopo potestas ordinis cuiusmodi est potestas Sacraamenta administrandi. At in missione confertur illis iurisdictio, id est, assignantur illi subditi, quos ex officio, & cum

cum autoritate doceat, gubernet, Sacra menta administret. Sic Parrochus dicitur mitti in Parrochiam, quando assignantur illi Parrochiani: Episcopus in Episcopatum, quando a ssignantur Diocesani. Sic olim Apostoli missi sunt in omnem terram, quando Christus commendavit illis omnes populos, ac gentes. De qua missione loquitur ipse Matth. 10. 16. *Ecce ego mitto vos sicut oves in me- diu luporum.* Et cap. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, bap- tizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et Marc. 16. 15. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creatura.*

11. Sequitur officium, & potestas Ministeriorum. Et quidem Episcopi habent quædam officia communia cum Sacerdotibus; quædam propria, ac peculiaria. Communia sunt hæc: 1. Baptizare. 2. Eucharistiam confidere. 3. Absolvere confitentes à peccatis. 4. Extremam unctionem conferre. 5. Evangelium predicare. 6. Catechismum docere. Propria sunt ista: 1. dare Sacramentum Confirmationis. 2. ordinare, seu consecrare Ministeros Ecclesie. 3. Regere Ecclesiam Dei, non solum quoad laicos, sed etiam quoad Presbyteros, seu Sacerdotes. 4. Agere Judicem. Pref-

byterorum in externo foro Ecclæstico. (1. Timot. 5. 19.) Hinc sequitur, Episcopos ratione officij digniores esse Sacerdotibus. Primo, ex dictis. Secundo, quia succedunt in locum Apostolorum: Sacerdotes autem in locum 70. Discipulorum. Tertio, quia sunt quasi Patres Sacerdotum. Hi enim ab illis ordinantur, & quodam modo generantur. Vide Anacletum Papam, qui vixit tempore Apostolorum, & à Petro Apostolo ordinatus est Presbyter, (epist. 3. §. 1.) Damasum ep. 3. Leonem ep. 86. ad Episcop. Germ. Augustin. in P'al. 44. super illud, *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii.*

§. II.

DE EXTRAORDINARIA
vocatione Ministeriorum novi
Testamenti.

12. Constat Apostolos extraordinarie vocatos, & missos esse à Christo ad prædicandum Evangelium, & Sacra menta administranda. Qui tamen, ut supra de Moysè, & Prophetis dictum est, suam vocationem ac missionem multis signis, & miraculis coram universo mundo debuerunt contestari. Res omnibus nota est. Locuti enim sunt varijs linguis in die Pentecostes: Doe-

monia s^ep^e expulerunt mortuos ad vitam revocarunt: omnia morborum genera, vel verbo, vel tactu, vel umbra, vel semicinatio curarunt. Et, ut semel dicam omnia. Prædicatorum ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. (Marci 16. 20.) Quod etiam specialiter de se testatur Paulus Rom. 15. 19. cum ait, se gentibus Evangelium persuasisse *in virtute signorum, & prodigiorum;* Et 2. Cor. 12. *Signa*, inquit, *Apostolatus mei facti sunt super vos in signis, & prodigijs, & virtutibus.*

13. Et quid dico de Apostolis? Ipsiem Christus non aliter persuadere potuit a Deo Pater se missum esse nisi per miracula. Habebat quidem ipse pro se vaticinia Prophetarum. (Luc. 24. 27.) Habebat testimonium Joannis Baptista: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Habebat testimonium Patris Cœlestis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite: & tamen inter eos Missionis suæ presidia adhuc opus erat miraculis. Nec alio potentiori quam miraculorum subsidio usus est apud Judæos, ut se filium Dei comprobaret. Sic enim ipse defe loquitur, Joann. 10. 37. Si non facio opera Patris mei, no-*

lite mibi credere: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre. Et rursus cap. 14. 11. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa eredite.

14. Objicies: Etiam Johannes Baptista extraordinarie missus est ad baptizandum, & prædicandum; & tamen suam missionem nullo miraculo confirmavit. Nullum enim miraculum ab eo factum legimus. Respondeo; tametsi ipse nullum miraculum fecerit, Deus tamen multis miraculis illius sanctitatem, vocationem, & missionem testatus est: Primo; quia natus est ex matre sterili. 2. quia clausus adhuc utero materno præ gaudio exultavit propter presentiam Beate Mariae Virg. 3. quia mater eius Elisabeth Spiritu Sancto repleta est. 4. quia Pater eius Zacharias, qui antea mutus erat via voce prophetavit. Hæc, & similia, quæ circa illius nativitatem continguerunt, manifeste significabant, quid de eo in posterum esset sentiendum. Unde vicini præ admiratione dicebant: quis putas puer iste erit? Accedebat summa vita austernitas, vaticinium Isaiae, & alia ejusdem generis, Matt. 3. 3. Et cap. 11. 7.

§. III.

AN LUTHERUS ORDINA-
rié vocatus sit?

15 **A** Liqui ex Lutheranis affirmant; quia Lutherus in Ecclesia Pontificia, seu Catholica fuit legitimè ordinatus in Sacerdotem, & admissus ad prædicationem Evangelij, quæ duo sufficiunt ad ordinariam vocationem. Hæc sententia tametsi aliquo modo vera sit, ut posse dicam, quatenus tamen asseritur a Lutheranis, duplíciter refelli potest.

16 Primiò ex ipso Lutherò, qui in lib. de instruendis Ministris Ecclesiæ ad Senatum Pragensem diserte ait; Sacerdotium Papisticum non esse verum Sacerdotium, sed larvam, & figmentum. Quod etiam docent aliqui Lutherani. Si ita est, necessario sequitur, si Lutherus per Sacerdotium Papisticum vocatus est, non nisi per larvam, & figmentum vocatum esse: ideoque non nisi larvatum, ac fictum fuisse Ecclesiæ ministrum. Quomodo ergo Lutherani ex tali sacerdotio possunt defendere legitimam Lutheri vocationem contra Lutherum ipsum? Ipsi viderint. Et ne dubites de Lu-

theri sententia verba ejus sunt hæc: „Si igitur ulli negandi sunt esse Sacerdotes, maxime negandi sunt illi, quos Papistici ordines unixerunt. Et paulo post: „Planè sequitur per ordines illos facros, neminem fieri coram Deo, aut Sacerdotem, aut Ministrum, sed meram larvam; quandam mendacij, & vanitatis. Et iterum: „Atque qui haec tenus ordinati sunt, doleant se se sic fuisse per mendacij larvas illusos. Et infra: „Si ficti illi Sacerdotes, & larvati Episcopi, &c. Quid clarius dici potest? Si ergo standum judicio Lutheri, asserendum est, Lutherum per ordines Papisticos nihil aliud obtinuisse, quam ut esset fictus, & larvatus Sacerdos; & consequenter non nisi ficte, & larvate vocatum esse ad ministerium, si per Sacerdotium Papisticum vocatus est.

17 Secundò refelli potest ex ipsis Lutheranis, qui defendant ordinariam Lutheri vocationem. Nam illi supponunt, quod verissimum est, Ecclesiam Catholicam, seu Pontificiam, in qua Lutherus factus est Sacerdos, habere legitimam potestatem ordinandi veros Sacerdotes, & mittendi illos ad executionem Ministerij. At hinc duo sequuntur

contra Lutheranos: Unum est Ecclesiam Catholicam, seu Pontificiam esse veram Christi Ecclesiam. Nam illa est vera Christi Ecclesia, quæ à Christo habet legitimam potestatem ordinandi veros Sacerdotes cum hac potestas non sit data nisi veræ Christi Ecclesia: sicut in veteri Testamento potestas ordinandi Sacerdotes Leviticos non fuit data nisi Synagogæ: at verò Ecclesia Pontifica habet à Christo legitimam potestatem ordinandi veros Sacerdotes ex concessione: Ergo est vera Christi Ecclesia. Et cum una sit tantum vera Christi Ecclesia, necesse est Lutheranam non esse veram Christi Ecclesiam. Alterum est, Ministros Lutheranos, qui extra Ecclesiam Pontificiam, & contra ritum illius vocati, & missi sunt, non esse legitimè vocatos, & missos, quod postea fuisus probandum est:

18 Hæc contra Lutheranos, Ego sic statuo: Primò Lutherum ordinarię, & legitimè vocatum fuisse ad ministerium Ecclesiasticum, quod in Ecclesia Catholica, seu Pontificia exercuit ante defectionem. Secundò, non tamen ordinarię, & legitimè vocatum fuisse ad ministerium, quod exercuit in Ecclesia Lutherana post defectionem. Priorem partem pro-

bo; quia ad ordinariam vocationem, ut suprà dixi, requiruntur, & sufficiunt hæc quinque. Primò electio. 2. Purificatio. 3. Ordinatio, seu consecratio. 4. Missio. 5. Potestas, & officium. At hæc omnia fuerunt in Luthero ante defectionem. Nam cum esset Monachus ordinis D. Augustini post factam professionem votorum, electus, seu signatus fuit à suo Prælato ad suscipiendum Sacerdotium: Et ad hoc digne suscipiendum preparavit se, ut credibile est, per puritatem animi, quantum fieri potuit. Deinde legitimè ab Episcopo Sacerdos ordinatus est. Postea, juxta morem Monasterij, missus est ad prædicandum Evangelium, & Sacraenta ritu Catholicō administranda. Et tandem habuit in hoc genere potestatem, quam reliqui Monachi, ac Religiosi habere solent. Nihil ergo defuit illi ad ordinariam vocationem.

19 Posteriorem probabo; quia post defectionem, cœpit oppugnare Ecclesiam Catholicam, seu Pontificiam, in qua anteā vixerat: cœpit aliter docere, quam anteā docuerat; cœpit abrogare festa, jejunia, vota monastica, invocationem Sanctorum, Sacrificium Missæ, orationem pro defunctis, quæ anteā approbaverat; cœpit

mutare numerum Sacramentorum , quem anteā publicē fuerat professus. Hæc non potuit facere per potestatem , quam acceperat in Ecclesia Catholica , seu Pontificia , quia talis potestas non fuit illi data ab Episcopo , à quo fuit ordinatus ; nec à Prælato Monasterij , à quo primum missus fuit ad prædicandum Catholicé Evangelium : Ergo vel non habuit talem potestatem , vel si habuit , aliundè debuit accipere. At á quo ? Explicant hoc Lutherani , qui volunt ordinariam ipsius vocationem defendere.

q. IV.

AN LUTHERUS Extraordinariè vocatus sit?

20 **N**egat ipse in Epistola ad cives Molhusanos. Multi tamen Lutherani videntur affirmare. Primo illi , qui ajunt , Lutherum esse unum ex duobus testibus Apocalypticis (Apoc. 11. 3.) Aut Angelum Apocalypticum de cœlo descendentem (Apoc. 18. 1.) nam certum est , & hunc Angelum , & duos illos testes extraordinariè à Deo mitti. Deinde illi , qui negant in Ecclesia Pontificia potestatem esse legitimè ordinandi , &

mittendi Ministros ; eo , quod Ecclesia Pontifica , ut ipsi loquuntur , sit Meretrix Babylonica , Sedes Satanae , & Antichristi. Nam si ita est , Lutherus non potuit legitimè ordinari , & mitti ab Episcopis , & Prælatis Pontificijs : Et cum ab alijs hominibus extra Ecclesiæ Pontificiam existentibus , ordinatus , & missus non sit , necesse est , vel missum non esse , vel immediate à solo Deo missum esse.

21 Hæc sententia dupliciti argumento refellitur. Prūs est ; quia quicumque haec tenus vel in veteri , vel in novo Testamento à Deo immediate , & extraordinariè vocati , & missi sunt , debuerunt suam vocationem , & missionem aliquo evidenti miraculo apud populum comprobare ; & qui non potuerunt id facere pro falsis Prophetis , & impostoribus habitu sunt , ut haec tenus explicatum est. At Lutherus nunquam potuit evidenti miraculo probare , se immediate , & extraordinariè à Deo vocatum , & missum esse : Ergo pro falso Propheta , & impostore habendus est , si dicatur immediate , & extraordinariè missum esse à Deo.

22 Respondent Lutherani , non opus esse novis miraculis , quando non affertur nova doc-

trina: Lutherum non attulisse novam doctrinam, sed antiquam, & Apostolicam: Non ergo fuisse necessarium, ut illam novis miraculis confirmaret, cum jam ante tempore Christi, & Apostolorum sat multis miraculis confirmata sit. Sed frustra: Primo, quia Christus, quando Iudeis proponebat doctrinam Moysis, & Prophetarum de Messia, non afferebat novam doctrinam, sed antiquam: & tamen ad eam persuadendam opus erat novis miraculis. Similiter Elias, Jeremias, & alij Prophetæ, qui extraordinarie mittebantur à Deo ad reformatam Synagogam, nihil novi afferebant; sed revocabant populum ab idolatria ad cultum veri Dei, qui erat antiquissimus. & nihilominus debebant miraculis suam missionem attestari. Certe Elias, quando Iudeis dixit: *Quousque claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimi- ni eum: si autem Baal, sequi- mini illum:* nihil novi dixit; & tamen, nisi praesenti miraculo, nempe, igne de Cœlo misso, probasset se missum à Deo contra Prophetas Baal, nihil efficeret. Si ergo Deus, qui extraordinarie mittebat Eliam ad reformationem Synagogæ, misserit etiam Lutherum ad reformationem Ecclesiæ: cùr non

dedit huic potestatem miraculis confirmandi suam missiōnem, sicut illi dedit?

23. Deinde falsum est, doctrinam Lutheri non fuisse novam, sed Apostolicam. Certe novum, & non Apostolicum est, affirmare omnes traditiones repudiandas esse, cum Apostolus diserte dicat: *Tenete traditio- nes, quas didicistis.* Et hæc, quæ sequuntur, non Apostolica, sed nova sunt: Primo, duo tantum sunt Sacra menta. 2. non est orandum pro mortuis. 3. Infantes in baptismo habent proprium actum fidei, quo credant in Christum. 4. Corpus, & Sanguis Christi est ubique. 5. Matrimonium magis est necessarium, quam cibus, & potus. 6. Si non vult uxor, veniat ancilla. 7. Vota monastica non sunt servanda. 8. Monachus potest ducere Monialem. Hæc, & similia nec in Scriptis Apostolicis, nec in antiquis Ecclesiæ Doctoribus reperiuntur. Nova sunt.

24. Sed, ut hæc omnia dissimulem, quid tam novum erat in Orbe Christiano, quam dicere, quod Lutherus dicebat: Tota Ecclesia jam multis saeculis erravit: ego non erro. Majores nostri non habuerunt veram fidem; ego habeo. Antiqui Patres, & Theologi cœcutierunt in tenebris: ego in luce

Ince ambulo. Illi Scripturam non intellexerunt: ego intelligo. Item, Hieronymus nihil scriptis de vera fide. Nullum scio ex Doctoribus, cui æquè infestus sim, ac Hieronymo quia scribit de jejunio, de delectu ciborum, de virginitate. Originem jam dudum diris devovi: Chrysostomum nullo loco habeo: non est, nisi loquaculus: Basilius nihil valet, totus est Monachus: ne pile quidem illum redimerent: Nihil curio, si mille Augustini, mille Cypriani contra me starent? Sic paſſim Lutherus in colloquijs mensalibus, cap. 57. & 58. Et in libro contra Regem Angliae: & in lib. de abroganda Milla privata; & alibi.

25 Certe qui prudenter rem estimat, sic tacitus apud se ratiocinabitur: Hic Monachus opponit se universo Orbi, & præ se contemnit Augustinos, Cyprianos, Hieronymos, & totam venerandæ antiquitatis authoritatem: videt unanimem Christianorum consensum, qui si missimè hactenus crediderint, Sanctam Ecclesiam Catholicae non posse deficere à vera fide propter promissionem Christi, & infallibilem Spiritus Sancti assistentiam. Quomodo ob unius Monachi assertionem contrarium nunc credam? Aut quomodo hic Monachus Orbij

Christiano contrarium persuadet? Si à Deo missus est, aliquo saltē evidenti signo, ac miraculo probet suam missionem. Id hactenus nec fecit, nec facere potuit. Fatuus Ergo sim, relieta Sanctissimorum Patrum, ac majorum nostrorum sententia, uni Monacho, qui voti reus est, temere assentiar. Nec verisimile est, plus illi, quam Prophetis, & Apostolis, privilegij concessum esse. Si illis creditum non est, nisi miraculis probarent, à Deo missos se esse: quomodo Lutherò credam, qui id probare non potest? Et hæc sufficient de priori argumento.

26 Posterius est: quicumque hactenus immediate à Deo missi sunt ad instruendum populum in vera Fide, & Religione, sive Prophetæ, sive Apostoli, nullum unquam errorem, aut falsitatem docuerunt; quia Deus immediate neminem mittit, nisi ad docendam veritatem: At Lutherus multos errores, aut falsitates docuit: ergo non fuit immediate à Deo missus ad instruendum populum in vera Fide, & Religione. Minorē probō; quia Lutherus inter alios errores, aperte docuit; hominem in nulla actione, sive bona, sive mala, habere usum liberi arbitrij: sed à Deo tam ad bene, quam ad malé

malē operandum fatali quadam necessitate compelli. Sic enim scribit in assertione articuli 36. *Liberum arbitrium est figmentum in r. bus, seu titulus sine re, quia nulli est in manu sua quipiam cogitare mali, aut boni, sed omnia sub Dō sunt, contra quem nihil possumus.* Quod & Poeta voluit, quando dixit: *Certa stant omnia lege.* Hęc doctrina, sine dubio, falsa, & erronea est. Et ex ea sequuntur alij duo gravissimi errores. Alter, Deum esse authorem peccati. Alter, frustra esse omnes consultationes, exhortationes, mandata, prohibitions, Judices, Tribunalia. Quis credat hanc doctrinam à Deo esse?

27 Respondet Meisnerus Lutheranus loco paulo post citando, Lutherum primis annis sūr reformationis minus recte sensisse, sequenti autem tempore, & mentem, & linguam habuisse melior m. Idem accidisse Augustino, & alijs Patribus, qui libros retractationum scripsérunt. Hęc responsio nulla est. Primo, quia repugnat ipsi Luthero. Negat enim, se tempore reformationis minus recte aliquando sensisse. Nam in lib. contra Regem Anglia sic scribit: *Certus sum, dogmata mea habere me de Cœlo.* At dogma ipsius est, hominem in nulla

actione habere usum liberī arbitrij: ergo hoc dogma, sua quidem opinione, de Cœlo habet. At Meisnerus dicit esse falsum.

28 Deinde repugnat ipsi Meisnero. Nam si semel concedatur, quod ipse concedit, Lutherum primis annis reformationis docuisse falsum, planè sequitur, illos annos non fuisse reformationis, sed falsitatis, & deceptionis: neque tunc à Deo, sed ab alio, sub praetextu reformandę Ecclesię fuisse missum. Cui consentaneum est, quod ipsem̄ ait in assertione Teutonica à 25. *Qui semel mentitur, hic certissime ex Deo non est, & suspectus in omnibus habetur.* Subsum: Lutherus, quando asseruit, nullum esse liberum arbitrium in homine, mentitus est, ex concessione Meisneri: ergo non est ex Deo; sed in omnibus habetur suspectus. Vera confessio:

29 Nec est simile de Augustino, & alijs Patribus. Primo; quia illi non fuerunt à Deo extraordinarie missi ad reformatam Ecclesiam, sicut Lutherus singitur fuisse missus, sed ordinarie ad docendum. Et autem magna differentia inter utramque Missionem: Nam qui extraordinarie mittuntur à solo Deo, sicut Prophetæ, & Apol-

Apostoli missi sunt, nunquam docent errorem, aut falsitatem tempore sua missionis, alioqui non essent immediate missi a solo Deo, qui non potest esse Author erroris, aut falsitatis. Qui autem ordinarie mittuntur, aliquando errant. Non enim mittuntur immediate a Deo, sed ab hominibus, qui non possunt illos interius ita illuminare, ut in omnibus attingant veritatem. Deinde, Augustinus sigillatim, & distincte suos errores retractavit. Hoc non fecit Lutherus; sed contrarium. Nam anno 1520. scripsit doctrinam suam de libero arbitrio, quam supra recensui. Postea anno 1522. non retrahavit, sed confirmavit his ipsius verbis, quæ antea posui: *Certus sum, dogmata mea habere me de cœlo.* Maneat ergo, Lutherum non esse a Deo extraordinarie vocatum, ac missum.

§. V.

AN LATHERUS PARTIM ordinariè, partim extraordinariè vocatus sit?

30 **R**ecentiores Lutherani, qui vident, nec solam ordinariam, nec solam extraordinariam Lutheri vocationem defendi posse, utramque conjugunt, afferentes, il-

luni, & ordinariè, & extraordinarie vocatum esse. Ordinariæ quidem ad prædicationem verbi: extraordinariæ vero ad reformationem Ecclesiæ. Et quidem ordinariam vocacionem consistere in his: Primo in ordinatione Sacerdotij. 2. in admissione ad professionem Theologicam. 3. in gradu Doctorali. 4. in iuramento, quod præstitit, cum illum gradum susciperet. Nam vi illius jura-menti obstrictum fuisse ad veram Evangelij doctrinam publice profitendam. Extraordinariam vero, qua usus est in reformatione Ecclesiæ, in co-consistere; quod peculiariter a Deo excitatus sit, ut Antichristum deteggeret, & ab ejus iugo, ac servitute Christianos liberaret. Ita Balthasar Meisnerus in consultatione de fide Lutherana capessenda, pagin. 260. & 381.

31 Sed facile refellitur hic Author. Primo; quia circa ordinariam Lutheri vocationem duo supponit, quæ multi Lutherani ægre admittent. Unum est, quod in Ecclesia Pontificia, in qua Lutherus ordinatus est Sacerdos, sit legitima potestas ordinandi veros Sacerdotes. Vide quæ supra diximus. Alterum est, quod iuramentum præstitum Ecclesiæ Pontificiæ a Lutherò fuerit validum,

dum, & jurantem obligaverit. At juramentum illud non potuit ad aliud obligare, quam ad præstandum id, quod ipse intendebat præstare, cum jurabat. Hoc autem intendebat præstare, (nisi fide egerit) quod ab ipso petebatur, id est, profiteri, ac defendere eam doctrinam fidei, quæ tunc vigebat in Ecclesia Pontificia. Ad hoc ergo, & ad nihil aliud, vi illius Juramenti potuit obligari. Jam quæro ex Meisnero, an vere fuerit obligatus, nec ne? Si fuit, perjurus est Lutherus, qui validam obligationem violavit. Si non fuit, quomodo invalida obligatio potuit Lutheri conscientiam obstringere?

32 Quæ addit de extraordinaria Lutheri vocatione non subsistunt. Primo, quia illa extraordinaria destruit ordinariam. Nam in ordinaria juravit se defensurum doctrinam Ecclesiæ Catholicæ, seu Pontificiæ, in qua erat nutritus. In extraordinaria, ad eamdem oppugnandam missus est. Secundo, quia, ut supra argumentatus sum, quicumque extraordinarie à Deo mittitur, debet evidenti miraculo suam missionem confirmare, sicut fecerunt Apostoli, & Prophetæ. Hoc Lutherus non fecit. Ad hoc posterius dupliciter respondet Meisnerus. Primo non

opus esse miraculî, quando non affertur nova doctrina, Lutherum non attulisse novam doctrinam. Hoc supra refutavi. Secundo; non deesse tamen clara, & evidenter signa extraordinariæ missionis Lutheri, qualia sunt: Primo, puritas doctrinæ Lutheranæ, & cum Scripturis Sacris conformitas. Secundo, excellentia donorum, quibus Deus electum illud organum (Lutherum) clementer ditavit. Tertio, singularis in convertendis hominibus efficacia, & successus. Quarto, prædictiones Apostolicæ de Lutherio, quæ extant Apoc. 11. 3. & Apoc. 14. 6.

33 Excutiamus hæc signa. Primum est, puritas doctrinæ, & conspiratio cum Scripturis. Ego contra objicio, doctrinam Lutheri non esse puram, sed falsam: nec conspirare cum Scripturis; sed ijsdem repugnare. Hoc patet ex ijs, quæ supra dixi. Et speciatim ex eo, quod docuit Lutherus de libero arbitrio. Nam hoc ipsius dogma falsum est, & Scriptura contrarium, ut fatetur Meisnerus supra num. 27.

34 Alterum est, excellētia donorum, quibus à Deo ornatus est Lutherus. Fateor, Lutherum habuisse à Deo quædam dona ante defectionem.

Erat

Erat enim a Deo vocatus ad statum religiosum, & ad vendam perpetuam castitatem, paupertatem, & obedientiam. Quod sane donum non omnibus concessum est, juxta illud Christi: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Erat eloquens, ac disertus: erat inbutus varia cognitione, ac scientia, & si quæ sunt similia dona. Hæc tamen non erant majora in illo, quam in multis alijs Monachis, ac Religiosis. Habuit multos, non solum pares, sed etiam in hoc genere superiores, ut D. Augustinum, D. Bernardum, D. Thomam Aquinatem, D. Bonaventuram, Subt. Doct. & sexcentos alios. Quæ autem dona accepterit a Deo post defectionem, non video. Priora vel amissit sua culpa, vel abusus est. Amisit donum castitatis, paupertatis, & obedientiae: & in eorum locum successerunt sacrilegæ nuptiae cum Monialib; proprietas bonorum temporalium; rebellio contra Pontificem, Reges, & Principes. Abusus est eloquentia, & cognitione ad suam ipsius, & aliorum perniciem, sicut multi alij abutuntur. Hoc cincus laudabile est apud Meisnerum? certe apud prudentes non est.

35 Tertium est, singularis in convertendis hominibus efficacia, & successus. Nam ini-

finiti prope homines ostensim a principio doctrinam Lutheri amplexisunt; quod est evidens divinae missionis testimonium. Inde enim colligi potest, doctrinam fuisse efficacem, & a Deo inspiratam. Resp. Nihil minus. Nam etiam olim infiniti prope homines amplexisunt doctrinam Arrij, qui negabat Christi divinitatem. Immò multo plures, quam hoc tempore Lutheri. Et tamen ex eo non sequitur, doctrinam Arrij fuisse a Deo inspiratam, aut evidens divinae missionis testimonium. Ex triplici enim capite provenire potest, quod aliquis Doctor habeat multis asseclas, & sectatores. Primo; quia doctrina ipsius est divina, & miraculis confirmata. 2. quia est grata carni, & sanguini. 3. quia nova, subtilis, ingeniosa. Ex primo capite, Prophetæ, & Apostoli traxerunt ad se homines, quia docebant verbum Dei, & miraculis suam doctrinam stabiliebant. Ex secundo, falsi Prophetæ in veteri Testamento, & Lutherani in novo alliciunt suos auditores, quia docent, quæ populo placent. Lutherani quidem hæc, & similia proponunt suis discipulis: „Per solam fidem salvabitur“. Bona opera necessaria non sunt: Non opus est jejunis, & castigatione.

„ corporis : servite ventri , &
 „ libidini : Crescite , & multi-
 „ plicamini. Has voces plerique
 libertius audiunt, quam il-
 las ex Evangelio : „ Poeniten-
 „ tiam agite : Sic luceat lux
 „ vestra coram hominibus , ut
 „ videant opera vestra bona:
 „ Fides sine operibus mortua est:
 „ Regnum Cœlorum vim pati-
 tur , & violenti rapiunt illud;
 „ Castigo corpus meum , & in
 „ servitutem redigo. Ex 3. ca-
 pite , Arriani , & Calvinistæ
 non paucos ad se pelliciunt;
 quia Arriani multa nova , &
 subtilia de Christo ; Calvinistæ
 multa de prædestinatione , de
 gratia , de authore peccati , su-
 pra communem vulgi captum ,
 solent ingeniose disceptare. Quæ
 omnia tendunt ad ipsorum per-
 niciem.

36 Quartum est , prædic-
 tiones Apostolicæ , quæ extant
 Apoc. 11. v. 3. de duobus tes-
 tibus. Et cap. 14. v. 6. de An-
 gelo volante per medium Cœli ,
 habente *Evangelium aeternum*.
 Nam illæ prædictiones , ut Meis-
 nerus sibi persuadet , impletæ
 sunt in Lutherio. At quis sanæ
 mentis id credat ? Nemo , op-
 inor , nec ipse quidem Lutherus:
 Primo , quia ipse docet , Apo-
 calypsin , in qua habentur illæ
 prædictiones , non esse Aposto-
 licam , sed apocrypham : ergo
 ex mente Lutheri nec prædictio-

nes sunt Apostolicæ , sed apo-
 cryphæ. Parum igitur juvat
 causam Lutheri , si dicamus ,
 quasdam aprocryphas , & nul-
 lius fidei prædictiones in illo
 impletas esse. Sed ad rem. Ne-
 go , in illo impletas esse. Ac
 primo , quod Lutherus non
 fuerit unus ex textibus Apoca-
 lypticis sic ostenditur : illi duo
 testes qui venturi sunt tempo-
 re Antichristi habebunt condi-
 tiones , seu qualitates sequen-
 tes.

37 Primo erunt „ amici
 „ faccio , seu cilicio. Secundo ,
 „ Prophetabunt diebus mille
 „ ducentis sexaginta. 3. habe-
 bunt „ potestatem claudendi
 „ cœlum , ne pluat diebus Pro-
 „ phetiarum ipsorum , & potesta-
 „ tem convertendi aquas in
 „ sanguinem , & percutiendi
 „ terram omni plaga , quoties-
 cumque voluerint. Quarto ,
 quando absolverint testimoni-
 um suum (nempè post dies
 1260.) tunc Antichristus mo-
 vebit contra illos bellum , &
 vincet illos , & occidet. 5. Corpo-
 ra eorum jacebunt Hierosoly-
 mis insepulta per tres dies , &
 dimidium. 6. Post illos dies
 reviviscerent , & spectante , ac
 tremente populo , ascendent in
 cœlum. 7. Tunc erit magnus ter-
 ra motus , quo decima pars ci-
 vitatis corruet : & septem mil-
 lia hominum occidentur. Hac-

omnia disertis verbis habentur in Apocalypsi cap. 11. v. 3. & seqq.

38 At hi duo testes (qui cumque illi sint) nondum venerunt : ergo nec Antichristus. Est autem duplex de illis sententia. Plerique putant fore Henoch , & Eliam : nam de his testatur Scriptura venturos ante diem judicij Malach. 4. v. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam , antequam veniat dies Domini magnus , & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios , & cor filiorum ad parentes eorum. Et Eccli. 44. v. 16. Henoch placuit Deo , & translatus est in Paradisum , ut dicitur gentibus pénitentiam. Et sic fere sentiunt antiqui Patres. Alij putant Moysem , & Eliam. Primo , quia illi duo locuti sunt cum Christo in Monte Tabor , quando transfiguratus est. Secundo , illi duo repræsentant legem , & Prophetas. At Lex , & Prophetæ erunt gravissimi testes pro Christo ad redargendum Antichristum. Tertio , illi duobus optime conveniunt , quæ ex Apocalypsi de duobus testibus allata sunt. Nam Moyses habuit potestatem convertendi aquas in sanguinem , & persecutiendi terram omni plaga (Exod. 7. & seqq.) Et Elias habuit potestatem claudendi cœlum , ne plueret . (3. Reg. 17.

& Jacobi 5. 17.) Hanc sententiam sequitur Maldonatus in cap. 17. Matth. v. 11.

39 Adversarij nostri , quia vident utramque sententiam sibi repugnare (nam ex utraque sequitur , Antichristum nondum venisse , cum nondum venerit Henoch , Elias , aut Moses) novam interpretationem comminiscuntur. Et alij quidem generatim ajunt , per illos duos testes intelligi quoscumque Ministros fideles , qui ab Antichristo , idest à Romano Pontifice (ex illorum sententia) vel haec tenus passi sunt persecutionem , vel adhuc patiuntur. Alij vero speciatim designant vel Hussitum , vel Lutherum , vel Calvinum , vel aliquem similem. Sed valde errant. Nam ea , quæ de duobus testibus à Joanne prædicta sunt , nullo modo convenient Luthero , Calvino , & similibus. Quod sic ostendo : vel enim , quæ prædicta sunt intelligi debent secundum sensum litteralem , seu historicum ; vel secundum sensum mysticum , seu spiritualem.

40 Si priori modo certum est , Lutherum , & Calvinum non posse designari per duos testes. Non enim iverunt amicti sacco , nec prophetaverunt 1260. diebus : non clauerunt Cœlum , ne plueret , nec converterunt aquam in sanguinem.

non percusserunt terram omni plaga, quotiescumque voluerunt: non sunt interfesti ab Antichristo: nec post tres dies, & medium in cælum ascenderunt. Et sic deinceps. Si autem mystice hæc omnia intelligenda sunt, nec sic quidem Lutero, aut Calvino potuerunt accommodari. Ac primo dicant adversarij, quid mystice intelligatur, per saccum, vel ciliacum, quo amicti sunt duo testes? An poenitentia, castigatio corporis, austeras vitæ? At Lutherus, & Calvinus nec ipsi corpus suum castigarunt, nec alios, ut castigarent, docuerant. Nam Lutherus, violato castitatis voto, monialem sibi sociavit: Calvinus propter sodomitiam carenti ferro infusus est. Lutheri vox fuit: *Si non vult uxor, veniat ancilla;* Calvinii: *Lex Decalogi est impossibilis.*

41 Secundo dicant; quid mystice sit claudere Cœlum ne pluat? An est idem, quod efficere, ne gratia Dei per modum pluviae descendat de Cœlo? At hoc efficere, non est bonorum testimoniū, qui conentur alios ad fidem Christi convertere: nam ad hunc effectum maxime opus est divina gratia de Cœlo distillante. An ē contrario est idem, quod efficere ne vindicta Dei descendat de Cœ-

lo; at si hoc faciunt duos illi testes, de quibus loquitur Johannes in Apocalypsi: quomodo ergo dicuntur, aquas in sanguinem convertere, & percutere terram omni plaga? An non hæc vindicta de Cœlo est? Tertio dicant, quid mystice sit, Antichristum contra duos testes bellum facere, eosdem bello vincere, & occidere? An hoc intelligendum est de bello, victoria, & occidente Spirituali, quæ non in corpore, sed in anima fit? Si ita est, sequitur, Lutherum, & Calvinum non in corpore, sed in anima victos, & occisos esse ab Antichristo. Quod nescio, an adversarij concessuri sint?

42 Quarto dicant, quid mystice sit, corpora duorum testimoniū, Lutheri, & Calvini per tres dies, & dimidium jacuisse Hierosolymis insepulta, ac posteā resumpto spiritu revisisse, & in Cœlum ascendisse? Quid item, magnum terræ motum factum esse; decimam partem civitatis corruisse; septem millia hominum occissa esse? Hæc prius explicit adversarij, si contendunt impleta esse. At non possunt.

43 Secundo, quod Lutherus non fuerit Angelus volans per medium Cœli sic probo: Joannes eo loco scribit vidisse tres Angelos sibi succedentes,

Quorum primus hortatus sit omnes ad pietatem: alterum ruinam Babylonis prædixerit: Tertius Antichristum detexerit. Si ergo Lutherus, ut Meisnero placet, fuit primus Angelus, neccesse est, tertium, qui ab Antichristo detexit fuisse alium à Luthero, eoque posteriorem. Quomodo ergo verum est, quod supra asseruit Meisnerus, Lutherum detexisse Antichristum? Ista inter se non cohaerent.

44 Ex dictis concludo, Lutherum nec ordinarię, nec extraordinarię vocatum fuisse à Deo ad exercitium Ministerij, quod usurpavit post defectionem; sed unum ex illis de quibus dictum est Jerem. 23. v. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi curabant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Videamus nunc de alijs Ministris, qui Lutherum secuti sunt.

45 Lutherani, & Calviniani Ministrī sunt duplices. Nam aliqui ante defectionem fuerunt legitime ordinati Sacerdotes in Ecclesia Catholica, seu Pontificia: Alij non item. De prioribus idem dicendum est, quod de Luthero; nec ordinarię, nec extraordinarię vocatos esse ad ministerium Lutheranicum, aut Calvinisticum. Non quidem extraordinarię; quia nullo evidenti signo, aut miraculo possunt hoc ostendere, sicut Pro-

phetæ, & Apostoli ostendunt. Nec ordinarie, quia qui ordinarie vocantur, & mittuntur à Prælatis Ecclesiæ Catholicae, seu Pontificia non vocantur, aut mittantur ad ministerium, quod Ecclesiæ Catholicae, aut Pontificia contrarium est. At ministerium, quod exercent hujusmodi Ministri post defectionem, contrarium est Ecclesiæ Catholicae, seu Pontificia: ergo &c.

46 De posterioribus, qui in Ecclesia Catholica, seu Pontificia non sunt ordinati Sacerdotes, sic statuo. Primo non esse vocatos extraordinarię, ita immediate à solo Deo propter rationem sapè allatam, quæ sumitur ex defectu miraculorum. Secundo, nec esse vocatos ordinarię, seu mediante consensu, & cooperatione hominum. Quod tripliciter probbo. Primo, ex concessione Meisneri, & quorundam aliorum Lutheranorum, qui docent, ordinariam Lutheri vocationem consistere in Sacerdotio, quo in Ecclesia Catholica, seu Pontificia initiatus est. Nam si ordinaria vocatio consistit in tali Sacerdotio, necesse est, eos, qui tali Sacerdotio iniciati non sunt, ordinarię vocatos non esse. At illi ministri, de quibus agimus, non sunt iniciati tali Sacerdotio ex sup-

positione: ergo nec ordinatiē vocati.

47 Deindē ex perpetua praxi Ecclesiae: Nam à tempore Apostolorum usque ad ortum Lutheri, nullus ordinariē vocatus fuit ad ministerium Verbi, & Sacramentorum administrationem, nisi qui ab Episcopo ordinatus esset Sacerdos per manuum impositionem, ut supra ostensum est. Ergo Ministri Lutherani, & Calviniani, qui non sunt ab Episcopo ordinati Sacerdotes per manuum impositionem, non sunt etiam ordinariē vocati ad ministerium Verbi, & Sacramentorum administrationem. Videant ipsi quomodo vocati sunt.

48 Tertio ex eorum, contra quos agimus, consensu. Nam ipsi, velint, nolint, fateri debent se non esse vocatos eo rite, ac modo, qui in Ecclesia Catholica, seu Pontificia usitatus est; sed alio longe diverso. Non enim ordinati sunt Sacerdotes ab Episcopo, sicut apud nos fieri solet, sed vel à Principe seculari, vel à Magistratu, vel à populo promoti ad ministerium, sine ullius veri Episcopi consensu, & cooperatione. Cum ergo hi duo ritus inter se discrepent, non possunt ambo esse legitimi, à Christo instituti. Si ergo noster legitimus

est, ut fatetur Meisherus, alterum subreptitium esse necesse est: aut si noster subreptitius est; quomodo Lutherus, qui nostro rite ordinatus est Sacerdos, potuit legitimè vocatus esse? Rursum, si noster subreptitius est, oportet consequenter asserere, multis saeculis ante Lutheri ortum non fuisse verum Sacerdotium in Ecclesia Catholica, sed tantum subreptitium; ac proinde nullos fuisse veros Sacerdotes, ac Ministros; & quod inde sequitur, nullam fuisse veram Ecclesiam. Hæc enim sine Sacerdotibus, & Ministris in hac vita consistere non potest. Ecce quomodo ex uno errore in alium prolabuntur adversarij.

QUÆST. III.

*IN QUA RESOLVUNTUR
aliqua quaesita circa præcipuos
Ecclesiæ Ministros, Emi-
nentissimos, scilicet,
Cardinales.*

1. **C**ertum est, Pontificatum commodè, & perfectè absque consilio, & aliquorum subsidio administrati nec posse, nec potuisse: Unus enim solus tantam nrolem, & pondus sustinere haud poterat, quin in partem ministerij non nullos idoneos adficeret, quibus,

bus cum ardua negotia Ecclesiæ, pro temporum occurrensia tractaret, & pensum cuique laboris impartiretur. Tales fuerunt apud Petrum Apostolorum Principem, Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, & Marcus Evangelista, atque alij permulti, qui Pontificatus ejos munia, & onus subiebunt, & coadjutores, & consiliarij in re gerenda, & administranda fuere. Qui licet nomen Cardinalium, tunc insuetum, haud habuerint, munus tamen, & officium genuinum, quod nunc Cardinales exercent, proculdubio præstiterunt.

Unde, qui nunc Cardinales dicuntur, antiquitus Presbyteri, aut Diaconi Urbis Romæ nominabantur. Idque constat cum ex alijs, tum ex Nicæna Synodo, quæ habita est sub Silvestro Pontifice, cui, inter ceteros, duo ita subscribunt: *Victor, & Vincentius Presbyteri Urbis Romæ, pro Venerabili viro Papa, & Episcopo nostro Silvestro.* Ex quo apparet eos Pontificis locum in eo Concilio tenuisse, quod munus Cardinalium proprium est. Quin etiam aliquanto post in Synodo à Gregorio Romæ habita, ann. 594, triginta quinque Sacerdotes subscribunt omnes ex nomine Ecclesiarum

suarum. Deinde Augustinus certans contra Pelagianos, mentionem facit de Romanis Clericis, qui sub Zosimo Pontifice, Cœlestium, & Pelagiūm damnarunt. At hæreticos damnare, non est privatram Clericorum: necesse est igitur eos fuisse *Cardinales*.

3 Inquieres. *Quod fuit initium, & progressus Romani Clerici?* Respond. Hoc communī consensu receptum est, Beatum Petrum, cum Romæ sedem posuisset, ex omnibus recentibus Christianis probatissimos elegisse, quos partim Presbyteros, partim Diaconos ordinavit, distributis utrius ordini suis muneribus. Verum cum adhuc exiguuus, & incertus esset Presbyterorum numerus, *Cletus Pontifex, à Petro, Tertius, eos ad quinque & viginti redigisse scribitur, Evaristus, anno Domini 96.* ne confusè administrarent, ipfis Parochias divisit, ut suam quisque Diœcesis nosset, & in eam excolendam incumbere. *Hyginus* verò circa ann. 140, aucto jam fidelium numero, plures in unaquaque Parochia Presbyteros, aliosque Clericos instituit; quæ Ecclesiæ, seu Parochiæ, jam tunc ab illo tempore *Tituli* appellari cœpti sunt.

4 Inquieres 2. *Qua de causa*

sa.

sa bæ Parrochiae Tituli dictæ sunt? Respond. Causam assignat Baronius in suis Annalibus ad ann. 111. vel quia quidquid ex profano ad Ecclesiæ adjungebatur initulari, vel in titulum transire dicebatur, quod etiam ex quadam Gregorij Epistola intelligi potest. Vel quia Presbyteri, quibus ex committebantur Ecclesiæ, singuli à suis Ecclesijs nomen, titulumque acciperent, ut jam non ex familiæ cognomine, sed ex sua quisque Ecclesia nuncuparetur. Hi verò titali frequentius quidem ab ejus Sancti nomine cui dedicata esset Ecclesia sumebantur, ut Sanctæ Cæciliæ, aut S. Marriæ trans. Tiberim. Interdum tamen ab ijs Pontificibus, qui eos titulos instituerant, ut Iulij, aut Damasi; interdum etiam ab ijs, qui templo ipsa ædificaverant, ut Lucinæ, Eudoxiæ, Tigridis, &c. nomen desumebant.

5 Inquires 3. Horum titulorum quis erat numerus? Resp. Jam dictum est, Viginti quinque instituerat Evaristus, his Successores Pontifices alios quosdam addiderunt; sic tamen ut Viginti & octo permanserint usque ad annum circiter 1455. idest usque ad Callixtum III. qui unum addidit: alterum deinde Sixtus IV. Leo

X. undecim: erés Julius III. Unum Paulus IV. unum pariter Pius IV. Tres postremo Pius V. Et sic unus & viginti tituli adjecti sunt, qui illis viginti quinque veteribus titulis uniti, quadraginta sex titulos efficiunt. Hæc de Presbyteris, nunc de Diaconis pauca edicemus.

6 Inquires 4. Quis Presbyteris istis Diaconos adjunxit? Respond. Cum Apostoli septem Diaconos instituissent Jerosolymis, ut fideli populo intervirerent; Romani pariter Pontifices, Apostolorum exemplum imitati, septem Diaconos Romæ instituerunt. Verum cum isti nullum certum locum assignatum haberent, sed promiscuè sui Ordinis munera obirent; Fabianus Pontifex omnium primus, anno circiter 249. Urbis Regiones distribuit, suamque unicuique assignavit, de quarum Regionum partitione expressa est mentio in ea oratione, quam Gregorius habuit ad populum, pestilentia tempore, quæ adhuc extat in ejus vita. Ex his autem septem Diaconis, unus erat præcipuus à Pontifice electus, cum Cleri, populiisque consensu, qui Archidiaconus appellabatur, cuiusmodi S. Laurentius Sixti Minister. Cum verò tunc quatuordecim essent Urbis Regiones, Dia-

Diaconus quisque duas administrabat. Postea tamen duplicatus est hic numerus, ut singuli singulas haberent. Demum adacto Romana Ecclesia splendore, plures in unaquaque Regione adjuncti Diaconi, sic tamen ut unus emineret, aliosque gubernaret.

Inquires 5. *Quæ erant illa loca, quæ Diaconia appellabantur?* Respond. Erant Ecclesiæ Sanctorum nomine erectoræ, in quibus nulla animarum cura gerebatur, sed alia munera exercebantur, Diaconorum propria, ut inter alia, dispensare eleemosynas pauperibus istius Regionis, subvenire necessitatibus viduarum, & pupillorum, &c. quod apparet in forma, quæ S. Gregorius Diaconiam alicui commiscebatur: *Igitur te Joannem religioso intentionis tue studio provocati, mensis prosperum, & exhibenda Diaconia eligimus preponendum, lib. 9. in dict. 4. epist. 24.* Hæ Diaconiae per multa saecula ita distinctæ permanserent a Presbyterorum Titulis, ut neque titulus illius Diaconi, nec Diaconia Presbyteri traderetur. Hi quatuordecim Diaconi pro numero Regionum quibus erant assignari Regionarij vocabantur. His quatuordecim Diaconis, quatuor additi sunt, qui

Tom. III.

Pontifici assisterent, eique Sacrificanti servirent, quam ob causam dicti sunt *Palatini*. Quare decem, jam & octo Diaconi esse cœperunt.

8 Inquires 6. *Quot sunt Episcopi Cardinales, & ad quid assumti?* Respond. Septem antiquitus erant Cardinales Episcopi; modo verò sex tantum numerantur. Episcopatus enim *Sylva Candidæ*, qui unus erat ex illis septem, desit circa annum 1120. quo tempore urbs illa à Barbatis expugnata, & funditus eversa est, & ea Ecclesia, quæ ad illud usque tempus proprium Cardinalē Episcopum, habuerat, Portuensi Episcopatuī addita est. Unde ab illo tempore sex tantum fuere Cardinales Episcopi Romanae Urbi viciniores *Ostiensis, Velerinus, Portuensis, Tusculanus, Sabiniensis, Prænestinensis, & Albanensis*. Sed inter eos non computandus Velerinus Episcopus, ab eo tempore quo Eugenius III. Ostiensi Velerinum univit Episcopatum. Hi assumpti sunt ad majorem dignitatem Pontificiæ splendorem, ut sicuti alijs Ecclesijs Presbyteri Cardinales, ita huic uni Episcopi Cardinales deservirent. Consueverant Episcopi Cardinales singulis diebus per vices in Ara maxima Missas

Gg

ce

celebrare, modo præsente, modo absente Pontifice : quod apparet ex Anastasio Bibliotectario, qui in vita Stephani Papæ, quem creatum constat anno 768. Expressam facit mentionem de Episcopis Cardinalibus *Hebdomadarijs*, his verbis: *ut omni Dominico die à septem Episcopis Cardinalibus Hebdomadarijs, qui in Ecclesia Salvatoris observant, Misericordiarum solemnia super Altare B. Petri celebrentur.* Igitur in Ecclesia Vaticana celebrabant per vices, seu successive omnibus anni Dominicis diebus : & in Lateranensi omni die vicissim per totam hebdomadam ; & id circa Episcopi Lateranenses, Collaterales, & Hebdomadarij dicebantur. Prima mentio Episcoporum Cardinalium habetur in Concilio à Stephano IV. convocato, ubi eorum officium præscribitur.

9 Inquires 7. *Quid hoc nomen Cardinalis significat?* Respond. Cardinalis nomen idem significat ac præcipuus, seu principalis. Et in hoc sensu quatuor principales venti dicitur venti Cardinales. Et similiter virtutes quædam Morales communi, & usitato more Cardinales appellantur. Quare non Romæ solum sed alibi quoque in Cleri ordine hoc Cardinalium nomen usurpatum est: ex

quo illud est, quod in Concilio Meldensi statuitur, ut Episcopus titulos Cardinales, in urbibus, vel suburbij constitutos ordinet, atque disponat, can. 54. Extat quoque Gregorij Ep. ad Fortunatum Episcopum Neopolitanum, qua ei Gratianum quendam concedit, quem in sua Ecclesia Diaconum Cardinalem constituat, epist. 11. lib. 5. Idemque in alia Epistola, Episcopum Siracusanum monet, ut Cosmum Subdiaconum Præbyterum faciat Cardinalem, epist. 34. lib. 11. Licet autem vel in omnibus, vel in plerisque Ecclesijs, ut Compostella, & Salerni sui essent Cardinales; Consuetudo tamen obtinuit, ut in sola Romana Ecclesia, excellentia causa, id nomen remaneret.

10 Inquires 8. *Unde hoc nomen Roma ortum babuit?* Respond. Non satis compertum est. Plerique, si non omnes, ita dictos putant, quia in singulis titulis præerant reliquis Presbyteris, vel in Diaconis præerant alijs Diaconijs; qui etiam alio nomine Archipresbyteri, & Archidiaconi dicebantur. Hoc enim indicare videtur nomen ipsum Cardinalis, quod, ut paulo ante diximus idem est, quod principalis.

11 Inquires 9. *Quis erat veterum Cardinalium numerus?*

rus? Respond. Viginti octo. Et hoc colligitur ex titulorum numero, qui ut supra diximus, octo & viginti fuere, quibus si decem & octo Diaconos, ac denique septem Episcopos, qui antiquitus erant, addamus, jam apparebit fuisse semper olim tres, & quinquaginta. Hic numerus ad Honorium usque secundum, anno Domini 1125. duravit; à quo tempore sensim minui cæptus, cum in demortuorum locum nemo substitueretur, sed eorum Tituli, vel ab Archipresbytero, vel ab altero Cardinali Pontificis ius suu administrarentur. Itaque incertus, ac varius esse cæpit Cardinalium numerus usque ad annum 1476. quo tempore ad Nicolai III. electionem septem tantum Cardinales affuisse legimus. Ab eo vero tempore rursum restorescere, & augere cæpit, ita ut Bonifacio VIII. sedente essent jam Cardinales viginti, neque tamen usque ad Sextum IV. ex Ordine Fratrum Minorum assumptam, trigesimum attingerunt, cum in Constantieni Synodo cautum esset ne plures essent quam viginti quatuor.

12 Inquires 10. *Quis pre-sens Cardinalium numerus?* Respond. Cum Cardinalium creatio ab arbitrio Papæ pendet; Sextus IV. trigesimum su-

pergressus est. Alexander vero VI. ad quinquagesimum perduxit. At Leo X. cum una vi-ce unum & triginta creasset, usque ad Sexagesimum quintum. Paulus IV. quinque amplius addidit. Et Pius IV. usque ad sextum, & septuagesimum, quo nunquam ante per-ventum erat, neque postea per-ventum est. Postremo Sextus V. Ordinis Conventualium, nu-merum septuagesimum definivit instar illorum, ut ipse ait, septuaginta seniorum, quos Do-minus Moysi adjutores dedit, in quos tanti oneris partem de-rivaret: „Congrega mihi sep-„tuaginta viros de senibus Is-„raél, quos tu nosti, quod „senes populi sint ac magistri; „Et duces eos ad ostium Ta-„bernacui foederis, faciesque „ibi stare tecum, ut descen-„dam & loquar tibi: Et aufe-„ram de spiritu tuo, tradam-„que eis, ut sustentent tecum „onus populi, & non tu so-„lus graveris. Numer. 11. v. 16. Et ab eo tempore perse-verat hic à Sixto definitus Car-dinalium numerus, qui assis-tunt in universalis Ecclesie re-gimine Summo Pontifici, si-cut septuaginta Seniores Isra-elitici olim Moysi assistebant in regenda Synagoga.

13 Inquires 11. *Quot pro-nunc ex tribus ordinibus, in*

quolibet ordine sunt Cardinales? Respond. Numerus Cardinalium complectus ultra septuagesimum cum non ascendet, ut dictum est, sic distributus legitur, ut ex Diaconorum ordine, solum quatuordecim sint: ex Presbyterorum ordine, quinquaginta: ex Episcoporum ordine, sex supra numerati.

14. Inquires 12. *Quot sunt Cardinalium Congregationes?* Respond. Duodecim principaliiter assignantur. 1. Sancti Officij, seu Inquisitionis Congregatio dicitur, quæ in rebus fidei curandis tota occupatur. Fuit autem à Paulo III. instituta, & à Paulo IV. confirmata. Et huic interesse solent selecti Cardinales aliqui, cum alijs doctis, & eruditis viris, Consilij, consultationisque gratia. Hæc congregatio haberi solet die Mercurij coram præfatis Cardinalibus, & die Jovis sequenti coram Summo Pontifice, cui referentur omnia die precedenti digesta negotia. 2. Congregatio signaturæ gratiæ vocatur, à Pio IV. erecta, cui solent interesse cum Summo Pontifice plures Cardinales, Prælati multi, Referendarij, qui causas proponant, & explicent. 3. Dicitur signaturæ iustitiæ, & huic intersunt nonnulli Cardinales, & plures Prælati, & Referendarij, qui

materias, quæ controvertuntur, & discutiunt proponent. 4. De propaganda fidei dici solet, à Gregorio XV. instituta, an. 1622. sive ideò dicta, quia fidei per varias vires Apostolicorum Missiones dilatandæ destinata; haberique solet apud antiquiorem e Cardinalibus. 5. Ea est, quæ Concilij dicitur, quia in explicandis Sacri Concilij Tridentini decretis, eorumque executione promovenda tota versatur: soletque pariter apud antiquiorem Cardinalem haberi.

15. 6. De Episcopis, & Regularibus vulgo dici solet; quia in causis Episcoporum, & Regularium decidendis intenta: haberique solita quilibet die Veneris non impedita, præside pro more Cardinalium antiquiore. 7. Dicitur Sacrorum Rituum, seu consuetudinum, & Ceremoniarum Ecclesiæ; & hæc est ea, in qua præsertim agitur de Sanctorum Canonizatione, soletque semel in mense apud Præsidem Cardinalem haberi. 8. De Indice librorum prohibitorum, vulgo dicitur; quia circa libros, qui imprimi debent, corrigendos, vel censura notandos occupata: Et pro temporum exigentia apud Cardinalem præsidem haberi solita. 9. De Episcoporum examine nuncupatur; quia pro

examinañdis ad Episcopatus Italæ promovendis destinata. Et huic interesse consuevere cum Summo Pontifice Cardinales decem, multi Regulares, aliquæ viri eruditæ. 10. Databus, & causis consistorialibus appellatur; quia in ea de his præsertim agitur, quæ Summi Pontificis nomine remitti solent ad Cardinales, ut nominationes ad Episcopatus, & Abbatias, aliaque similia &c. 11. De immunitatibus Ecclesiasticis dicitur, estque instituta ab Urbano VIII. & haberet pro tempore exigentia apud Cardinalem antiquorem. 12. De Indulgencij congregatio diciatur, & huic solent interesse quinque, aut sex Cardinales, cum uno, vel duobus Pralatis. Sunt, & nonnullæ alia minus præcipuæ ad politiam, & temporalem statum spectantes, præter Tribunal Apostolicæ cameræ, cui interesse solent cameræ Clerici, cum Camerario Cardinale præside. Et insuper præter has omnes, congregatio omnium præcipua, & celeberrima post Summi Pontificis obitum convocari solita, quæque vulgo dici solet Conclave.

16 Inquires 13. Quid est conclave, quod dicitur Cardinale? Respond. Conclave est celebris ille locus Vaticani, in quo, decimo die post Summi

Pontificis obitum, reclaudit ut Cardinales ad novam novil onticis electionem celebrandam, & accelerandam.

17 Inquires 14. Quodnam fuit principium istius Conclavis? Respond. Sic primum recludi caperunt Cardinales post mortem Clementis IV. solebant abte summo mane, singulis diebus, si Romæ erant, Laterani, vel in Basilica Vaticana, aut alibi, ut occasio erat: si vero extra Urbem in Cathedrali ejus civitatis Templo, in qua tunc commorabantur una convenire. Vita sancto Clemente IV. Apostolica sedes per biennium, & novem mensis vacavit, eo quod non convenirent Cardinales de successore designando cum maximo totius Reipublicæ Christianæ malo. S. Bonaventura Franciscanus Religionis Generalis Minister, tunc Viterbi degens, cibis Viterbiensisibus suasit, (si Dominico Magri credendum est) ut omnes Cardinales in Episcopali Palatio includerent, ut sic coactati ad finalem citius devenirent electionem. Et usque ad præsens cellularum vestigia in aula cernuntur.

18. Verum cum electio protraheretur, ob dissidia Cardinalium, qui quavis numerum octodecimum non excederent, in nullum tamen convenire va-

lebant : Rainerius Gattus Civitatis Praefectus , & conclavis custos , ad vincendam illorum obstinationem , jussit ut omnino detergeretur aula in qua , muris occlusi erant , nec ullibi patebat exitus . Unde necessitati cedentes ob ingentia incommoda , & aeris intemperiem , per compromissum elegerunt Theobaldum Placentinum Vice-Comitum , familia Mediolano olim pulsa , suum ducentem genus , Archidiaconum Leodium , dictum deinceps Gregorium X. & defertur lepide dictum à Joanne Portuensi Cardinali .

*Papatus Munus tulit Archidia-
canus unus ,*

*Quem Patrem Patrum fecit
discordia Fratrum .*

19 Inquit 15. Unde constat , quod ita fuit inclusus Cardinales , & quod tectum Conclavis fuit apertum , & ablatum ? Respond . Istius rei veritas clare dignoscitur ex Bulla quadam , quæ in Archivio Civitatis Viterbiensis custoditur , ex qua decem , & septem pendent sigilla in cera rubra , qnorundam Sanctorum figuræ exhibentia , forsitan illorum , quorum titulis pro tunc Cardinales illi gaudebant , juxta illius saeculi usum : in præmemorata Bulla , Collegium licentiam facit Cardinali Ostieasi , in-

fimo à Conclavi recedendi sequentibus verbis , quæ nos hic ad longum dare , pro majori lectorum notitia opere præsumus .

20 „ Nos , miseratione di-
„ vina , Episcopi Presbyteri ,
„ & Diaconi Sacro Sanctæ Ro-
„ manæ Ecclesiæ Cardinales in-
„ firmitati Venerabilis Fratris
„ nostri N. Ostiensis , & Velle-
„ trensis Episcopi , Fraterno
„ compatientes affectu , vobis
„ Alberto de Monte Bono , po-
„ testati , & Rainerio Gatto ,
„ qui pro Capitaneo Viterbiens-
„ si te geris , & communi Vi-
„ terbiensi tenore præsentium
„ sub debito fidilitatis , quo
„ nobis , & Ecclesiæ Romanæ
„ tenemini districte præcipien-
„ do mandamus , quatenus ,
„ cum idem Episcopus , juri ,
„ & voto sibi competentibus in
„ Electione Romani Pontificis
„ renunciaverit coram nobis ,
„ quantum ad præsentem elec-
„ tionem dumtaxat , volens ,
„ ut non obstante ejus absen-
„ tia , sine ipso , hac vice libe-
„ rè procedamus ad providen-
„ dum Romanæ Ecclesiæ de
„ Pastore ratam habiturus , &
„ gratam electionem , seu pro-
„ visionem , quam de Romano
„ Pontifice absque ipso , & ejus
„ requisitione duxerimus fa-
„ ciendam , ac instanter petie-
„ rit vobis mandari , ut de Pa-
la-

„ latio, in quo sumus inclusi,
 „ ipsum permitteretis exire,
 „ eumdemque Episcopum de
 „ ipso Palatio statim egredi li-
 „ beré permittatis, nec ipsum
 „ de cætero aliquatenus deti-
 „ neatis invitum. Datum Vi-
 „ terbij in Palatio *Discooperto*
 „ Episcopatus Viterbiensis VI.
 „ Idus Junij MCCLXX. Aposto-
 „ tolica sede vacante.

21 Inquires 16. *Eſtne magna Cardinalatus dignitas?* Respond. Certè talis ac tan-
 ta est, ut omnes Ecclesiasti-
 cas dignitates, post Summum
 Pontificem, excedat. Et ratio
 est; quia Cardinales sunt mem-
 bra Papæ, & quasi una perso-
 na cum illo, & quia non solum
 Romanæ, sed universæ Eccle-
 siæ consulunt. Quare de Cardi-
 nalibus illud dici potest, quod
 est in sacris litteris 1. Reg. cap.
 2. *Domini sunt Cardines terra,*
& posuit super eos orbem. Hæc
 enim terra tam late patens, ita
 firma, & fixa, & quæ omnes
 homines, & sustinet, & alit
 est Ecclesia; ejus autem Cardi-
 nes, ut nomen ipsum admonet,
 sunt cardines; quare ipsi quo-
 qui sunt Principes mundi.

22 Inquires 17. *Episcopi qui sunt Apostolorum successo-
 res, numquid maiores sunt Car-
 dinalibus?* Respond. Si inter
 eos comparatio facienda sit,
 profecto si ordinem, & ordinis

potestatem spectemus, major
 est Episcopus, quam Cardina-
 lis. Hic enim Sacerdotes con-
 secrat, confirmat baptizatos,
 & alia ejusmodi facit, quæ non
 potest Cardinalis. Idemque
 sentiendum, si attendamus ju-
 risdictionem ferendi leges,
 puniendi, dispensandi, indul-
 gendi, quæ item non licent
 Cardinali, quoniam nullam
 habet Diœcesim. Itaque ex hac
 parte majus aliquid habent
 Episcopi, quod non habent
 Cardinales. Quod etiam in cau-
 fa est, cur Summus Pontifex
 veteri more Episcopos quidem
Venerabiles fratres appellat;
 Cardinales autem *dilectos filios*,
 quoties, scilicet, singulis hi-
 quitur, vel scribit: nam cum
 universos alloquitur tum com-
 muniter Fratres vocat, prop-
 ter admixtos Episcopos. At
 vero si universalis Ecclesiæ gu-
 bernationem respiciamus, sine
 ulla dubitatione major est Car-
 dinalis non modo Presbyter,
 sed etiam Diaconus, quam qui-
 vis Episcopus. Episcopus enim
 suæ tantum Diœccesis utilitati ser-
 vit, at Cardinales publicæ totius
 populi Christiani. Ille privatam
 domitaxat regit Ecclesiam: hic,
 una cum Sede Apostolica, uni-
 versas. Cardinales solitum ad
 Pontificum consilia, tum eti m
 ad Pontificis electionem pro-
 nunc adhibentur, atque etiam

ex ipsis fere solis Pontifex eligitor. Cardinales à nemine, nisi à Summo Pontifice judicantur: ipsi tamen simul cum Pontifice omnes Ecclesiæ gradus dijudicant. Multis alijs privilegijs gaudent: ob quæ non modo quorumlibet Episcoporum, sed etiam Patriarcharum, atque primatum jura transcendunt.

Inquires 18. *A quo tempore Summonum Pontificum electio demandata est solis Cardinalibus?* Respond. Ab eo tempore, quo in tertio Lateranensi ecumenico Concilio, sub Alexandro III. Romæ habitato, ann. 1179. exclusis omnino clero, Imperatore, & Populo ab electione Summonum Pontificum, totum jus illos eligendi translatum est ad solum Cardinalium Collegium; ibique patiter estatutum, ut duæ tertiae Cardinaliorum partes pro electione convenienter: idque ita decretam occasione Octaviani Pseudo-Pontificis, sub nomine Victoris IV. de Papatu contendentis, cum ipso Alexandro III. vero, ac legitimo Summo Pontifice, ut potè à majori Cardinalium parte electo, dum Octavianus paucorum dumtaxat niteretur Cardinalium suffragio, & Frederici Imperatoris potentia, & auxilio. Sed tandem, victo Imperatore, & extinto schismate; Concilium

Lateranense III. convocavit Alexander: in quo inter alia hoc præsertim decretum est, can. 1. ut nullus deinceps, ut verus haberetur, & legitimus Pontifex, nisi esset à duabus tertijs Cardinalium partibus electus.

Inquires 19. *Quandom cœperunt Cardinales vestibus indui purpureis?* Resp. Cœcum est modernum Cardinalis habitum majestatem quamdam exhibere. Si initium queratur, factum accipimus ab Innocentio IV. ann. 1246. cum statuisset, ut Cardinales omnes rubro galero uterentur: hoc, scilicet, motivo, ut recordarentur se debere semper esse promptos ad sanguinem fundendum in defensionem fidei, & obsequiorum Sanctæ Ronianæ Ecclesiae. Insuper etiam indalit, ut in publicum incederent equo vesti. Ex quo sane apparet antea pedibus ire consueisse: quod unum reliquam quoque tenuitatem, ac simplicitatem illorum temporum indicat. Postea, vel Bonifacius VIII. ut ait Hieronymus Albinus, lib. de Card. q. 8. vel ut plutes tradunt, & in primis Plutina, & Sabellicus confirmant, Paulus II. ann. 1454. reliquias vestes purpureas, ceterumque ornatum adjecit: atque ex eo quoque tempore auc-

aucta est hujus Magistratus amplitudo , ut internæ ejus dignitati hæc etiam externa species responderet.

25 Inquires 20. *A quo tempore dicuntur Cardinales Eminentissimi?* Respond. A tempore Urbani VIII. Summus ille Pontifex ann. 1630. speciali decreto sancivit , ut deinceps Cardinales Eminentissimi vocarentur , & ut nulli alij Eminentia titulum usurpare præsumerent , exceptis Cardinalibus , tribusque Imperij Electoribus Ecclesiasticis , magnoque Ordinis S. Joannis Jerosolymitani Magistro. Voluit que , ut omnes tenerentur præter Imperatorem , & Reges , hos titulos Eminentissimi , & Eminentia Cardinalibus tribuerent . Quod decretum statim executioni mandarunt omnes Italiae Principes , hosque Eminentissimi , & Eminentia Titulos Cardinalibus tribuere cœperunt , excepta Serenissima Venetorum Republica , contendente se non teneri sicut & Reges , hos novos Cardinalibus tribuere titulos ob Regna suaditioni subdita: & ea ratione concessum fuit à Summo Pontifice , Venetorum Reipublicæ , ut juxta morem antiquum Cardinales salutaret , nec tribuere teneretur eis hos novos Eminentissimi , & Eminentia titu-

los. Qui plura vult legat Hieronymum Albanum , Platinam , Sabellicum , & Hieronymum Platam Societatis Jesu , lib. de Card. dignitate , & officio , &c.

QUÆSTIO IV.

IN QUA RESOLVUNTUR aliqua quæsita circa Illusterrimos Episcopos.

I Inquires 1. *An Episcopatus sit ordo distinctus à Sacerdotio?* Resp. affirmativé : Nam ordo proprié dictus est ceremonia Sacra , per quam confertur potestas in ordine ad Sacramentum Eucharistiae conficiendum , vel dispensandum ; sed talis est Episcopatus , qui distinctus à Sacerdotio ordinatur ad conficiendum , & dispensandum Eucharistie Sacramentum , saltē mediatè , & remotè , quatenus ordinat Presbyteros , ut prædicta munera efficiant : g. Episcopatus ut sic est ordo distinctus à Presbyteratu. Deinde , ex Subt. nostro Doct. in 4. d. 24. n. 7. quando consecratur Episcopus , vel illi conferuntur potestas ordinis simpliciter , vel tantum augetur illi potestas jurisdictionis : atqui non datur , aut augetur tantum

potestas jurisdictionis; nam tunc posset auferri per Superiores, qui possunt tollere jurisdictionem à inferioribus; quod tamen est falsum, cum Episcopus suspensus, aut interdictus possit adhuc validè, non licet, ordinare, confirmare, & aliæ functiones sui officij exercere: Ergo Episcopatus est ordo distinctus à Presbyteratu.

2 Præterea, Concilium Trident. sess. 23. cap. 4. docet, in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, non requiri consensum populi; ubi Concilium appellans Episcopatum Ordinem, sicut & Sacerdotium, & alia ministeria, vult proinde ipsum esse ordinem distinctum à Presbyteratu. Rursus 1. ad Timoth. 4. Apostolus monet eum, ut nolit negligere gratiam, quæ data est illi cum impositione manuum Presbyterij; quibus verbis significat Paulus, ordinatum suffice Timothæum in Episcopum. Idem docent Concilia, quæ eodem modo loquuntur de Episcopatu, ac de Sacerdotio, illumque vocant simplicitè ordinem ut habetur in Carthag. 4. ubi Can. 2. habetur: Cùm Episcopus ordinatur, duo Episcopi ponant, & teneant Evangeliorum codicem super Caput

ejus. Similiter Anacletus Papa, epist. 3. cap. 1. dicit Sacerdotium, bipartitum esse ordinem, in Episcopos nempé, qui succidunt Apostolis; & Presbyteros, qui Septuaginta duorum Domini discipulorum locum tenent. Et quod autem Episcopatus distinguatur tantum inadæquatè à Sacerdotio, videbitur in solutione primæ object.

3 Inquires 2. *An jure divino in potestate ordinis, & jurisdictionis sit major Episcopus, quam Presbyter?* Resp. affirmativè. Est omnium Catholicorum contra Arium, Wiceliftas, Lutherum & Calvinum. Probatur ex Conc. Trident. sess. 23. cap. 4. ubi Sancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in locum Apostolorum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem pertinere, & positos esse à Spiritu sancto, ut regerent Ecclesiam Dei, eosque Superiores esse Presbyteris: & sic non homines fecerunt Episcopos, sed Spiritus sanctus. Quod confirmatur cap. 7. *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris Superiores, anathema sit.*

4 Quod etiam in potestate jurisdictionis sint maiores Presbyteris, patet Acto. 10. ubi cura, & gubernatio Ecclesiarum intelligitur pertinere ad Episcopos:

pos: *Attendit vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere. Et lumen Dei. Præterea, Episcopi succedunt immediate Apostolis, & Presbyteri Septuaginta discipulis, ut docent omnes PP. apud Bellarminum: sed jure divino Apostoli erant majores discipulis in jurisdictione, quandoquidem solis illis dixit Christus Act. 1. *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos: g. &c.* Ob hoc, post recessum Iudei, ut restituatur duodenarius numerus, assumptus est Mathias ad Episcopatum, (quem habuisset Judas si non cecidisset) non absque solemnis cæremonia, licet antea esset ex discipulis; quod denotat, Episcopos esse majores.*

5. Insuper, Apostolorum tempore Presbyteri suberant Episcopis; nam Paulus dicebat Timotheo, qui erat Episcopus: *Aduersus Presbyterium accusationem nolli recipere, nisi sub duabus, aut tribus testibus.* Beatus Ignatius in Epist. ad Philadelphenses inquit: *Boni sunt Sacerdotes, melior autem est Pontifex, cui credita sunt Sancta Sanctorum; cui soli commissa sunt secreta Dei.* D. Clemens can. 40. *Presbyteri, & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertenent; nam Do-*

mini populus illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem. Eodem modo loquuntur alii PP. Unde Bellarminus concludit, quod Episcopi non sunt in coetu Presbyterorum, quasi Consules in Senatu, ut clamat Hæretici, ut afferant regimen Monarchicalm; sed sunt ut Principes inter Subditos, quandoquidem à solis Episcopis celebrantur Concilia.

6. Noster Boybin tertia parte Theologiae positivæ de memb. Ecclesiæ cap. 1. q. 8. proponit ex D. Thoma 2. 2. q. 185. Octa articulos, seu difficultates circa Episcopos. Quærit Primo, utrum liceat Episcopatum appetere? Quærit 2. an liceat Episcopatum sibi injunctum omnino respuere? Quærit 3. an ad Episcopatum assumptus debeat esse ceteris melior? Quærit 4. an liceat Episcopo curam Episcopalem deserere, ut ad Religionem se transferat? Quærit 5. An liceat Episcopo gregem sibi commissum deserere tempore persecutionis? Quærit sexto, an Episcopi possint habere aliquid proprium? Quærit 7. an peccent Episcopi, non largiendo pauperibus bona Ecclesiastica, quæ post congruam sustentationem supersunt? Quærit denique 8. an Religiosi, promoti ad

Episcopatum, teneantur ad observantiam suarum regularum? Qui solutiones desiderat, videat S. Doctorem, & nostrum Boybin citatos; quia nobis non licet in omnibus immorari.

QUÆST. V.

AN POTESTAS JURISDICTIONIS EPISCOPORUM DERIVATUR IMMEDIATE A SUMMO PONTIFICE?

NON est controversia de potestate ordinis, sive Sacerdotalis, sive Episcopalis a quatum prima habet posse consecrare, & sacrificare, in qua convenit cum simplici Sacerdote; nam tanta est in quovis simplici Sacerdote potestas consecrandi Corpus Domini, quanto in Episcopo, ipsoque Summo Pontifice: a secunda habet, posse exire in actus proprios Episcorum, ut conferre Sacros Ordines, consecrare Chrisma, & Baptizatis Sacramentum Confirmationis ministrare, &c. Utraque immediate a Christo D. recipitur; requirit enim characterem qui in Sacramento Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis recipitur; & Sacramentum fuit a Christo Domino immediatè institutum. Quæstio igitur tanquam est de authoritate, seu po-

testate jurisdictionis, à quo communicetur immediate in Episcopos, utrum scilicet a Summo Pontifice sit, qui illam communicet immediatè Episcopis; an vero a Christo illis immediate conferatur; ita quod Christus instituens statum Episcopalem, qui est de jure divino, jussit Petro, & successoribus consecrare tot Episcopos, quod necessarij videntur ad gubernandos fideles, & pro tunc ipsis consecratis, transiret ad illos Episcopalis jurisdictione ex Christi institutione?

2 Circa quam difficultatem quidam Apostata, Marcus Antonius de Dominis vocatus, dixit ordinem Episcopalem secum trahere totam, & plenam potestatem jurisdictionis, ita quod Episcopi non habeant jure divino coarctatam jurisdictionem ad proprias Diceceses, neque Romanus Pontifex aliquid supra Episcopos obtineat; sed sicut ipse succedit D. Petrus, ac jurisdictionem immediate a Deo recipit, sic pariter de Episcopis concludit.

3 Plures etiam DD. Catholicæ docent, clavem ordinis, & clavem jurisdictionis esse immediatè a Christo in Episcopis; verum differunt ab Apostata, quia ipsi recognoscunt, Romanum Pontificem esse Princi-

cipem , & Caput in universa Ecclesia , eique jurisdictionem Episcopalem esse subordinatam , adeo ut non possit in actu secundo exerceri , nisi dependenter à Papa . Communior tamen inter Catholicos est , Papam esse fontem totius jurisdictionis Ecclesiastica , ceteris Pralatis communicata , adeo ut in illis sit à Papa immediatè , immediatione suppositi , & à Christo D. immediate , immediatione virtutis , sed mediante supposito sui Vicarij . Sed ut hoc plenius intelligatur .

4 Est advertendum , quod omnis potestas Ecclesiastica , sive ordinis , sive jurisdictionis est immediate à Deo , si consideretur in se , & ut abstrait à subiecto ; nam utraque potestas est supernaturalis , & nihil Supernaturale potest esse ab homine ex se . Etiam est advertendum , statum Episcopalem fuisse a Christo D. institutum , ut patet ex 1. ad Ephes. & 1. ad Cor. 12. ubi dicitur , Deum Pastores , & Doctores Ecclesiarum prvidisse usque ad confirmationem seculorum ; quod intelligitur maximè de Episcopis : unde etiam Act. 20. habetur : „ Spiritus sanctus posuit „ Episcopos regere Ecclesiam . Advertendum est etiam , Christum non solum Petrum elegisse , sed & alios Apostolos , qui-

bus potestatem dedit prædicandi , baptizandi , ligandique , & solvendi , tum ante passionem suam , tum post illam . Insuper est advertendum , nullus limites esse à Christo præscriptos istius Apostolicae potestatis , sed in universum orbem fuisse extensam , Matth. ult. „ Docete „ omnes gentes ; & Marci ult. „ Prædicate Evangelium omni „ creaturæ . Unde in qualibet orbis parte Ecclesias erigere poterant , & illis præficere Pastores . Hoc utique necessarium erat ; quia ad unum non faciliter recurritur , & Evangelij prædicatio retardata fuisset , si ex omnibus Provincijs , ubi erant Ecclesiae erigenda , & Pastores instituendi , recurri debuissent ad Petrum . Supponendum est etiam , hanc potestatem in Petro fuisse ordinatam , postquam institutus fuit in caput Ecclesie , paulo ante Ascensionem dicente illi Domino , „ Pasce oves meas , Joann. 21. & consequenter transiit hæc potestas ad Successores ; in ceteris vero Apostolis fuit extra-ordinaria ; unde successores non haberent , alias isti haberent jurisdictionem in universam Ecclesiam , ut Apostoli , quod falsum est , & mittere valerent . Prædicatores ad conversionem infidelium propria authoritate , &c. quod est solius Summi Pontificis .

5 Notandum est insuper, quod constituta Ecclesiae forma, Apostoli non passim usi fuerunt sua autoritate extraordinaria; immo remansit solum ordinaria in Petro, maximè post Ascensionem Christi, & cæteri Apostoli cœperunt habere auctoritatem Episcopalem limitatam ad certas Ecclesias, sive fuerint ordinati ante Ascensionem Christi per ipsum Christum, ut aliqui volunt; sive tantum aliqui, & alij per Petrum; sive omnes denique à Petro, & solus Petrus à Christo, et est verisimilius, ut vult Cardinalis Alexandrinus Joannes Antonius, super caput, in nono dist. 21. „Petrus factus fuit „solus Episcopus à Christo an- „„te Ascensionem, & Petrus „„solus Episcopus fecit Joannem Episcopum; deinde Petrus cum Joanne consecrato „Episcopo Jacobum Zebedei „Episcopum fecit. Hoc idem Cardinalis à Turrecremata sustinet tanquam opinionem SS. Patrum, quam probat novem rationibus lib. 2. sive summa Ecclesiastice cap. 32. ubi postquam numeravit präfatas ordinationes, inquit: „Tunc Pe- „trus ordinavit, quod dein- „„ceps non ordinaretur Episco- „pus, nisi à tribus Episcopis. Hinc plures, præcipue Recen- tiores, inquiunt, quod SS.

Patres afferentes, orantes Apostolos fuisse à Christo D. ordinatos Episcopos, sunt explicandi benignè, hoc est, non immediate, sed per Petrum, cui commissit talem ordinationem ob necessitatem Ecclesie. Videatur Boybin de Summo Pontif. quest. 7. & Mathæuc Theolog. dogmatica, controv. 4. cap. 3. n. 13. His igitur præmissis, sit.

6 Conclusio nostra. Potestas jurisdictionis in Episcopos derivatur immediatè, non à Christo, sed à Summo Pontifice. Ita Alexander de Ales, Alver- tus Magn. D. Thomas, S. Bonaventura, relati à Turrecremata, in cap. omnes 22. dist. quod & ipse defendit ibi, & in Summ. de Eccles. lib. 2. cap. 54. & plures alij apud nostrum Matthæucum Opere dogmatico controv. 6. cap. 8. n. 3.

7 Probatur 1. Ex cap. de- creto secundo quest. 6. in quo Gregorius IV. omnibus Episcopis scripsit: „Romana Ecclesia „vices suas ita alijs imperti- „tut Ecclesijs, ut in parte sint „vocatae sollicitudinis, non „in plenitudinem potestatis. Ubi ponderanda sunt illa verba: *Ita alijs impertitur Ecclesijs;* nam illis ostenditur, ju- risdictionem Episcopis collatam esse non immediate à Chris- to, sed ex concessione Ecclesie.

Romanæ. Etiam debent considerari hæc alia verba: *vocatæ impartem*; nam si Romana Ecclesia vices suas impertitur alijs Ecclesijs, eas vocando in partem sollicitudinis, seu Curæ Pastorali, commitendo, scilicet, Episcopis regimen particularium Ecclesiæ, optime constat, ipsatum Ecclesiæ Prælatos potestatem regiminis accipere à Romana Ecclesia. Concordat textus in capite *multum 3. quæst. 6.* ubi habetur: *Vices enim nostras ita tuae credidimus charitati, ut in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Quibus Leo Papa redarguit Anastasium Episcopum Thessalonensem, quia depositit suum suffraganeum: quando depositiones Episcoporum sunt de reservatis Romano Pontifici, prout capite *Divinis de pœnis inter eom. & Tridentinum cap. 5.* sess. 25. de reformat. statuit, majores causas Episcoporum esse à solo Romano Pontifice cognoscendas: cuius manu est commissio signanda, quando causa sit extra curiam committenda; & tunc ei sententia definitiva reservatur. Quo circa Episcopi injustè depositi, & gravati ad Petri sedem, tanquam ad fontem jurisdictionis configiunt, & ex toto Orbe, in sigum superioritatis ad

Summ. Pontificem sicut appellations, ut poste à dicemus.

8. Prædicti verò Canones intelligi non possunt de potestate ordinis; quia in ista Episcopi coæquantur Summi Pontifici; de qua potestate loquitur textus in capite *in novo 21.* dist. Cæteri verò Apostoli cum codem (Petro) pari consortio honorem, & potestatem acceperunt: Ergo supereft, ut de potestate jurisdictionis sint necessario intelligendi; in qua Episcopi sunt Pontifice inferiores, ut optime Aug. lib. 2. de Baptismo, contra Donatistas cap. 1. relatus etiam in cap. Petro 2. q. 7.

9. Probatur 2. Conclusio, omnes Ecclesiæ, & dignitates fundavit Sedes Pontificia: g: ab ipsa in omnes Prælatos Ecclesiæ jurisdiction derivavit: Fundamentum enim est principium, & origo totius ædificij, cap. *cum Paulus 1. q. 1.* Unde Turramata in cap. *omnes* dist. 22. n. 3. dixit: *Nullus creditum dubitare debet, quin potestas jurisdictionis omnium Prælatorum, non modo quoad executionem, sive usus amplitudinem, ut quidam fingere voluerunt, sed etiam quantum ad substantiam potestatis dependeat à Romana Ecclesia, à qua etiam omnes principium sumptusse dicuntur.* Antecedens patet, tumq;

tum ex d. cap. omnes, in quo hæc sunt : *Omnes sive Patriarchij eiuslibet apices, sive Metropoleon, Primatus, aut Episcopatum Cathedras, instituit Romana Ecclesia.* Tum ex const. Non mediocri 15. in Bullat. tom. 1. ab Eugenio IV. directa Archiepiscopo Cantuariensi, ibi 9. *Omnes Patriarchales, Archiepiscopales, Cathedrales; aliasque dignitates Romana fundavit Ecclesia, sicutque licuit, uni Ecclesiæ amplam, alijs amplioram, & alijs amplissimam, prout expedire judicavit, tradidit postatem.* Omnes enim, tanquam unius arboris rami, ab una, eademque radice, & ut diversi aquarum rivuli ab eodem fonte prodierunt, licet unus alio copiosior, atque uberior. Tum etiam ex Ep. Innocentij I. ad Patres Concilij Carthaginensis in causa Pelagij inter Augustinianas 181. ibique, ad nostrum referendum approbatis esse iudicium scientes quid Apostolicae Sedis debeatur, à quo ipse Episcopus, & tota authoritas nominis hujus emersit. Et infra: *Indeque fumerent ceteræ Ecclesiæ (velut de natali suo fonte) aquæ cunctæ procederent.* Ubi notandum est, quod Episcopi, quibus Papa scripsérat, epistolæ non restiterunt.

10. Probatur 3. Communis est sententia Patrum, jurisdic-

tionem Episcopis à Papa immediate communicari : g. &c. Probatur antecedens. Dionys. Areopagita de Eccles. hierarch. dixit : *Ab ipso Hierarcha in omnes Hierarchiæ personas descendere irradiationis profusum.* Papa autem est supremus Hierarcha in Ecclesia : g. &c. Tertullianus in scorpiaco contra Gnosticos : *Si adhuc Cœlum putas clausum, memento claves Dominum Petro, & per Petrum Ecclesiæ reliquisse.* Optatus Milevitanus lib. 7. contra Parmenian. Beatus Petrus claves Regni Cœlorum communicandas ceteris solus accepit. ubi notetur illud *solutus.* Augustinus tr. 188. in Joann. n. 4. *Petrus cum, & illud (tu es Christus filius Dei vivi) unus pro omnibus, dixerit, & hoc (tibi dabo claves Regni Cœlorum) cum omnibus, tanquam personam gerens ipsius unitatis accepit.* Serm. 295. de Natali Apostolor. lib. 1. *Solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam; propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gerebat, audire meruit: tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ. Quasi diceret, cum Christus D. sciret unum ad totum gregem pascendum immediate, & per se ipsum imparem esse, plu-

plures voluit ejusdem sui operis Rectores; sed quia eorum multitudo Anarchiam, & Democratiam inducere poterat, nisi unus præficeretur, qui reliquos in officio contineret, Petrum instituit, ut centrum unitatis Ecclesie; eique Claves dedit, ut ceteris Prælatis ipse, ejusque subinde Successores communicarent.

Accedunt Testimonia Doctorum. D. Thomas 4. contra Gentes cap. 76. „ Soli Petrus, ait, promisit: tibi dabo claves Regni Cœlorum, ut ostendetetur potestas clavium per eum ad alios deripiendam, ad conservandam Ecclesie unitatem. Doct. Subtilis in 4. d. 19. §. de quinto. Nullus, inquit, inferior Papa auctoritate propria possit excommunicare, adeoque quilibet inferior excommunicatus ex commissione illius, cui tenetur omnes alij obediere. Gersonius de statibus Ecclesie tit. de stat. Prælatorum considerat. 3. ait: „ In Pontificem esse plenitudinem fontalem auctoritatis. Hæc omnia confirmant verba, quibus utitur Pontifex in creandis Episcopis: „ Providens Ecclesie N. de persona N. & præficiens eum in Patrem, & Pastorem, & Episcopum, talis Ecclesie, committentes

Tom. III.

„ ei administrationem in temporaliibus, & spiritualibus, „ in nomine Patris, & Filii, „ & Spiritus Sancti, amen. 12. Probatur denique nostra conclusio aliquibus rationibus; sed præcipua, & maxima hæc est: Regimen Ecclesie non est Aristocraticum, nec Democraticum, sed Regium, & Monarchicum, ut supra diximus, & ex infra dicendis amplius constabit; nam Christus uni Petro dixit: Pase, hoc est, Reges oves meas: sed hoc est peculiare in regimine Monarchico, ut suprema potestas in uno Principe sit, & ab eo, tanquam à fonte jurisdictionis ad inferiores dimanet, adeo ut tantum alij possint, quantum ab illo eis committitur; ita in Regno tantum possunt Principes sub Rege, circa gubernium Regni, quantum à Rege illis conceditur: Ergo tantum in Ecclesia possunt Episcopi sub Romano Pontifice, quoad jurisdictionis usum, quantum illic à Pontifice committitur, ut habet D. Thom. 4. dist. 19. q. 1. art. 4. questiuncula 3. ubi ait: „ Papa habet plenitudinem Pontificalis potestatis, quasi Rex in Regno: Episcopi vero assumuntur in partem solitudinis, quasi Ju-dices singulis Civitatibus praeserti. Unde Cyprian. de

Unit. Eccles. Sedem Petri comparat arbori , fonti , & Soli: Ergo sicut radij à Sole , Rivi à Fonte , Rami ab arbore , vigorem accipiunt , ita Episcopi ex divina dispositione à Romano Pontifice firmum suæ jurisdictionis vigorem obtinent. Alia ratio desumitur ex Numer. 11. ubi cum solus Moyses non posset totum regere populum, Deus jussit adesse septuaginta Seniores , & auferens de spiritu Moysis dedit illis , ut una cum Moyse populum regerent ; ubi per istam ablationem spiritus à Moysi , non intelligitur ex Augustino quæst. 18. in lib. Numeri diminutio spiritus Moysis , sed derivatio virtutis seniorum à virtute Moysis.

13 Arg. i. Paulus Actor. 20. expressis terminis asserit, Episcopos habere jurisdictionem immediate à Deo. Probatur: Affirmat Episcopos esse à spiritu sancto præpositos regimini Ecclesie: *Attendite, inquit, vobis, Et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* At regimen non est sine jurisdictione: Ergo à quo immediate sunt ad regimen constituti , ab eodem jurisdictionem accipiunt. Confirmatur. Idem Paulus ad Ephes. 4. scribit: „Et ipse (Christus) noster dedit quosdam quidem Apostoli

, tolos, quosdam autem Prophetas , alios vero Evangelistas , alios autem Pastores , & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus Ministerij , in edificationem Corporis Christi : Hoc est, eos ministros dedit Ecclesia, ut gregem Christi regerent: Ergo cum jurisdictione , quæ ad regendum est opportuna.

14 Respond. neg. antecedens: & probatio intelligenda est mediante jurisdictione illis tribuenda , & determinanda à Romano Pontifice. Quod evidens est: nam , aut nomine Ecclesie venit Ecclesia Universalis respectu singulorum Episcoporum , adeò ut quilibet Episcopus sit positus à Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Universalem ; & hoc esse non potest , quidquid dixerit Spaniensis. Etenim potestas regendi Ecclesiam Universalem est data soli Petro , & Romanis Pontificibus illius Successoribus ; quibus solis dictum est: Pasce oves meas ; & definitum est in Florentino. Alioquin tot essent Papæ , quæ sunt Episcopi , contra veritatem Catholicam , & Unitatem Ecclesie. Vel nomine Ecclesie intelliguntur omnes particulares Ecclesie, adeò ut quilibet Episcopus positus sit immediate à Spiritu Sancto ad regendam suam

suam Ecclesiam particularem, ut ita omnes collectivè concur-
rant ad regimen Universalis Ecclesiæ; & hoc similiter est
falsum, quia Christus populos Apostolis non divisit, sed om-
nes universaliter missi sunt in
universum mundum. *Euntes in mundum universum*, Marc.
16. & multò mihi Episcopis eorum Successoribus, sed illis
dixit, Matth. ult. *Docete omnes Gentes, baptizantes, &c.*
Marc. ult. *Prædictate Evangelium omni creature.* Joan. 20.
Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: quorum remiseritis peccata, &c. Ergo nec nos debemus hanc limitationem singe-
re, & divisionem jurisdictionis fuisse factam immediate à
Christo, cum ex Evangelio haberí non possit: nam nulla li-
mitatio, aut quoad subditos,
aut quoad casus ibi legitur. Et proinde Episcopi constituti
sunt à Spiritu Sancto ad regi-
men Ecclesiæ mediante juris-
dictione, quæ singulis tribui-
tur, & præsinitur ab Ecclesia
Romana. Collatio enim potes-
tatis debet esse certa quantum
ad casus, & quantum ad terri-
torium, alias habens talēm
potestatēm nesciret, quid age-
re deberet, aut in quem, sive
super quo, aut quantum sua
authoritas se extenderet.

15 Ad confirmationem ref-

pond. Authoritas Pauli probat, quod ordo, & dignitas Episcopalis sit à Christo instituta, ac Episcoporum jurisdictione in genere, & secundum se ab ipso profluxerit, & sit de jure Divino, quod non inficiatur: Christus enim nedium ele-
git Petrum, sed etiam voluit, alios Pastores esse in Ecclesia, Verum quod hic, vel ille sit hujus gregis Pastor, & jurisdictione in individuo sit in hac, vel illa persona, voluit dependere à Pontifice, quem Caput, & fontem jurisdictionis consti-
tuit. Considerandum est, quod aliud est instituere potestatēm, & aliud instituere aliquem in tali potestate. Primum à Chris-
to institutum est, non verò se-
cundum, (exceptis Apostolis), sed voluit potestatēm ordinariam huic, vel illi dari à Pon-
tifice: Omnes enim Episcopi erant radicaliter in Petro, tan-
quam in fonte, & Capite, &
Principe Episcopatus, à quo emanare debebat illorum juris-
dictione ordinaria.

16 Dices. Si non esset juris-
dictione Episcopalis immedia-
tē à Deo, sed à Papa, esset
revocabilis dignitas Episcopali-
s, cum sua jurisdictione; ab
eo enim quis destitui potest, à
quo institutionem accepit, cap.
Salonitate 63. dicit. & ita pos-
set Episcopos omnes sua juris-
dic-

ditione privare , & prohibere
ne actus jurisdictionis exerce-
rent. Hoc autem est absurdum,
& contra jurisdictionem , &
Ecclesiæ praxim : g. &c.

17 Respond. neg. sequela.
Non enim potest a Papa fieri,
ne Episcopi sint in Ecclesia,
cum à Christo , ut dictum est,
ordo Episcopalis institutus sit;
nec efficere , ut functiones cor-
cernentes potestatem Ordinis
sint invalidæ , & nullæ , quan-
vis possit sub pena suspensi-
onis prohibere aliquibus ne il-
las exerceant , adeò ut illicita,
quavis valida , sit administra-
tio : potest tamen impedire,
limitare , & auferre munera ju-
risdictionalia , quæ cum ex Pa-
pa commissione dentur , & non
ex sua consecratione illa for-
tiantur , sunt sub Superioris
potestate. Ceterum omnes si-
mul jure non potest à jurisdictio-
nē amovere ; hoc enim esset
contra regimen Ecclesiæ : nam
Christus instituit Episcopalem
potestatē , & Petro , & Suc-
cessoribus ipsius commisit , ut
instituerent aliquos homines in
tali potestate ; eis tamen non
dedit ius ad libitum eos amo-
vendi ; nec id umquam censue-
runt Romani Pontifices : im-
mó semper intenti fuerunt in
defendendis Episcopis. Et si
aliquando ab aliquo , vel ali-
quibus abstulerint potestatem

jurisdictionis , id fecerunt prop-
ter crimina eorumdem , per quæ
merebantur tali potestate pri-
vari. Verum , quod omnes si-
mul talia crimina admittant ,
est moraliter impossibile.

18 Hinc notabis , Papam
non posse jure prohibere , ne
ullus consecretur Episcopus , nec
consecratis simul omnibus , eam
potestatem subtrahere , quæ ne-
cessario est ad pascendas oves
eis commissas ; nam potestas
Papæ est in ædificationem , non
in destructionem. Prohibere au-
tem , ne consecrentur Episcopi ,
vel consecratos simul omnes ju-
risdictione privare , & à bene-
ficio deponere , est Ecclesiam
destruere , quia est facere , ut
simul tota Ecclesia omnibus
Episcopis , saltem quoad juris-
dictionem , careat. Quibus om-
nibus simul deficientibus , vel
quantum ad actus jurisdictiona-
les depositis , nequeunt Sacra-
menta commodè ministrari , &
populus fidelis sufficienter ins-
trui : Proindeque Papa cui data
est cura generalis omnium Ec-
clesiarum , ita à Divina assis-
tentia regitur , ut Episcopos in
partem Sollicitudinis assumat ,
eos particularibus Ecclesijs præ-
ficiendo ; nec ad libitum depo-
nat , sed eos solùm , qui suis
criminibus se reddunt adminis-
tratione indignos.

19 Arg. 2. Si Episcopi ju-

jurisdictionem accipiunt à Papa, duo incommoda sunt inevitabilia. *Primum*, quod Episcopi in suis Diœcesibus non sint Ordinarij, & Ministri Christi; sed Vicarij, & Ministri Papæ, & Papæ coadjutores. *Secundum*, quod in Concilijs generalibus Episcopi non Judices, sed sint commissarij, & delegati Papæ; in eis enim à Papa jurisdictionem acciperent, ut possent suam sententiam dicere. Quæ sunt absurdæ, & contra sensum Patrum; qui Episcopos appellant oculos Ecclesæ, Patres populi, Vicarios, & Ministros Christi, cum ordinaria potestate in suas oves.

20 Respond. neg. sequela. Nec sequitur primum incommodum, quia potestas Episcopis per se perpetuò conceditur, ideo non est delegata, sed ordinaria. Quod patet in Parrocho, qui habet potestatem immediate ab Episcopo, & tamen non dicitur delegatus, eo quod curam illam accipit, non pro tempore determinato. Dicitur per se, quia per accidens, propter crimina possunt Episcopus, & Parrochus privati beneficio. Alia ratio est apud Macedo: „Potestas Episcopalis, ait, in „radice divina est, cum natus „tur ordine divino à Christo „instituto; siveque spiritualis, „& sacra non humani juris,

„fed divini. Quare etsi in me „diate à Pontifice, conferatur, „non confertur ab eo, tan- „quam à persona humana, sed „tanquam à Christi Vicario, „& Dei personam gerente: igi- „tur, cum datur, nomine di- „vino datur, non humano; „atque adicō non est delegata, „sed ordinaria, quod etsi ab „homine datur, ea tamen non „est humana, sed sacra, & „& ordinis alteris, cuius Pon- „tis ex non est Dominus, sed „administrator. Hac ille. Et quia prudens administrator pe- test ob criminā tam revocare. Inde patet Episcopos esse Mi- nistros Christi, quippe à Pa- pa habent jurisdictionem, qua immeiatē ministrent Christo, regendo fideles Christi sibi cre- ditos; sicut Parrochus est mi- nister Christi (vel minister sub ministro) & tamen ab Episco- po habet jurisdictionem. Et quando à Papa Episcopi ad- mituntur in adjutorium, & so- licitudinis partem, sic eos re- nuntiat, ut Ecclesiarum sua- rum quoque Dominos, & Principes efficiat, & ovibus suis jus quoque ex impartiali autho- ritate dicant: sicut Christus instituit.

21 Dicuntur Episcopi occu- li; quia ordinati à Christo, ut sub capite portionem Ecclesiarum sibi ab eodem determinata in-

gubernium. Quibus in hoc sensu dicitur demandata cura universalis Ecclesia, quatenus cui libet est demandata sua portio, vel particularis Ecclesia à Pontifice commissa, quæ bene gubernata in bonum cedit totius Ecclesia, male vero, in detrimentum: quælibet enim Ecclesia particularis, est membrum Ecclesie universalis. Nec quilibet Episcopus est Vicarius Christi absolute, & cum plenitudine potestatis in totam Ecclesiam; sub hac enim ratione est solus Romanus Pontifex; sed Episcopus dicitur Vicarius Christi, quatenus nomine Christi, auctoritate ab eo instituta, & à Pontifice recepta Ecclesiam particularem administrat.

22. Neque pariter negotiorum faciens secundum incommodum; quod Episcopi non à Christo immediate immediatione suppositi, sed à Papa jurisdictionem accipient condendi in Concilijs Canones, & decidendi (sed non ultimata) controversias fidei, ut Gravina tr. 4. Catholic. prescript. p. 2. disp. 1. q. 2. art. 7. Ubi observat, quod esto interveniendi Concilijs cum jurisdictione facultas sit à Christo in genere concessa, specificandam tamen, & individuandam voluntate ex Romani Pontificis dis-

positione. Ita discr imen ponit inter Episcopos, & Abbates, & Generales, quod isti habent solum jurisdictionem delegatam, quia ex pura commissione, & privilegio; non ita Episcopi, quia sunt in gradu constituti, cui in radice debetur jurisdictione regiminais ordinaria; ipsique ex vi consecrationis in genere habent potestatem, quæ postea illis actu, & in specie tribuitur, cum à Pontifice præficiuntur, illisque demandatur, & præcipitur, ut Synodis intersint; ut, qui particulares sunt Doctores suarum Ecclesiastarum, & judices, & testes sint Traditionis. Ex illa vero elevatione, sub Romano Pontifice omnium Jadicem, & Magistro, ut Judices, & Magistri subordinati causas judicant ad totam Ecclesiam pertinentes.

23. Dices: Concilium Constantiense definit, Concilium Generale habere immediate à Christo potestatem. Respondent Doctores, hoc esse verum tempore Schismatis, ubi Papa est dubius. Verum ea de re nulla proprie est edita definitio, per dicenda infra.

*** *** ***

QUÆST.

QUÆST. VII.

IN QUA RESOLVUNTUR
aliqua quæsta circa Mo-
nachos, & alios Re-
ligiosos.

1 **N**otandum est 1. quod apud Græcos quinque nominibus vocati fuerunt Monachi. Dionysius enim cap. 6. Eccles. Hierarch. vocat eos suo idiomate *Cultores*; quia plus ceteris Deum colunt, & animam, quam à vitijs purgant, & ornant virtutibus. D. Basilius appellat eos *pugiles*, seu Excitatores; quia tota eorum vita consumebatur in exercitatione virtutum. Philo ipsos nominat *supplices*; quia præcipuum munus illorum erat orare, & laudare Deum. Chrysostomus eosdem nuncupat *Philosophos*; quia cumdem locum tenent apud Christianos, quem apud ethnicos habebant Philosophi, qui erant severi contemptores temporalium, & toti studio sapientiæ se applicabant. Cum immuniter denique eos vocabant *Monachos*, sicut & Latini faciunt. Quid autem intelligatur nomine *Monachî*, D. Hieronymus dicit, propriissime convenire solis Eremitis; sed melius est, si dicatur, adaptari illis omnibus, qui à con-

jugijs, à parentum consortio, & à conversatione mundana se separant, ut soli Deo inhærent per contemplationem: & sic soli Cassinenses, Cistercien- ses, Carthusiani, Camaldulen- ses, & similes alij vocantur Monachi; & non Franciscani, Dominicani, Augustiniani, & Carmelitæ, qui non solum contemplationi, sed & actioni va- cant, ut adjuvant Episcopos, & Pastores in Confessionibus, & Concicibus. Iste autem vo- cantur Regulares, quia certæ vivendi regulæ addicti sunt; & Religiosi, quia se totos obse- quio Dei manciparunt, & Reli- gionis est virtus, qua Deo debitus cultus redditur.

2 Notandum est 2. quod Religionis est status, & congrega- tio hominum, qui tendunt ad perfectionem per vota pauper- tatis, continentiae, & obe- dientiae. Perfectio enim Chris- tiana consistit in hoc, quod creatura intellectualis conjun- gatur cum suo ultimo fine, qui est Deus; sed vota Religionis nos perfecte conjungunt Deo, quandoquidem tradimus ipsi animum per obedientiam, cor- pus per continentiam, & res ex- ternas per voluntariam pauper- tam: & sic Religionis potest dici status eorum, qui tendunt ad perfectionem christianam, quæ tota consistit in charitate, juxta illud

illud Pauli ad Colossens. 3. Charitas est vinculum perfectio-
nis, Insuper nota ex D. Thoma,
quod charitas, seu perfectio ha-
bet quatuor gradus, quorum
primus est diligere Deum quan-
tum est diligibilis; & sic solus
Deus se amat. *Secundus* est di-
ligere Deum quantum potest
creatura illum diligere, ita
quod semper de Deo cogitet
actu, & sine intermissione in
eum se ferat per affectum: &
in hoc gradu Beati Deum dili-
gunt. *Tertius* est diligere Deum
quantum creatura mortalis po-
test diligere, a se removendo
omnia impedimenta amoris di-
vini, & se consecrando totam
Dei obsequio: & hic gradus
potest dici competere Religio-
sis. *Quartus* charitatis gradus
est Deum diligere, non intensi-
ve, sed appretiativè, ita quòd
Dei amor præferatur cæteris re-
bus, & nihil admittatur contra-
rium dilectioni divinæ, & in
hoc gradu, qui est imperfec-
tior præcedentibus, omnes
Christiani tenentur Deum dili-
gere. Nota insuper, quod non
sufficit ad religionem habere
tres virtutes supradictas, nisi
accedat votum, & promissio
Deo facta, qua quis se obstrin-
get perpetuo ita victurum. Re-
ligio enim est status quidam,
& status rem immobilem, &
perpetuum significat; & sic mul-

ti sunt perfecti, qui non sunt
in statu perfectionis; & multi
sunt in statu perfectionis, qui
non sunt perfecti; qui enim ha-
beret, & custodiret vota Reli-
gionis, cum potestate retroce-
cendi, quando libuerit, esset
perfectus; sed non esset Reli-
giosus, seu in statu Religionis:
quia deficeret immobilitas.

a Notandum est 3. quod
proprie loquendo sunt tria tan-
tum Religiosorum genera; jux-
ta tres modos diligendi Deum,
& illi serviendi. Potest enim ob-
sequium præstari Deo, vel per
contemplationem, vel per actionem,
vel per conjunctionem con-
templationis cum actione; & sic
sunt tria Religiosorum genera,
quorum primum profitetur vi-
tam contemplativam solum, se-
cundum profitetur vitam activam,
& tertium profitetur vitam mixtam. Qui primam vitam du-
cunt dividuntur in plures for-
mas, quoniam alij sequuntur
instituta Antonij, Pachomij,
Basilij, Benedicti, & Sancti
Brunonis. Qui vitam activam
ducunt, dividuntur in tot for-
mas, quot sunt gradus Chari-
tatis; ita quòd Ecclesiam armis
protegendo Deo inserviant, ut
patet de Equitibus Hierosoly-
mitanis, sancti Jacobi, sancti
Joannis, &c. Qui profiten-
tur vitam mixtam actione &
contemplatione, militant sub
Sanc-

Sancto Francisco, S. Dominico, S. Augustino, &c. & sic patet, quod Religiosorum alij sint pure contemplativi, alij activi, & alij mixti. Advertit hic Bellarminus, quod Religiosi non semper indiquerint confirmatione suæ Religionis per Summum Pontificem; antiqui enim fundatores veterum Religionum, quales erant Antonius, Basilius, Benedictus, & similes, nullam leguntur quæ sive approbationem à Pontifice. Sed cum pauperes de Lughduno circa ann. 1170. ordinem quemdam religiosum instituissent multis hæresibus admixtum, damnati fuerunt à Lucio III. & Alexandro III. successore: Ideo institutores ordinum Recentiorum, ut v. g. Franciscus, & Dominicus, ne sibi quid simile accideret, impetrarunt confirmationem suarum regularum. Et paulo post Innocentius III. in Concilio Lateranensi prævidens periculum, quod imminebat Ecclesiæ, si quilibet posset instituere ordinem inconsulto Pontifice, prohibuit, ne Ordo novus institueretur, quin accederet confirmatio Pontificis: & antiquæ Religiones fuerunt etiam postea à Pontificibus approbatæ, & confirmatæ.

4 Notandum est 4. hereticos tria mendaciter proferre

Tom. III.

1. quod, scilicet, Monachi, & Religiosi incooperint post annum Christi trecentisimum, ita ut nulli extiterint ante Antonium, Macharium, & similes. 2. Quod primi Monachi vitam eremiticam duxerint metu persecutionum, vel ut imitarentur pravam Essenorum consuetudinem. Tertio, quod Monachi hujus temporis nihil habeant commune cum illis antiquioribus, qui solitudinem amplexati sunt. Contrarium sufficienter probant Catholici; quod, scilicet, ante Antonium & Macharium monachi fuerint: quod tales vita coluerint religiosam, non ex malâ, aut prava imitatione; sed ob desiderium perfectionis: quod denique Religiones hujuscem temporis eadem fuerint in essentialibus, ac veteres illæ.

5 Primo, inquam, non cœperunt religiones cum Antonio, quando quidem etiam in lege naturæ fuit quedam religionis adumbratio, quæ magis expressa fuit in lege Mosaiica, & longe perfectior tempore Apostolorum. In lege, inquam, naturæ Gen. 4. dicitur de Enos, *iste cœpit invocare nomen Domini*, quod intelligi debet de aliquo cultu extraordinario; quoniam ante Enos, Adam, Abel, & Seth Dominum invocabant. In ve-

Kk

teri

teri testam. Numer. 6. Nazarai se totos consecrabant Domino. Elias, Eliseus, & filii Prophetarum sine ucribus, & divitijs vivebant in hoc mundo. Unde Hieronymus ad Rusticum vocat eos Monachos veteris testamenti. Idem habetur de filijs & nepotibus Rechab, qui Jeremias 35. vivebant sicut Monachi nostri. Tandem Joannes Baptista à Patribus vocatur Monachorum, & Eremitarum princeps, præsertim à Chrysostomo hom. 1. in Marc. „Sicut inquit Sacerdotum principes sunt Apostoli, sic Monachorum Princeps est Joannes Baptista. Quoad tempora quæ successerunt Apostolis, fuerunt Monachi ante Antonium; quoniam Athanasius in vita Antonij scribit, quod essent Monachi, qui in agris vicinis civitatibus Monasteria sua constituebant. Damasus etiam Papa dicit, Dionysium ex Monacho factum fuisse Summum Pontificem: Dionysius autem ille assumptus est ad Pontificatum ann. 266. & sic ante Antonium erant Monachi. Quod confimat Dionysius Areopagita, qui scribit Epistolam ad Demophilum Monachum.

6. Secundo, ex occasione persecutionum non est exorta vita Monachorum; licet enim Paulus primus Eremita perse-

cutionis occasione solitudinem colere coepit, tamen Antonius ex solo studio purioris vitae formam duxit eremiticam. Unde licet Paulus ipsum Antonium præcesserit, non tamen vocatur eremitarum princeps; quia non habuit ipse discipulos, quos in vita eremitica instrueret, bene autem Antonius. Tertio, essentia vita Monastica religiosorum hujusce temporis est eadem ac antiquorum; quia essentia vita religiosa tunc temporis in tribus virtutibus consistebat, nempe in obedientia, paupertate, & castitate; quæ virtutes frequentantur a nostris. Quod etiam Antiqui Monachi habuerint Cucullas, habitum Monasticum, Psalmiodiam, jejunia, ciborum delectum, & similia; probari potest ex Epiphanio in compendaria doctrina, & ex Cassiano lib. de Institut. Cœnobiorum.

7. Inquires 1. *Quis fuisset primus author status Religiosi?* Respond. Quoad essentialia Religionem constituentia, fuit Dominus noster Jesus Christus; quando discipulos suos ad amplectenda tria Evangelica consilia exhortatus est, Matth. 16. & 19. Luc. 9. Quoad accidentalia, fuerunt ipsi ordines fundatores, ut S. Pater Franciscus, S. Dominicus, S. Augustinus.

tinus, S. Benedictus, S. Basilius, &c. quocum unusquisque secundum particularem Spiritus Sancti illuminationem, suis sequacibus certas Regulas ordinaverunt, tanquam congruissimos modos ad vota essentialia facilis observanda: ut sunt corporis macerationes, abstinentia, jejunia, orationes, disciplinae, mendicitas, &c. & aliae multæ asperitates; que nec non sicut de essentia Religionis, multum tamen conferunt ad votorum observantiam, & Ordinis conservacionem.

8 Inquires 2. *Quinam fuerunt primi Religiosi?* Respond. Sanctus Thom. dicit fuisse Discipulos, & Apostolos Domini nostri Jesu Christi. Est enī communis opinio, inter Doctores, quod emiserint tria essentialis Religionis vota, quando relictis omnibus secati sunt ipsum; & ita facere, exemplo suo, alios docuerunt. *Non est ergo status Religiosus purum inventum humanum:* Hoc efficiunt hæretici, sed non sunt audiendi, cum immediate à Christo Domino institutus fuerit, laudatus, & approbatus. Hoc vitæ genus non solum Apostoli, sed & multi Christiani in principio Ecclesie amplexi sunt, ut indicat S. Lucas Act. 4. 32. his verbis: *Erat*

eorum cor unum, & anima una: neque quisquam eorum qui possidebat aliquid, suum esse dicebat: sed dividebatur singulis prout cuique opus erat. Ex quo colligitur, fideles in primitiva Ecclesia saltem, more religiosorum vixisse. Hic Religiosorum primarius status, diversimode per trecentos annos, & amplius propagatus, dilatatus, atque multiplicatus fuit: sed vicissitudine temporum, & reffrigescente Charitate paululum à primitiva perfectione defecit: & tanto facilius, quo nullus erat uniformis vivendi modus. Unusquisque perfectiones Evangelicas conabantur adipisci pro suo genio, & capacitate.

9 Inquires 3. *Quot sunt Religiosorum Ordines?* Resp. Quatuor principales Religiones recensentur sub quibus ceteræ militant. 1. Religio illa est, quæ dicitur S. Basilius ab eodem instituta sub Constantino Magno Imperatore circa ann. 350. vivente adhuc S. Antonio Abate. Quanvis jam fuerint Monasteria ædificata, directioni S. Antonij subjecta; nulla tamen erat constituta, atque determinata in scriptis, seu per scripta tradita Monachis Regula. Sanctus Basilius igitur sub Felice II. Sammo Pontifice, primus fertur dedisse Regulam in

scriptis Monachis; & pro eorum instructione, & gubernatione Sanctissimas leges extraxisse, & ordinasse. Hi religiosi primi fuerunt qui votis ad Monasticam vitam perpetuo se adstrinxerunt. Eiusdem Regulæ professores fuerunt viri sanctissimi, & celeberrimi. Inter ceteros insignes fuere, SS. Ephrem, Chrysostomus, Gregorius, Nazianzenus, Joannes Damascenus, Hieronymus, &c.

10 Secunda religio est Sancti Augustini, ab eodem circa ann. 390. fundata, sub Syricio Pontifice. Duo fuerunt instituti Ordines Canonicorum, & Eremitarum. Quinam prius? liquido non constat. Disputant accerrimè, inter se, utriusque Regulæ discipuli. Canonici Regulares ortum, & originem se trahere dicunt immediate ab Apostolis. Verum, cum eorum institutum, ab antiqua, & Apostolica perfectione recessisset, pristinę integratì ab Augustino restitutum fuit.

11 Tertia religio est S. Benedicti, qui sicut Basilius Orientalis Ecclesiaz; ita & ille fuit Occidentalis Ecclesiaz Monachorum Pater, & Patriarcha circa ann. 500. sub Symmacho Pontifice. Hic Sanctus vir à nonnullis creditur institutum S. Basilij aliquamdiu fuisse professum, pro eo quod S. Grego-

rius ait, ipsum vitam Monasticam duxisse in altissima spelunca, quæ *sublacus* dicitur, & in locum demortui Abbatis substitutum fuisse. Quidquid sit de hac re, ab omnibus communiter Monachorum Occidentalium Patriarcha habetur. Fundamentum sui Ordinis jecit in monte Cassino; & multiplicatis discipulis, brevissimo tempore duodecim Monasteria in Italia ædificavit, quæ & sanctissimis legibus communivit, pluribus in rebus Regulam S. Basilij imitatus. Inde per totum Orbem Religiosissimus hic Ordo, mirifice propagatus est, tantaque sunt, quæ de ipso in Chronicis circumferuntur, ut nec lingua, nec tempus sufficeret ad narrandum.

12 Quarta religio, est Seraphici Patris nostri S. Francisci, Fratrum Minorum communiter nuncupata: quæ incepit sub Innocentio III. circa ann. 1208. ab eodem viva voce laudata, & confirmata. Et demum ann. 1223. die 29. Novembris, ab ejus Successore Honorio III. sui Pontificatus octavo, diplomate Apostolico confirmata: cujus originale aſſervatur in Sacratio Assisiensi. Hæc Sancti Patris nostri Francisci Regula, inter quatuor reſenſitas approbata, à Christo D. revelata p̄e creditur.

QUÆST.

QUÆST. VIII.
DE OPERE MONACHO-
rum, & de illorum vietū
ex eleemosyna.

1 **A**LJ dicebant, non licere Religiosis laborare pro vietu, sed eos debere confidere omnino in Dei providentia. Sic Mef-saliani, testibus Epiphanio, & Augustino. Alij ex opposito cum Wiclepho, Guillelmo à Sancto amore, & Calvino volebant, Religiosos ex proprio labore vietum comparare; nec ullo modo mendicationem illis licere. Adversus utrosque.

2 Dicitur 1. non magis teneri Monachos ad vietum labore comparandum, quam sacerdtales. Sic D. Thomas 2. 2. q. 187. art. 3. & D. Bonaventura, lib. de paupert. Christi. Nam laborare manibus suis, vel est præceptum, vel est consilium? Si est præceptum; æqualiter obligat sacerdtales, ac Religiosos: quia præceptorum observatione necessaria est omnibus, & singulis vitam æternam ingredi cupientibus. Si vero est consilium; nullus tenetur ad illius observationem. Consilia enim non obligant, nisi eos, qui ex voto ad illa se astrinxerunt: sed Religiosi plures non voverunt illud consilium: g.

non tenentur illud observares, sicut nec sacerdtales. Quod si dicatur præceptum de laborando esse naturale: respondeendum erit, non obligare, nisi tempublicam, in qua alij debent esse opifices, alij agricultæ, alij medici, alij judices: non verò singula membra reipublicæ; nec proinde Religiosos, qui in republica habent officium orandi, psallendi, & similia faciendi.

3 Dicitur 2. quod liceat Monachis ex mendicatione vivere, ut patet ex Innocentio III. Honorio III. Greg. IX. Innoc. IV. Alex. IV. Nicolao IV. & alijs Pontificibus, qui vitam Religiosorum mendicantium, tanquam Sanctam, & perfectam approbarunt. Quod autem vita mendicantium voluntariè sit approbanda, patet exemplo Domini, qui non habebat possessiones proprias, aut in communi, Luc. 9. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet:* nec operabatur manibus suis, sed ex eleemosynis fidelium vivebat, Luc. 6. *Mulieres aliquæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Deinde, Apostoli omnia dimiserunt, nec habuerunt possessiones in communi, nec operabantur manibus, sed vivebant ex liberalitate

tate auditorum, Math. 10. & 1. Cor. 9. Tandem miracula, quæ Deus edidit per B. Franciscum, & S. Dominicum, Authores vitæ pauperis, confirmant mendicandi rationem.

4 Objiciunt contra pri-mam propositionem adversarij Scripturam, Augustinum, & antiquos Religiosos, qui vi-vere solebant ex labore proprio manuum suarum. Primo, Actor. 20. v. 34. ait Paulus: *Ad ea quæ mibi opus erant, & his qui mecum sunt, ministraverunt manus iste.* Ad Ephes. 4. *Qui furabatur, iam non fure-tur, magis autem laboret ope-rando manibus suis.* Ad Thess. I. 4. *Operamini vestris mani-bus.* Respond. Apostolum in illis locis non scribere Monachis, sed secularibus; & sic non magis tenentur ex hoc Religiosi ad laborem corpora-lem, quam seculares; ut supra diximus. Deinde, in præcita-tis locis non præcipit absolutè laborem manualem, sed solammodo ad evitandum furtum, scandalum, vel otium, ut pat-ebit consideranti tenorem ver-borum Apostoli. Cum ergo Religiosi impleant vitam in spiri-tualibus, nec in hoc sit scanda-lum, aut otium, non propte-re tenentur desistere à regu-laribus officijs, ut labori ma-nuum vacent.

5 Secundò, allegant ad-versarij contra Monachos Au-gustinum, qui lib. de opere Mo-nach. cap. 37. dicit, Religiosos teneri ad istud Apostoli præceptum, nec excusari per spiri-tuales occupationes. Resp. Au-gustinum in illo libro solùm obligare ad operandum ma-nibus illos, qui antequam fierent Religiosi, vivebant ex ope-re manuum, quod idem facere debent in Religione, sine impe-dimento majoris boni, quod ta-men nolunt facere ex otio, & pigritia. Cap. enim 21. excipit Religiosos à labore corporeo, qui Ecclesiastica ministeria exer-cent, uti faciunt Mendicantes: *Si Evangeliste sunt, si Minis-tri altaris, si dispensatores Sa-crimentorum, bñè sibi istam non arrogant, sed planè ven-dicant potestatem vivendi ex-flicitatibus populi.*

6 Tertiò, adducunt con-suetudinem antiquarum Reli-gionum, que teste Hieronymo epist. 4. ad Rusticum, & Aug. lib. 1. de morib. Ecclesie, cap. 31. secundum Apostoli Legem manibus laborabant. Respond. hoc mirum videri non debere: ex proprijs enim regulis tene-bantur operari manibus: tum, quia nou habebant posses-siones sibi relietas, nec eleemo-synas poterant quarere à po-pulis, quibus non inserviebant.

Tum

Tum, quia cùm essent omnes laici, excepto Abbate, non erant satis occupati; & sic ad fugendum otium, necessarius erat illis labor. Unde D. Hieronym. ep. 4. ad Rusticum, dicit: *Egyptiorum Monasteria hunc momrem tenent, ut nullum absque op. ris labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem; né mens vagetur cogitationibus perniciosis.* Cum ergo Religiosi hujuscē temporis ut plurimum occupentur in prædicationibus, & administratione Sacramentorum, possunt cessare à labore manuum, ut majori bono se applicent. Adde, quod q̄i Canunt in Choro publicè, concionantur, docent, confessiones audiunt, dici possunt laborare manibus; quandoquidem manibus operari est operari corporaliter, sive id fiat manibus, sive pedibus, sive lingua, sive alio modo; alias autigæ, nautæ, cursores, & vigiles, non dicentur manibus operari. Ideò autem labor corporalis, qualiscumque sit, appellatur opus manuum; quia manus est instrumentum præcipuum, quo operamur.

7 Objiciunt adversus secundam assertionem Guillelmus à Sa. & Amere, Desiderius Longobardus, Giraldus de Abarrivilla, Ricardus Episcopus

Armachanus, cum Wicleffo, Lutherο, & alijs, dicentes; eos, qui sponte mendicitatem profitentur, esse extra statum salutis. Objiciunt, inquam, id quod habetur Deuter. 15. *Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos.* Sed illis verbis non prohibetur mendicitas, sed promittitur ubertas tanta, ut nullus sit futurus mendicus inter Judæos. Vel, ut dicit B. Thomas, prohibetur per talia verba mendicitas, non ex parte mendicantium, sed ex parte divitum, qui permittere non debent, ut sint inter eos ulli mendici ratione eleemosynarum, quas debent illis conferre divites. Si Proverb. 30. Scriptura detestetur mendicitatem, ut causam multorum malorum, sicut, & Ecclesiast. 27. *Propter inopiam multi dereliquerunt:* hac dicta sunt de involontaria mendicitate, quæ causa est, ut multi fuerint, & perierint. Si dicatur Acto. 20. *Beatus est dare, quam accipere;* id est, beatus est dare omnia simul propter Christum, intelligitur.

8 Dicunt, secundo, quod ille qui se sponte redigit ad mendicitatem, exponat se periculo tame moriendi, tentetque Deum, ipsi afferens media ordinaria ad vitam conservandam, renuntiando facultatibus, quas illi dederat. Respond. hoc

hoc verum fore , si quis donet omnia sua , probabiliter sciens se nihil postea inventarum: Religiosi autem totaliter confidentes in Deum , experientia noscunt sibi necessaria esse suppeditanda. Si dicatur Religiosos mendicantes injuriam facere veris pauperibus , quibus melius est dare eleemosynam , quam Religiosis , qui vivere possent sine mendicatione. Responderi debet ; ex hoc ergo esse colligendum , quod Clerici , & Monachi , qui ex possessionibus vivunt legatis suæ Ecclesie , vel suo Monasterio , peccarent illis utendo , sicut & benefactores: qui talia bona deditissent. Quod nemo dixerit. Immò docet D. Hieronymus in fine libri contra Vigilantium , quòd tribus de causis potius facienda sit eleemosyna Religioso minus indigenti , quam non Religioso , qui magis indiget. Primo , si Religiosus relinquens bona propria , ea dederit pauperibus: tunc enim quedam est justitia , ut ex bonis pauperum vivat. 2. Si labores pro populo concionando , & sacris ministerijs sese applicando , potest justè eleemosynas quibus vescatur quærere. 3. Quia eleemosyna danda est meliori ; sed Religiosi vitam profitentur perfectam: g. potius Monachis erogari debet eleemosyna , quam alijs,

si istorum extrema necessitas non prævaleat. Quod si instent , dicendo , aliquando Religiosos Mendicantes esse deterioris vita pauperibus Laicis. Respondendum est , quòd nec Ecclesia , nec fideles judicent de internis : & sic , quia Religiosi exterius profitentur vitam Monasticam , quæ est status perfectionis , consequenter præferendi sunt alijs pauperibus.

9 Occasione diversitatis Religionum , non erit inutile examinare ea , quæ tradit D. Thomas , quæst. 188. ubi in primo articulo supponens varietatem illam esse convenientem Ecclesie , ad cuius ornatum multum confert , quòd sit tanquam Regina circumambita varietate , quærit in secundo articulo , utrum debeat institui Religio aliqua ad opera vitae activæ ? Ad quam questionem affirmativè responderet. Quia nimurum Religionis status ordinatur ad perfectionem charitatis ; charitas autem se extendit ad dilectionem Dei , & proximi ; & sic religio ratione primi debet respicere vitam contemplativam , & ratione secundi vitam activam. Sicque optimum est , ut Religio ne dum instituatur ad vitam contemplativam , sed etiam ad opera vitae activæ , quæ ad dilectionem proximi spectant.

Quæ-

10. Quærit in tertio articulo, utrum congrue instituatur Religio aliqua ad militandum; ubi responderet, hoc quidem posse fieri, non propter aliquid mundanum, sed ad divini cultus, vel publicæ salutis, vel pauperum oppressorum defensionem. Unde Augustinus ad Bonifacium ait: *Noli existimare, neminem posse placere Deo, qui armis bellicis ministrat: in his enim erat Sanctus David, cui Dominus magnum perhibuit testimonium.*

11. Quærit in 4. articulo, utrum possit institui Religio ad prædicandum, vel audiendum confessiones: quod certissimum esse probat; cum magis procuretur utilitas proximi per ea, quæ pertinent ad spiritualem in imæ salutem, quam per ea, quæ spectant ad protectionem corporis; cum spiritualia corporalibus potiora sint. Quod si dicatur, Christum mississe tantum duodecim Apostolos ad prædicandum, quorum Episcopi suum locum tenent; & septuaginta duos discipulos, quorum officio funguntur Pastores; Et sic non debere admitti Religiosos, qui prædicens, aut audiant Confessiones. Responderi debet cum Doctore Angelico, quod formam septuaginta duorum discipulorum ne dum teneant Presbyteri, sed

& omnes illi qui inseruiunt Episcopis, quales sunt Religiosi, qui ad hoc deputantur à Papa.

12. Quærit in art. 5. Num instituenda sit Religio ad studendum? Et responderet, conveniens esse, ut Religiones instituantur, quæ studio bonarum artium, & scientiarum videntur. Inter opera enim vita activa principaliora sunt, quæ ordinantur directè ad salutem animarum: sed prædicare, audire confessiones, & ministrare Sacra menta, multum conferunt ad animarum salutem; quæ non possunt ritè fieri absque scientia, & doctrina: g. conveniens est, ut Religiones instituantur ad studendum. Unde Hieronym. in Epist. ad Paulinum eum invitat ad discendum in statu Monastico, inquiens: *Dicamus in terris, quorum nobis scientia perseveret in Cœlis.*

13. Quærit sexto, an Religio, quæ vacat vita contemplativa, sit nobilior ea, quæ se applicat ad opera vita activæ? quod resolvit in favorem contemplationis, dicente Domino Lucae 10. Mariam, quæ vitam contemplativam denotat, meliorem partem elegisse. Interiora enim communiter habent preferentiam super ea quæ solùm exteriora sunt: sed ope-

ra vita actiua secundum se considerata sunt exteriora, & sic sunt minus perfecta actibus contemplatibus.

14. Quærit art. 7. utrum habere aliquid in communi, diminuat perfectionem Religionis? Et conclusio ejus est, quod facultates propriæ repugnant quidem perfectioni Religionis; non verò eas posidere in communi ad necessarios vitæ usus. Quia perfectio non consistit essentialiter in paupertate; sed est instrumentum perfectionis, quatenus divitiae sunt ostaculum quoddam impediens, quo minus aliquis Deo perfecte adhæreat.

15. Quærit denique, art. 8. an perfectior sit Religio in societate, quam in solitudine: & respondet, quod si Religio solitariorum debite assumatur, sit perfectior simpliciter religione eorum, qui vitam in societate ducunt. Augustinus enim lib. de Operib. Monachor. cap. 23. dicit illos esse Sanctiores, qui à conspectu hominum separati, nullum ad se præbent accessum, viventes in magna orationis intensione.

QUÆST. IX.

IN QUÆSTIONE RESOLVUNTUR ALIA DUBIA.

I. Inquires 1. Quot sunt Ordines Mendicantes, & quare Mendicantes dicuntur? Respond. Quatuor principales enumerantur, qui sunt: Prædicatorum, seu Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinianorum, & Carmelitarum: ad quos nonnulli reducuntur. Mendicantes dicti sunt; quia vi primeæ institutionis eorum ex fine particulari, ad vitam mixtam destinati, paupertatem non tantum in particuli, sed etiam in communi observant, viventes de his solis, quæ vel mendicabantur humiliter; vel liberaliter donabantur; vel honesto acquirebantur labore, & industria. Arg. C. Exiit in 6. Tales eo Jure communi Mendicantes appellati sunt. Diximus vi primeæ institutionis: nam postea privilegijs Summorum Pontificum, sicut & Sacri Concilij Tridentini, sess. 25. cap. 3. conceditur omnibus religionibus, etiam olim vere Mendicantibus, exceptis Observantibus, & Capuccinis, bona immobilia, dominiumque rerum in communi habere.

2 Inquires 2. Fuitne expediens ut in Ecclesia Dei instituarentur Religiones quadam? Resp. Nullus Catholicus hanc veritatem, fuisse, scilicet, expedientissimum, in dubium revocare potest. Primo, quia Dominus noster Jesus Christus primus est religiosi status author, & institutor, ad quem amplectendum Apostolos, & multos alios efficacissimis verbis exhortatus est: id quod non fecisset, si Religiones Ecclesiaz sua utilis esse non cognovisset. Secundo, quia teste continua experientia, Religiosi suis meritis, & precibus; exemplo, & doctrina; zelo, & labore, plurimum semper profuere Ecclesiaz, innumera eidem conferendo bona, & gravissima ab eadem avertendo mala: adeo ut Christus ipse Sanctæ Theresiae dixerit: *Væ mundo, si Religiones non essent.* Religionum utilitatem comprobat adhuc celeberrima illa visio, quam habuit Innocentius III. qua vidit Lateranensem Ecclesiam ruinæ proximam, Sancti Francisci suppositis humeris sustineri. Ex quo tempore erga ipsum præcipuam devotionem concepit. Et petitioni ejas per omnia se inclinans, Regulam suam approbavit, Cardinalibus adstantibus dicens: *Vere hic est ille qui operi ac doctrina*

Christi sufficiat Ecclesiam. 3 Inquires 3. Cum tot „ Sancti Ordines, & approba- „ tæ Regulæ fuerint; cur S. „ Franciscus novam Regulam „ facere voluit, quasi non suf- „ ficerent priorum instituta „ Sanctorum? Responder S. Bonaventura, quod Pater S. Fran- ciscus: „ Spiritu Dei plenus, & „ zelo charitatis Dei, & prop- „ ximi totus ignitus, triplici desiderio flagrabat, videlicet, ut totus posset esse imitator Christi in omni perfectione virtutum. Secundo, ut totus posset adhædere Deo, per assiduæ contemplationis ejus gustum. Tertio, ut multos posset lu- cari Deo, & salvare animas, pro quibus Christus voluit cru- cifigi, & mori. Et quia non suffecit ei, ut ista in propriâ persona tantum ageret; voluit instituere ordinem, ut multos cooperatores haberet, non so- lum in præsenti, sed etiam in futuro; qui & sanctitatis ejus immitatores existerent, & alios plurimos Deo lucrarentur. Or- dinis autem, quos ipse S. Fran- ciscus invenit in Ecclesia, ali- quia prædictorum trium ex par- te habebant, ut Cœnobitæ, qui in studio virtutum Christi imi- tantur vestigia. Eremitæ, qui contemplationi divinae frequen- tius vacant; & Clerici Lepto- res plebium, qui animarum

curam habentes ex officio, lucris animarum omni vigilancia intendere debent. Et quia hæc tria simul invenit in nullo ordine; *Spiritu Sancto edocitus* novam condidit Regulam, & novum Ordinem instituit, quo in professione Evangelicorum consiliorum, obedientia, videisse, & castitatis, & abdicatione proprietatis, Christi vestigia sequeretur, &c in officio prædicationis, & confessionis animarum lucra utiliter quæreret, & in altissimæ paupertatis mendicitate, libertatem spiritus retinens, contemplationis supernæ apprehenderet patritatem. Noluit tamen Franciscus, esse Fratres suos adstricatos ad curam animarum, ex debito necessitatis, sed ex merita charitatis affectu; & ut meritum spectarent de fructu salutis aliorum, & periculum evitarent de perditione eorum. Participes in lucro, indemnes in detimento; ut alios extraheant de naufragij, seu incendijs periculo; ipsi tuti consistentes in solido non petulcentur cum perentibus in peccato.

4. Inquires 4. *Quæ Religio est melior?* Respond. Hanc questionem movet S. Bonaventura, & respondet esse illam, in qua sequentia quinque inveniuntur: *Primum*, si in stu-

dio omnis virtutum communiter persona illius Ordinis ferventius exercentur, maximè charitatis, humilitatis, & internæ devotionis. *Secundum*, si omnia vitia, & scandala odio-habent, & sollicite carent; & occasionses peccatorum amputant, & extirpant; & munditiam diligunt, & conservant. *Tertium*, si boni apud illos diliguntur, ac foventur, & despiciunt alijs, in regimine animarum soli assumuntur, & per eos maxime gubernatur ordo. *Quartum*, si à sæculari frequenter se substrahunt, & honores fugiunt. Si divicias non ambient, & conformari huic sæculo, tam in moribus, quam factis, seu qualibet apparentia, erubescunt. *Quintum*, si damnum, & injurias illatas, ac despectiones, tacite, & patienter sufferunt, nec per querimonias vindicate se cupiunt: sed Detim inspectorem attendunt, qui suos, cum vult, & expedit, potest defendere. Quæ ista signa plenius habent Religiones, meliores sunt: & quæ minus habent, sunt minus bona. Religiosus, qui etiam singulariter hæc omnia habet, bonus est, etiam si alij communiter non habeant.

5. Inquires 5. *Quæ est bona, & veri Religiosi vita?* Respond. Viro Religioso, qualis esse

esse deber, nullus est fæcilior. Vitam dicit quietam, cœlestem, Angelicam, ab omni inquinamento mentis, & corporis illibatam. Sanctorum Beatiitudinis in hac lachrymatum valle, jam quomadmodo particeps est. Vota sua corde ple- no Domino suo reddit; & promissam cum fervore, zelo, & diligentia observat sui Fundatoris Regulam. Præclaros indies in via virtutis, & perfectionis facit progressus, & nova semper acquirit merita in omnibus suis actionibus, studijs, laboribus, pœnis, religiosis exercitijs; immo, & in omnibus suis naturalibus moribus. Et hoc virtute Sacrificij sui corporis, & spiritus, in holocaustum medullatum, Deo per professionem Religiosam oblati. Raro cadit in defectus graves, & cadendo cito resurgit per quotidianos spirituales actus; peccatorum suorum veniam obtinere mereatur frequenti Sacramentorum susceptione. Cauté incedit, pericula in via salutis non raro occurrentia superno lumine detegit, & effugit; latentesque demonis insidias, divino tre- tus adjutorio, superat. Summa gaudet animi quiete, & perpetuo per fidem, spem, & charitatem Deo suo magis, ad magis unitur. Nihil ipsum per- turbat, ut pote divina volun-

tati totaliter submissus. Cœlestibus gratiarum imribus continuo irrigatur. Et ut uno verbo absolvam, quod cœpi, *fæcius vivit nemo.*

6. Iti sunt, quos hæretici blasphemantes vocant inutiles in hoc mundo; contra quos dixit D. Aug. lib. de Morib. Ecclæ, cap. 3. *Videntur Eremi- tæ plusquam oportet deseruisse res humanas non consideran- bus, quantum nobis eorum animus in orationibus proesse.* Et merito; nam Jacobi 5. *Mul- tum valet deprecatio justi assi- dua. Verè mundum quis dubi- tet meritis flare Sanctorum?* inquit Rufinus. Ipsi pro mero sunt Reipublicæ ab hostium in- cursu, eamque à flagellis divi- nae justitiae præservant. Cum Deus civitati beneficium præ- stare vult (inquit Plato) bo- nos viros ei producit: & cum civitati calamitatem immisurus est, auffert ab ea viros bonos. Unde de Sodoma dixit Domi- nus Abraham: *Dimittam om- ni loco propter quinquaginta justos. Non percutiam propter quadraginta. Si essent viginti non interficiam: & si essent de- cem tantum, non delebo pro- ter decem. Discimus in hoc loco (ait D. Ambrofius) quantus murus Patriæ sit vir justus. Cum Sancti de isto mundo de- fecerint, casurus est iste mun- dus,*

dus, ait D. Chrysoſt in Math. I.
Væ mihi! perijt Sanctus de terra, inquit Mich. 7. Vi-deant nunc hæretici, & qui ſpiritu eorum imbuti ſunt, quo-modo viri Religioſi, ſi verè Religioſi ſint, plūs deſerviant ad conſervandas Urbes, Reg-na, & totum mundum, quam omnia instrumenta bellica, quam omnes milites, omnes Duceſ, omnes Generaleſ, om-nes Reges terræ, ſi ipiſi justi non ſint. „ Si in präceptis meis „ ambulaveritis, & mandata „ mea custodieritis: dab opa- „ cem in finibus vestrīs: dor- „ mietis, & non erit qui ex- „ terreat. Auferant malas beſ- „ tias: & gladius non transibit „ terminos vestrōs. Persequi- „ mini inimicos vestrōs, & cor- „ ruent coram vobis. Perfe- „ quentur quinque de vestrīs „ centum alienos, & centum „ de vobis decem milia: ca- „ dent inimici vestrī gladio in „ conſpectu vestrō. Sic loqui-tur Deus in Levitico cap. 26. v. 3. & ſequentibus. Videant hoc, & conſiderent qui plus fiduſt in Armiſ, quam in vir-tutib; plūs fiduſt in viriſbus ſuis, quam in obſervantia man-datoru.n. Dei. Errant cer-te: Miferator, & misericors Deus illos illuminet,

Amen.

QUÆST. X.

**IN QUA RESOLVUNTUR
aliqua quæſta circa fideles
Laicos.**

1. **T**ertiū membrum Eccleſiæ conſtituant Laici, ſeu ſæculareſ, de qui-bus Bellarminoſ, agendo de memb. Eccleſiæ, ſex proponit quæſtioneſ, non quidem de Laicis particularibus, ſed de poeſtate politica Christiano-rum Magiſtratum, qui prä-funt fidelibus populiſ. Querit 1. an politica poeſtas ſit bona, & Christianis licita? Querit 2. an politica poeſtas amittatur per peccatum? Querit 3. an Ma-giſtratus, & Christiani Priu-i-pes poſſint leges coadere, exercere judicia, & punire nefarioſ? Querit 4. an Christianis bella-re liceat? Sed de hoc jam nos ſatis ſupra. Querit 5. an Ma-giſtratus ſit Religionem defen-dere? Sexto denique inquirit, an Magiſtratus debeat hæreti-coſ, ab Eccleſiā iudicatoſ, tem-poralibuſ mulctari penaſ? Hæc omnia nos breviſſime jam reſolbiμuſ.

2. Circa primam diſſiſulta-tem, an poeſtas politica ſit bona, & licita Christianis, ne-gatiue respondent Anabaptiſtae Trinitarij, ſic dicti, quia Tri-ni-

nitatem , & Incarnationem negabant : tales enim facientes antithesim inter verum , & falsum Christum , dicebant falsum Christum in sua Ecclesia habere Reges , Principes , Magistratus , & gladios : Christum autem verum nihil tale admittere in sua Catholici verò , quos in hac parte sequuntur Lutherus , Calvinus , & Melancton , probant justam , & legitimam esse Magistratum potestatem , Christianisque licitam . **Primò** , quia ex utraque lege hoc habetur , cum Proverb. 8. habeatur : *Per me Reges regnant.* Et Matth. 22. Christus dicat : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Et Petrus 1. 2. moneat : *Deum timere , & honorificare Regem.* **Secundò** , si potestas politica esset quid malum ex se , Melchisedech nunquam fuisse Rex Salem , nec Joseph præfuisse toti Ægypto , nec David gubernasset Judæos , nec multi Sanctissimi Principes Thronum ascensissent post Christum . **Tertiò** , quia Principatus politicus ita est naturalis homini , ut tolli non possit , quin natura hominis destruatur ; est enim animal sociabile , quod Rectore indigeret ; quoniam multitudo non potest diu consistere , nisi sit , qui eam contineat , & curet illi de necessarijs . **Quartò** , quia politica potestas est à Deo , Proverb. 8.

Per me Reges regnant , per me Principes imperant , & potentes decernunt iustitiam : ergo & ipsa bona est , cum a Deo non procedant mala . **Quintò** , quia politicus principatus ab origine mundi subsistit , & substitisset , si durasset status innocentiae ; quoniam Deus in creatione mundi unum tantum hominem produxit , ex quo nascerentur omnes , ut indicaret præfecturam , quam inter homines volebat esse .

3. Quod si Matth. 27. *Cristiani liberi sunt filii* ; hoc intelligitur de libertate à peccato , mediante gratia Christi ; non vero ab authoritate politica . Paulus enim ad Rom. 13. juvet , *ut omnis anima potestatis sublimicribus subdita sit.* Si Lucæ 2. Christus dicat : *Reges gentium dominantur eorum , non sic erit inter vos;* per talia verba non reprehendit Regnum in se , sed modum regnandi : ita quod regimen Christianorum non futurum sit cum superbia , & fastu , quale erat regimen gentilium . Si dicant adversarij reges ut plurimum deprabatos fuisse , abutentes sua potentia . Respondendum erit , nos non loqui de Regibus in particulari , sed de politico principatu in se , quod tenuerunt boni Principes , & mali . Boni , inquam , ut Adam , Noé , Abraham ,

ham , & similes : mali verò , ut Pharao , Saul , Jeroboam , & alij . Si August . lib . 19 . de Civ . Dei , cap . 15 . & Gregor . lib . 21 . Moral . cap . 11 . dicant , hominem ad Dei imaginem factum non dominari homini , sed tantum irrationalibus creaturis : Hoc intelligi debet de regimine tyrannico , & violento , quod revera tantum permisit Deus propter peccata hominum .

4 Circa secundam difficultatem , an potestas politica remaneat in impijs , & peccatoribus : negant Ar machanus , & Wicleffus , qui volunt potestatem civilem super charitatem , & gratiam Dei fundari . Catholici verò contrarium probant ex Sap . 6 . *A Domino data est potestas vobis , & cum effectis Ministri regni illius , non recte judicatis .* Quod confirmant Petrus , & Paulus 2 . 13 . & Rom . 3 . ubi dicunt , obedendum esse Regibus , quorum multi erant infideles . Unde Concilium Constantiense , sess . 8 . & 15 . errorem contrarium damnavit . Ratio assertionis nostræ est , quod fundamentum dominij non sit gratia , sed natura , & imago Dei , quæ consistit in hoc ; quod homo sit mentis , & rationis compos : & sic , cum natura , & imago Dei maneat , etiam in peccatoribus absque gratia ; consequenter potestas

politica residet etiam in illis . Quod si Ossee 8 . dicat Deus , quod Principes quidam mali regnant in seipsis , & non ex Deo : non improbat per hoc Dei Reges malos , sed tantum quod Judæi voluerint habere alium Regem , quam ipsum Deum . Si etiam objiciatur quod dominium sit à Deo , qui nullo modo confert dominium improbis : hoc ultimum falsum est ; benignitatem enim Dei decet , ut etiam hostibus suis beneficiat , juxta illud Matth . 5 . *Solem suum facit oriri super bonos , & malos , & pluit super justos , & injustos .*

5 Circa 3 . difficultatem , affirmativa est nostra responsio , qua dicimus Principibus Christianis permitti condere leges , exercere judicia , & punire improbos , quidquid dicant Anabaptistæ afferentes , obligationem legum tollere libertatem christianam : & Calvinus , qui lib . 4 . Inst . cap . 10 . Vult leges civiles non obligare in conscientia : quod anteā docuerunt Joannes Gerson de Vita Spirituali , lect . 4 . & Almainus de Potestate Ecclesiastica , quæst . 1 . cap . 10 .

6 Quod Principes Christiani possint leges condere , pater ex Proverb . 8 . *Per me Reges regnant , & legum conditores juxta decernunt .* Ratio hujus est :

est ; quia Christiani non desinunt esse homines , cives , & membra Republicæ temporalis , qui debent habere regulam actionum suarum in commercijs , & in modo vivendi : sed ad hoc lex naturalis non sufficit , quoniam ad particularia non descendens , ostendit tantum generalia : nec sufficit tantum lex Evangelica , quæ agit solummodo de rebus divinis , & celestibus : nec etiam valet lex politica Testamenti veteris , quæ jam cessavit : Ergo necessaria est lex politica , qua auctoritate Principis constitutus sit modus firmus , & stabilis , quo gubernentur populi , etiam Christiani . Nec talium legum existentiam impedire potest libertas christiana , ut voluerunt Uvaldenses ; quia talis libertas solvit quidem à peccato , non verò dispensat à potestate politica , cui homines ut sociabiles tenentur . Leges autem illæ civiles obligant in conscientia , contra Calvinum , juxta id quod habetur ad Rom. 13 . Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit . Non est enim potestas , nisi à Deo . Qui resistit potestati , Dei ordinationi resistit . Qui autem resistunt , ipsi sibi damnationem acquirunt : Subditi estote , non solum propter iram , sed & propter conscientiam . Quæ omnia sufficien-

Tom. III.

ter probant , leges civiles Principum Christianorum obligare in conscientia .

7 Quod Christiani Principes possint exercere iudicia , patet ex hoc , quod propterea Principis sit judicare : Unde Scriptura conjungere solet Reges cum Judicibus , Psalm. 2 . Et nunc Reges intelligite , eruditimi qui judicatis terram . Deuter. 16 . *Judices , & Magistros constitues in omnibus portis tuis , ut judicent populum justo iudicio .* Ratio hujusce petitur , quod nihil prodescent Principes , nec Leges , si nulla adessent iudicia . Si Matth. 5 . habeatur : *Si quis voluerit tecum iudicio contendere , & tunicam tuam tollere , da ei & pallium .* Respondeo , hæc verba non continere præceptum , sed consilium tantummodo , ut sequentia : *Si quis te percussit in unam maxillam , præbe illi & alteram .* Cujus tamen contrarium fecit Christus percussori dicens , Joann. 18 . *Curre me eadis ?* Si Paulus 1 . Cor. 6 . dicat : *Delictum est in vobis , quod iudicia habetis inter vos : cur non magis fraudem patimini ?* per delictum non intelligitur peccatum , sed imperfæctio , aut injuria quædam levis , quam potius debemus pati , quam ad iudicium referre .

Mm

Quod

8 Quod denique Christiano Magistratui liceat punire improbos, hoc docent lex naturæ, Gen. 9. *Qui effuderit humum sanguinem, fundetur sanguis illius*: Lex Moysis, Exod. 21. *Qui percuserit hominem volens occidere, morte moriatur*: & lex Evangelica, Matth. 26. *Qui acceperit gladium, gladio peribit*. Ratio assertionis nostræ est, quod bonus Princeps commune bonum debeat tueri, & impedire per punitiones corporeas, ne mali cives alijs noceant. Unde Aust. lib. 1. de Civ. cap. 21. ait: *Nequaquam contra præceptum, non occides, faciunt, qui personam gerentes publicæ potestatis, sceleratos morte puniunt*. Nec dicant Anabaptistæ Matth. 5. *Dictum est antiquis, oculum pro oculo, dente pro dente; ego autem dico vobis, non resistere malo*. Respondent enim D. Thomas, & D. Bonavent. Christum non reprehendere Magistratum, qui infligit pœnam talionis, sed prohibere privatis hominibus, ne exerceant privata autoritate tales punitiones.

9 Circa quartam difficultatem; an bellum sit Christianis licitum, iam alias respondimus affirmativè contra Manichæos, qui bellum ex natura sua illicitum esse afferentes, Moysem,

Josue, Davidem, & ceteros qui bella gesserunt in veteri Testamento, tanquam impios accusabant, ut refert Aug. lib. 22. contra Faustum. Contrarium, inquam, demonstravimus, sicut & justi belli conditiones. Unde supererit tantum ut respondeamus Luthero, qui volebat non licere Christianis bellum gerere contra Turcas, ut patet ex Bulla Leonis X. art. 34. Non negabat quidem, bellum in se esse licitum; sed volebat Turcas non esse expugnandos: tum quia non debemus resistere voluntati Dei, qui Turca tanquam flagello suæ iustitiae utebatur ad puniendo Christianos. Tum, quia Ecclesiæ utilior est tribulatio, & persecutio, quam victoria, & tranquillitas; unde Serm. de Matrim. reprehendit consuetudinem Ecclesiæ, quæ orat pro parte, & quiete, cum potius orare deberet pro tribulationibus.

10 Hi sunt, inquam, prætextus ex quibus bellum prohibebat Lutherus contra Mahometanos; sed vera causa illius non erat alia, quam odium Papæ, quem taliter persequebatur, ut optaret Turcam occupare omnia Regna Christianorum, ad extinguendum nomen Pontificis. Ideo ad Nobilitatem Germaniæ scribens, cap.

25. dixit, nullum esse pulchrius regimen, quam apud Turcas, qui legibus Alcorani gubernantur: nullum autem turpius, quam apud Christianos; qui reguntur jure canonico, & civili. In assertione etiam articuli 34. impudenter dicit, Pontificem, & Pontificios esse multo pejores, & truculentiores Turcis; stultumque esse pugnare pro pejoribus contra meliores. Tam absurdam, & impia apparuit Lutheri sententia, ut praescripto Ducis Saxonæ coactus fuerit illam revocare. Unde in lib. de Visitatione Saxonica, ait, Prædicatores illos esse temerarios, qui clamant non esse resistendum Turcæ; sed sermo ille sediciosus, nec ferri, nec permitti debet: Immò, potestates tenentur resistere Turcis, qui non solum cupiunt provincias devastare, uxores violare, & interficere liberos; sed etiam cultum Dei, omnemque ordinationem bonam abrogare, & tollere conantur.

11 Ut respondeatur autem ad rationes, seu prætextus, quos Lutherus assumit, ut impedit ne inferatur bellum Turcis; dicendum est ad 1. rationem, quod licet voluntas Dei sit, ut puniantur peccata Christianorum per Turcas: attamen non sit voluntas ejus, quod

non resistamus Turcis. De illo enim flagello Dei ita discurrendum est, sicut de peste, famæ, heresi, & similibus, quæ flagella Dei sunt: nemo tamen dixerit, non esse remedium querendum contra pestem, famem, & alias punitiones. Quantum ad 2. rationem, qua dicit tribulationes esse utiles; responderi debet, quod possint habere revera aliquam utilitatem; quia tamen sunt periculosæ, ideo non debent expeti, alias dicere non deberemus Deo, id quod habetur Matth. 6. *Et ne nos inducas in temptationem:* nec juberet Paulus 1. ad Timoth. 2. orare pro Regibus, ut quietam, & tranquillam vitam agamus.

12 Circa 5. difficultatem, an Magistratus sit Religionem defendere: alij dicunt, Reges nedum esse Custodes, & defensores Religionis, sed & judices, & magistros illius; ita ut ad eos, ut ad præcipua Ecclesiæ membra, pertineat judicare controversias fidei, indicere Concilia generalia, & præsidiere in illis: Sed contrarium habetur in Cap. de Summo Pontifice. Alij ex opposito volunt curam Reipublicæ civilem pertinere revera ad Principes, sed eos nullomodo curare debere de Religione, bené autem permettere, ut singuli sentiant, &

vivant prout voluerint. Sic Principes Imperij, Spiræ congregati ann. 1526. cùm non possent convenire de credendis, edictum, quod vocant *Interim*, fecerunt, per quod singuli crederent ad libitum. Alij tenent, quod Principes debeant inventire modum componendi Lutheranos, Calvinistas, & Catholicos simul, & interim donec convenient, permettere quod quisque vivat in sua fide, modo omnes recipient Scripturam, & Symbolum. Catholici denique firmiter asseverant ex una parte, Principes non esse Judices, & Magistros Religionis, quando quidem Christus dedit Ecclesiam suam regendam soli Petro, & Episcopis, non vero Cæsaribus, aut Præfectis Imperatorum: Ex alia tamen Principes Christianos esse Custodes, & defensores Religionis, ita ut non debeant permettere suis Subditis libertatem credendi, quod voluerint; sed dare operam, ut servetur ea fides, quam Episcopi Catholici, & præsertim Summus Pontifex, docent esse servandam.

13 Quòd Principes Christiani non debeant permettere diversitatem Religionum subdivisione sua, patet ex Apocal. 2. ubi Angelus Pergami reprehenditur, quòd haberet apud

se aliquos tenentes doctrinam Nicolaitarum. Paulus etiam ad Galat. 5. desiderat, ut abscedantur hæretici. Leo epist. 75. Leonem Augustum alloquens ait: *Debes, Imperator, incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solum, ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium, esse collatum; ut ausus nefarios compri mendo, & que benè statuta sunt defendendo, veram pacem his quæ sunt turbata restituas.* Dum vera Religio vigebat apud Iudeos, Reges non permettebant libertatem Religionum; sed Deuter. 17. ex sententia Iudicis politici, jubebantur occidi, qui Pontifici non obediebant. Ulterius, libertas credendi perniciosa est temporali bono regnum; quoniam ubi servatur fides, & obedientia Deo, ibi etiam servatur Principibus; cum & ipsa fides hoc doceat. Tandem cum libertas credendi nil aliud sit, quam libertas errandi in re pericolosissima, quoniam ex Paulo ad Ephes. 4. *Una est fides*, proinde non est permittenda libertas credendi diversa.

14 Quòd etiam non possint pacificari hæretici cum Catholicis, colligitur ex hoc, quòd illi non dissentiant à nobis tantummodo in ritibus, & cære monijs, sed etiam in essentialibus;

būs; quā non possunt esse di-versa. Dicimus enim, Missam esse divinissimum cultum: ipsi verò asserunt, eam esse horren-dam idolatriam. Credimus, ex pietate Sanctos esse invocandos; ipsi verò sentiunt hoc esse im-pium: & sic de alijs. Unde opinio Cassandi recipi non de-bet, dum permittit unicuique suam fidem, modò omnes reci-piant Scripturam, & Symbo-lum Apostolorum. Adde, quod Lutherani, & Calvinistæ non conueniunt nobiscum in veri-tate omnium articulorum Sym-boli in quo si dicatur de Chris-to, descendit ad inferos; pér hoc volumus, quōd descende-rit ad Lymbum Patrum; ubi hæreticorum alij dicunt, des-cendisse tantùm ad Sepulchrum; & alij, descendisse ad infernum damnatorum, quorum subiit pœnas.

15. Circa 6. & ultimam difficultatem, hæreticorum plu-ri-mi docent, non licere Chris-tianis hæreticum incorrigibilem brachio sacerulari puniendum tradere, contra Calvinum; qui cum argueretur ab alijs Secta-rijs, quōd Michaelem Serve-tum, tāquam hæreticum pu-blicē supplicio extremo affec-sit; edidit libellum, in quo probavit, licitum esse morte plectere hæreticos incorrigibi-les. In hac parte conuenit no-

biscum, qui tenemus hæreticos incorrigibiles, & præsertim re-lapsos, debere ab Ecclesia rejici, & à sacerulari potestate pu-niri, etiam morte. Pro hac ve-ritate habentur edicta Impera-torum, & Principum, sicut & le-ges Ecclesiæ; ubi hoc comper-tum habetur. Unde Concilium Constantiense sess. 15. damna-vit sententiam Joannis Hus-contrarium dicentis, ipsumque Joannem, & Hieronymum de Praga tradidit sacerulari potes-tati; à qua ambo combusti fuerunt. Tandem Leo X. art. 33. Lutheri damnavit, in quo sentiebat cum Husitis, & Do-natistis. Sic habent Patres apud Bellarminum, qui multas hu-jusce assertionis exponit ratio-nes.

16. Lutherus i queritur, quōd ab Ecclesiæ initio hæreti-corum nullus morte necatus fuerit: sed argui debet, vel ma-litia, si veritatem cognitam im-pugnet; vel ignorantia, si nesciat Priscillianum hæresiarcham curi socijs fuisse morti tradi-tum à Maximo Imperatore Christiano; ut refert D. Hieronymus lib. de Viris Illust. si nesciat, Basiliū hæreticum publicē fuisse combustum ab Alexio Commeno Imperat. ut scribit Zonaras in vita Alexi: si nesciat tempore Innocentij III. 180. hæreticos Albigenses fuis-se

se simul exustos , &c. Dicit se-
cundo , experientiam testari,
quod terrores non proficiant:
sed audiat Augustinum Epist.
48. qui testatur , plurimos suo
tempore fuisse conversos ob-
metum poenæ. Adde , quod Do-
natistæ , Manichæi , & Albi-
genses armis extinti fuerint.
Si dicat , Ecclesiam tollerare
Judæos ; hoc est : quia Judæi
nunquam suscepérunt fidem
Christianam , quam accepta-
runt hæretici. Si B. Martinus
apud Sulpitium lib. 2. hist.
acriter reprehendat duos Epis-
copos , qui procurabant mor-
tem Priscilliani hæretici : hoc
ideo fecit Martinus , quia tales
Episcopi accusabant in causa
sanguinis : cùm debeant tan-
tum hæreticos excommunicare,
& eos relinquere judicio sacer-
lari.

17 Allegant insuper adver-
sarij id quod habet Paulus,
oportet hæreses esse , 1. ad Cor.
11. Sed per hoc prædictit tan-
tum Apostolus id quod erat fu-
turum , non vero prohibet,
qui extirpentur hæretici. Re-
ferunt deinde exemplum Chris-
ti , qui Lucæ 11. Discipulis cu-
pientibus comburere Samari-
tanos , dicit : *Nescitis cuius*
spiritus estis: sed tales non pro-
miserant se Religionem Christi
servaturos , ut hæretici fecere-
runt. Unde isti merentut com-

pelli , non illi. Objiciunt pos-
tea , talem punitionem deroga-
re mansuetudini Ecclesiæ : sed
hoc extremum non affert reme-
dium malo , quin præcesserint
antea consilia , monitiones , &
punitiones alia : quæ cum fue-
rint inutiles , pro tunc affert
extremum , & ultimum reme-
dium , quod est traditio in ma-
num sæcularem. Clamat ulti-
mò , fidem esse liberam , &
Apostolos nunquam invocasse
contra hæreticos brachium sæ-
culare. Sed respond. ad 1. fi-
dem esse quidem liberam ab
obligatione humani juris , quan-
do nondum accepta fuit ; sed
non quando aliqui eam rece-
perunt , ut fecerunt hæretici,
qui cogi possunt ad fidem ser-
vandam , quam promiserunt in
baptismo. Quoad 2. Apostoli
non invocaverunt brachium sæ-
culare , quia pro tunc nullus
erat Christianus Princeps.

DISPUTAT. III.

DE CAPITE ECCLESIAE.

PER Caput Ecclesiæ nihil
aliud intelligimus , quam
Principem , Primatem , Mo-
narcham , Gubernatorem , Pa-
torem Ecclesiæ , & Judicem
controversiarum circa fidem , &
mores. Hæretici nostri tempori-
s , sicut negant , Ecclesiam es-
se

se visibilem ; sic negant , habere caput visibile ; & solum fatentur , habere pro capite invisibili Christum. E contra Catholicos omnes , sicut fatentur visibilem Ecclesiam , ut dictum est supra , ita etiam caput visibile Ecclesiæ agnoscunt : & de hoc capite sic sentiunt : 1. Christum , cum esset in hac vita , fuisse visibile Caput Ecclesiæ . 2. Post Ascensionem Christi , Petrum fuisse ejus Vicarium in eadem Ecclesia visibiliter gubernanda . 3. Romanum Pontificem esse Successorem Petri in eadem gubernatione. Deinde certum est , Christum esse caput , & Monarcham Ecclesiæ ; hoc enim diserte docet Apostolus ad Ephes. 1. v. 22. *Omnia subiecit sub pedibus ejus : & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam , quæ est Corpus ipsius.* Et cap. 4. v. 15. *Crescamus in illo per omnia , qui est Caput Christus.* Et cap. 5. v. 23. *Vir caput est mulieris , sicut Christus Caput Ecclesiæ.* Et ad Colos. 1. v. 18. *Et ipse est caput Corporis Ecclesiæ.*

In hoc igitur puncto sentiunt nobiscum hæretici Protestantes. Aliqui tamen dissentunt in sequentibus : 1. Quando Christus cœperit esse caput Ecclesiæ ? 2. An fuerit caput visibile , an tantum invisibile ? 3. An solus Christus sit

caput Ecclesiæ ? Apostata Marcus Antonius sic statuit : 1. Christum non fuisse caput Ecclesiæ in hac vita , sed cœpisse esse caput illius post Ascensionem , quia tunc primum Ecclesia ab Apostolis ædificata est. 2. Christum esse caput invisibile tantum , non visibile. 3. Nec aliud esse Caput Ecclesiæ praeter Christum , neque visibile , neque invisibile. Quæ omnia falsa sunt , ut infra patebit.

QUÆSTIO PRIMA.

*AN CHRISTUS DOMINUS ,
quomodo , & quando fuerit
Caput Ecclesiæ ?*

I **C**onclusio 1. *Christus in hac vita existens fundavit , seu ædificavit suam Ecclesiam : & Apostoli post Christi Ascensionem illam auxerunt , & propagarunt.* Probatur 1. pars: Christus in hac vita instituit Ministros Ecclesiæ , nempe duodecim Apostolos , & septuaginta duos Discipulos , quorum hi Presbyteri fuerunt , illi Episcopi (dempto Juda , ut posseta videbimus.) Insuper in hac vita instituit nova Sacramenta ; instituit novum Sacerdotium , & Sacrificium : sancivit novas leges Evangelicas : Condidit novum Testamentum , cuius ipse mediator est : hac omnia per-

perfecit, & confirmavit post mortem in cruce, cum dixit: *Consummatum est*: denique, post Resurrectionem, cum hinc discessurus esset, dixit Apostolis suis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Et Petro seorsim: *Pasce oves meas*: quid amplius requiriatur ad fundandam, & ædificandam Ecclesiam? Nihil sanguis Christus in hac vita existens illam fundavit, & ædificavit.

2 Ut aliqua argumenta præcludantur, tria sunt tempora distinguenda. Primum, ante mortem Christi: & tunc simul viguit Synagoga vetus, & Ecclesia nova: simul baptismus, & circumcisione; simul lex, & Evangelium. Alterum in morte Christi: tunc spiravit Synagoga cum suis cæremonijs, & sacrificijs: tunc *velum templi scissum est in duas partes*: tunc lex Mosaica abrogata est. Tertium post mortem Christi: tunc Synagoga separata est: tunc cæremoniæ, & sacrificia Mosaica, quæ jam erant mortua, cæperunt foetere; vel, ut Theologi locuntur, cœperunt esse mortifera. An autem statim, & immediate post mortem Christi; an vero post soleminem Evangelij promulgationem in die Pentecostes? Vetus con-

troversia est: Hieronymus tenet primam partem; Augustinus secundam. Itaque secundum Aug. à tempore mortis Christi erant quidem legalia mortua, evaquata, & inutilia ad salutem; verum nondum erant mortifera, idest, nondum afferebant mortem spiritualem; adhuc poterant usurpari sine peccato mortali! At post proulgatum Evangelium cœperunt mortiferum foetorem exalare, & qui ea tunc usurpasset, mortali peccato se obtrinxisset; licet non ita punctualiter à die Pentecostes, alias nec Paulus Timotheum circumcidisset, nec ipse se legaliter purificasset, Actor. 21. Sed post aliquod tempus id factum est, & ut notavit Abelly, apud nostrum Matthæuc. contravers. 5. cap. 1. num. 15. Viventibus adhuc Apostolorum Principibus. Videatur nost. Sub. Doct. in 4. d. 3. q. 4.

3 Maneat igitur certum, Ecclesiam à Christo ædificatam esse in hac vita. Sed tamen obiter est notandum, successivè, & non unico quasi instanti ædificatam esse; nam primò electi sunt Apostoli, & Discipuli, Matth. 4. v. 18. Luc. 6. Vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos Apostolos nominavit, Simonem, &c. Deinde, Baptismus præceptus est,

est, Joann. 3. v. 5. Amen, aman-
dico vobis, nisi quis renatus
fuerit ex aqua, & Spiritu-
Sancto, non poterit introire
in Regnum Dei. At verò ex
tunc mansit sub consilio, usque
ad promulgationem Evangelij.
Videatur Subt. Doct. cit. In
ultima Coena instituit Sacra-
mentum, & Sacrificium Eucha-
risticum, & Apostoli fuerunt
ordinati Sacerdotes, accepta
cum charactere potestate Ordini-
nis ad Corpus Christi in Eu-
charistia conficiendum, *Luc. 22.*
Hoc facite (id est , accipite po-
testatem hoc faciendi, scilicet,
consecrandi Corpus, & Sanguinem
meum) *in m:am com-
memorationem* (passionis, scili-
cet, & mortis meę, & Redemp-
tionis totius generis humani.)
Postea cruentum Novi Testa-
menti Sacrificium in Ara Cru-
cis oblatum est: quo peracto,
expirarunt omnia sacrificia Mo-
saica; quia non erant nisi um-
brae cruenti Sacrificij Crucis:
unbram autem, præsente lu-
mine, cessare necesse est. Post
Resurrectionem autem Christi
fuerunt Apostoli constituti Epis-
copi, Joann. 20. per ea verba;
*Sicut misit me Pater, & ego
mitto vos.* Et subinde acce-
perunt potestatem absolvendi à
peccatis, cum eis Christus di-
xit: *Accipite Spiritum Sanctum,
quorum remiseritis peccata, re-*

Tom. III.

mittuntur eis: Et D. Petrus fuit
constitutus totius Ecclesiae Pas-
tor, Judex, & Monarcha loco
Christi, Joann. ult. *Pasce ag-
nos meos:* Et iterum: *Pasce oves
meas.*

4 Ex quibus sequitur, quod
Apostolatus, & Episcopatus non
simul incepserunt. Sequitur
etiam, quod Judas non fuit
formaliter Episcopus, sed so-
lùm inchoative, & in radice,
quatenus Episcopatum accep-
set, si in Apostolatu persevera-
set, cui Episcopatus suo tempo-
re accipiendus debebatur. Unde
Mathias subrogatus in locum
Juda, Apostolus, & Episcopus
fuit: quia quando fuit Aposto-
lus creatus, ea dignitas perfec-
ta erat, (paulatim enim, &
per gradus crevit Apostolorum
dignitas, donec ad culmen per-
venit, ait nostr. Mædo) &
Mathias pro tunc ad utramque
accipiendam idoneus erat; at-
que ideo Episcopatum accepit,
quem Judas consecutus erat,
si apostata non fuisset. Sic expli-
cat illud Psalmi: *Episcopatum
ejus accipiat alter;* nost. Mat-
thæuc. contr. 4. cap. 2. n. 14. Et
num. sequenti observat, ad dig-
nitudinem Apostoli tres condi-
tiones requiri: 1. Est, ut mu-
nas acceperit propagandi Evan-
gelium ubique terrarum, cum
potestate amplissima ligandi, &
solvendi, juxta illud Joann. 20.

N*n* Si-

Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, quæ amplissima potestas in Apostolis fuit extraordinaria; in Petro vero ordinaria. 2. *Est privilegium scribendi Scripturas Canonicas: nec obstat, quod omnes Apostolicas non scripserint; nam æquè bené poterant, sicut fecerunt Petrus, Paulus, Judas, Jacobus, Joannes, & Matthæus.* 3. *Est, authoritas fundandi Ecclesiæ ubique terrarum. Nulla autem ex istis conditionibus convenit Episcopis Apostolorum successoribus; fundare enim Ecclesiæ, & istas Pastori bus assignare spectat ad Romanum Pontificem,* Cap. ad cuiuslibet de Præbend. inter Com. Trident. sess. 23. can. 8.

5. Probatur jam 2. pars nostræ conclusionis, nempe, Ecclesiæ Christi, quæ ab ipso Christo fundata est, postea ab Apostolis auctam, & propagatam esse. Primò, quia Apostoli post acceptum Spiritum-Sanctum, solemniiter promulgarunt Evangelium in Jerusalem, Act. 2. v. 17. Deinde, admisserunt Gentiles ad Fidem, & Ecclesiæ Christi, Act. 10. v. 34. Denique, post aliquos annos, facta divisione, dispersi sunt per Orbem terrarum, iussu, & dispositione D. Petri, qui tanquam Monarcha Supremus Ecclesiæ sua autoritate, & exemplo cœ-

teros Apostolos ad prædicandum destinavit, & unicuique Provincias assignavit pro regimine ordinario, ut impletetur, quod dictum erat per Prophetam, Psal. 18. v. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines Orbis terra verba eorum.* Et quod tunc factum est, etiam nunc fit; nam & hoc tempore multi, Apostolorum imitatores, mittuntur in Indianam, Japoniam, & alias Provincias, ut Ecclesia Christi nova semper accessione augeatur, & propagetur.

6. Ex dictis constat, in Ecclesiæ Christi primo quidem admissos esse Apostolos, Discipulos, & alios plures ex populo Judæorum, vivente adhuc Christo in terris. Deinde, etiam Gentiles accessisse post Ascensionem Christi, & accessuros usque ad finem mundi. Et hoc constat ex Evangelio, ubi Christus ait, Joann. 10. v. 14. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ:* Ergo jam tunc habebat oves in suo ovili, id est in Ecclesiæ, nempe, conversos ex Populo Judæorum, nam de illis dicebat: *Cognoscunt me meæ.* Quod de Gentilibus intelligi non potest; illi enim non cognoscebant Christum eo tempore, id est, non credebant in Christo, non erant in

in ovili Christi, non erant in Ecclesia jām fundata à Christo. Erant tamen accessuri, quia mox sequitur: & alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me aducere. Quasi diceret: Gentiles non sunt in meo ovili, sed in ovili falsorum Deorum: Ex illo tamen eos aducam in meum ovile per prædicationem Apostolorum: Et tunc erit unum ovile Judæorum, & Gentilium, & unus utrorumque Pastor.

7 Advergunt tamen P. Beccanus, nost. Matthæucus, & alij, quod quando Theologi docent, Ecclesiam fluxisse de latere Christi, intelligendi sunt, non propriè, sed symbolice, & meritorie fluxisse, vel formatam esse ex latere Christi. Symbolicè quidem, quia ex latere Christi fluxerunt aqua, & sanguis, quæ erant signa, vel symbola significantia Baptismum, & Eucharistiam, quæ sunt præcipua Ecclesiæ Sacraenta, Meritorie vero, quia Sacraenta Ecclesiæ completam virtutem habent ex merito passionis, & mortis Christi; in hac enim pretrum totum, non arrha tantum est solutum. Ita Cyrillus lib. 12. in Joann. cap. 19. Chrysostom. homil. 84. in Joann. Cornelius à Lapide in Comment. cap. 5. ad Ephes. v. 20. & alij.

8 Conclusio 2. *Christus in hac vita existens fuit visible Caput Ecclesiæ.* Quod fuerit Caput, patet; nam Christus in hac vita existens fundavit Ecclesiam, ut ostensum est: g. in hac vita cœpit esse illius Caput; alioquin Ecclesia fuisset sine Capite, sine Reatore, sine Præside, quod est absurdum. Quod autem fuerit Caput visibile, dupliciter probatur. 1. Quia visibiliter Ecclesiæ edificavit, instituendo nova Sacraenta, ordinando novos Ministros, & Sacerdotes, sanctiendo novas leges, offerendo novum Sacrificium in Ara Crucis. 2. Quia illam visibiliter gubernavit, docendo, monendo, increpando, corrigendo: g. &c.

9 Conclusio 3. *Christus in Cælo nunc existens adhuc manet Caput Ecclesiæ, non quidem visibile, sed invisible.* Ratio est, quia pér se non amplius gubernat Ecclesiam visibili modo, sicut antea fecerat, sed tantum invisibili, scilicet, per internum inflatum donorum gratiæ, ut patet Joann. i. v. 16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, & per assistentiam Spiritus Sancti. Matth. ult. v. 20. Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Quatenus Deus est, physique, & effectivè producit in nobis gratiam: quatenus homo,

per se moraliter, & meritorie illam confert. Primus modus conferendi est illi communis cum Patre, & Spiritu-Sancto. Secundus est illi proprius.

10 Conclusio 4. Præter Christum, qui nunc in Cœlo est, decet esse aliquod visibile caput Ecclesiæ in terris, qui loco Christi visibiliter gubernet illam. Non loquimur jam speciatim de Petro, vel Pontifice, de quibus quæstione sequentia; sed generatim dicimus, debere esse aliquod visibile Caput Ecclesiæ in terris, loco Christi absentis: non quidem quoad internum influxum gratiæ; sed quoad externam directionem, & gubernationem: sicut in absentiâ Regis solet aliquis constitui in Regno, qui vicem illius suppleat in externa policea, præfertim si Rex longo tempore ab futurus est.

11 Probatur i. conclusio ex analogia veteris, ac novi Testamenti: Synagoga Mosaiæ fuit umbra, seu typus Ecclesiæ Christi: atque Synagoga semper fuit gubernata ab uno visibili Capite, nempe à Pontifice, cui reliqui omnes erant subjecti, ut patet ex libris Exodi, Levitici, & Deuteronomij: g. etiam Ecclesia semper debet gubernari ab uno visibili Capite. Sequela patet; quia gubernari ab uno capite, per-

factius est, quam gubernari a multis, ut sçpè diximus, & docuit Aristoteles lib. 5. Politic. cap. 11. „Quanto pauciorum est potestas omnis, tanto majori tempore necesse est eam durare. Si ergo Synagoga, quæ fuit imperfectior, semper gubernata fuit ab uno capite; potiori ratione debet gubernari ab uno capite Ecclesia Catholica.

12 Advertendum tamen est, quod inter Synagogam, & Ecclesiam datur duplex analogia: una, quoad internum influxum gratiæ: altera, quoad externam gubernationem. Prior in eo consistit, quod sicut Christus per sua merita prævisa contulit Synagogæ internam gratiam; ita per sua merita jam exhibita multo abundantiorem gratiam conferat Ecclesiæ. Posterior in eo consistit, quod sicut Moyses mediator veteris Testamenti fuit primum Caput visibile Synagogæ, quoad externum regimen; ita Christus, mediator novi Testamenti, fuit primum caput visibile Ecclesiæ in externo regimine. Rursum sicut post mortem Moysis semper perseveravit visibile regimen Synagogæ; ita post ascensionem Christi semper perseveret visibile regimen Ecclesiæ.

13 Ex utraque analogia col-

colliguntur hæc. 1. Invisibile Caput Synagogæ, & Ecclesiæ, quoad internum influxum gratiæ, esse idem, nempè Christum. 2. Visibile Caput Synagogæ, & Ecclesiæ, quoad externam gubernationem, esse diuersum; nam visibile Caput Synagogæ ab initio fuit Moyses, cui postea successerunt Pontifices legales. Visibile autem Caput Ecclesiæ ab initio fuit Christus, cuius locum postea superplicavit Petrus, & ejus Successores. 3. Moysem fuisse figuram Christi quoad externam gubernationem; nam sicut Moyses fuit legislator, mediator, & Princeps in veteri Testamento; ita Christus in novo. 4. Pontifices veteri Testamenti fuisse typum, seu figuram Pontificum novi Testamenti; nam sicut illi in externo regimine præsiderant toti populo Judæorum; ita hi toti populo Christianorum.

14. Probatur 2. conclusio illis testimonij Sacrae Scripturae, ubi Ecclesia comparatur cum exercitu benè ordinato, Cant. 6. v. 3. *Pulebra est amica mea, suavis, & decora, sicut Jerusalem; terribilis, ut castrorum acies ordinata.* Item cum Regno, Dan. 2. v. 44. *Suscitabit Deus Cœli regnum, quod in aeternum non dissipabitur.* Item cum Ovili, Joann.

10. v. 16. *Fiet unum ovile, & unus Pastor.* Item cum Domo, 1. Timoth. 3. v. 15. *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* Item cum humano corpore, 1. Cor. 12. *Si enim corpus unum est, & multa habent membra: ita & Christus.* Si ita est, necessario sequitur, sicut exercitus benè ordinatus regitur ab uno Imperatore; regnum ab uno Rege; ovile ab uno Pastore; domus ab uno Patre familias; corpus humaanum ab uno Capite; ita etiam Ecclesiam gubernari ab uno Rectore. Nec satis est, si dicas hunc unum Rectorem esse Christum. Christus quidem Rector est, quoad internum influxum gratiæ, etiam si absens. Sed non potest esse, quoad externam gubernationem, quando absens est. Igitur alias debet esse illius loco. Quod patet ex metaphoris jam allatis. Nam sicut in exercitu, quando procedit contra hostem, necessario debet adesse unus supremus Dux, aut in ejus absentia aliquis illius Vicarius, qui omnia dirigat, & cui omnes reliqui obediant; sic etiam, servata proportione, fieri debet in Ecclesia. Alioqui non erit unitas, sed divisio, schisma, & dissensio.

15. Exemplo declaratur res

amplius: Sint in uno exercito duo, vel tres Imperatores cum pari potestate, quorum unas decernat, pugnandum esse cum hoste; alter, quiescendum; tertius, fugiendum; quid putas facturos milites? alij cum hoc, alij cum alio coaspirabunt: tollerat unitas; orietur Schisma; exercitus dissipabitur. Sic similiter; sint in Ecclesia Christi, quæ unica est, plures Episcopi cum pari potestate, qui nullum in terra Superiorum agnoscant: unus eorum decernat, Ecclesiasticos non obligari ad cœlibatum; alijs contrarium statuat; tertius in dubio relinquat; quid Clerici Inferiores, qui Episcopis subjecti sunt? Distrahentur in varias sectas, & dissidia. Quis rediget illos ad unitatem, si non est unus aliquis Superior, cui omnes teneantur obtemperare? Certè non esset satis provisum à Christo D. circa pacem, & unitatem suæ dilectissimæ Sponsæ Ecclesiaz: quod nefas, & blasphemum est dicere.

16. Probatur 3. Conclusio ex institutione regiminis, quod Christus posuit in Ecclesia. Sed prius est supponendum, quod regimen Monarchicum est, quando tota regendi potestas residet apud unum, ut est in Hispania, & in Gallia. Aristocraticum regimini est, quando

pauci, sed optimates regunt. Democraticum regimen, quod est deterius, datur, dum totus populus regimen habet; vel saltem aliqui, tum ex plebeis, tum ex nobilibus, ex populi electione.

17. Nunc probatur sic conclusio: Primum regimen, quod Christus in Ecclesia instituit, fuit visibile, & Monarchicum, quoad externam gubernationem; nam ipsem Christus, ut supra ostensum est, tanquam supremum Caput, & Monarcham, visibiliter suam Ecclesiam fundavit, & gubernavit. Nunc sic: vel post Ascensionem Christi mansit visibile, & Monarchicum regimen; vel mutatum est? Si mansit: Ergo Ecclesia Christi post ejus Ascensionem semper gubernata est ab uno visibili capite, seu Monarcha, quod nos contendimus. Si mutatum est: Ergo Ecclesia ipsa mutata est, nec eadem nunc est, quæ olim fuit; sicut enim qualibet Respublica censeretur mutari, teste Philosopho, quando modus, seu forma gubernandi mutatur; sic etiam de Ecclesia statuendum est: Atqui absurdum est dicere, Ecclesiam Christi mutatam esse: Ergo absurdum & illud, ex quo hoc sequitur.

QUÆST. II.

A N. EPISCOPUS ROMA-
nus sit verus Petri Successor
in jurisdictione, & Author-
itate Capitis Ec-
clesiae?

1 **U**T brevitate possi-
bili, & majori
claritate procedamus, suppo-
nendum est, quod inter omnes
Apostolos, soli D. Petro, Chris-
tus D. concessit supremam spi-
ritualem potestatem, & juris-
dictionem ad gubernandam Ec-
clesiam. Ita omnes Catholici.
Unde Ganadius Patriarcha
Constantinopolitanus in expo-
sitione Concilij Florentini, tit.
5. cap. sect. 2. *Christus in ter-
ris erat Dominus, Pater, &
Pastor Discipulorum: sic cum
decrevisset ad Paternum thro-
num ascendere, Petrum pre-
fectum ipsis constituit, & Ma-
gistrum; & uno verbo dicam,
suum Vicarium, ac Successo-
rem. Et D. Gregor. Mag. lib.
4. Regist. ep. 32. Cunctis enim
Evangelium scientibus l'quet,
quod voce Dominica Sancto, &
omnium Apostolorum Principi
Petro, totius Ecclesie cura
comissa sit. Est contra hære-
ticos modernos, & contra
quemdam anonymum Gallum,
volentes, Ecclesie regimen non*

esse Monarchicum; quod cum
Brentio sustinent Angli E. hero-
doxi. Volunt quidem Angli,
quod omnes Apostoli fuissent
æquales in jurisdictione, &
potestate: nam de omnibus lo-
quitur in Psal. 26. *Fundamen-
ta ejus in montibus sanctis.* Et
Matth. 18. omnibus Christus
dixit: *Quicumque alligaveri-
tis super terram, erunt ligata &
in Cælo.* Et Marc. ultim. *Do-
cet omnes gentes.* Anonymus
Gallus voluit, talitem Petrum,
& Paulum fuisse ejusdem autho-
ritatis, & unicum Caput, uni-
cumque Pontificum Romanum.
Nam ex capl. 2. ad Galat. conti-
nat, Paulum testicisse in faciem
Petro, eique reprehendisse
quod est Superioris, vel tal-
tem æqualis. Hoc testimonio
utuntur Calvinus, & Rex An-
gliz.

2 His vero non obstantibus,
nostra suppositio de fide
permanet. Nam Matth. 16. di-
xit Christus D. Petro: *Tu es
Petrus: seu petra (nam Chris-
tus dixit Siriacé, Cephas, quod
est petra.) & super hanc pe-
tram ædificabo Ecclesiam meam:*
Sed ipsum est in ædificio fun-
damentum, quod est in corpo-
re caput; in communitate Su-
perior; in Urbe Gubernator;
in Regno Rex: Ergo, &c.
Deinde; ibidem dixit soli Pe-
tro: *Tibi dabo claves Regni
Cæ-*

Cælorum: quod denotat supremam Petri dignitatem. Præterea; Joann. 21. foli Petro dixit Christus: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Per quæ verbâ curam, & gubernationem totius Ecclesiæ illi commisit; & Vicarium suum illum constituit; etiam super omnes Apostolos; ob quod prius ter illum interrogavit: *Simon Joannis diligis me plus his?* *Diligis me? seu amas me?* g. &c.

3 Rationes dubitandi Hæreticorum, & anonymi Galli facile solvantur, dicendo: Apostolos etiam dici Ecclesiæ fundamenta: quia varias per orbem fundarunt Ecclesiæ; variasque gentes ad Christi fidem adduxerunt; sed semper cum subordinatione ad Petrum. Etiam quidem omnibus alijs Apostolis concessit Christus jus ligandi, & solvendi; sicut & potestatem docendi omnes gentes; sed solùm tanquam legatis: Petro autem tanquam Ordinario Ecclesiæ universalis Pastori, à quo alij dependenter. Unde, communiter docent AA. quod licet omnes Apostoli fuerint instituti Episcopi à Christo, tamen solus Petrus fuit ab ipso Christo consecratus immediate; à Petro autem Jacobus, & Johannes fratres; ab his autem, & Petro cæteri consecrati fuerunt; atque hinc legem, & morem

exitisse (inquiunt DD.) ut Episcopus non minus, quam à tribus Episcopis consecratur. Sic conciliat noster Macedo duas sententias Catholicorum, quorum aliqui assertant, solum Petrum, alij omnes Apostolos, fuisse institutos Episcopos immediatè: Nam hæc sententia vera est de institutione, & jurisdictione; & illa de consecratione. Ex quo etiam colligitur, quid intersit inter Apostolos, & Episcopos, Apostolorum successores: nam Apostoli immediatè sunt à Christo electi, & ab illo immediate potestatem accepérunt, quam nec tollere, nec minuere, nec mutare Petrus poterat. Episcopi autem; nec sunt immediatè electi à Christo; nec ab ipso Christo accipiunt potestatem immediate; sed à Summo Pontifice, qui immediate accepit à Christo potestatem jurisdictionis, tanquam Successor Petri Pastor, & Prælatus Ordinarius totius Ecclesiæ. Unde, jurisdictione aliorum Episcoporum stringi, & coerceri potest à Summo Pontifice, ut supra diximus.

4 Ad illud de resistentia Pauli in faciem Petri, respondet, quod male ex hoc inferunt superioritatem, vel æqualitatem Pauli cum Petro; cum ut docuit ipsemet Paulus in suis Epistolis, liceat inferiori superio-

riorem errantem, cum modestia, & humilitate corrigeret. Erraverat autem Petrus, simulans Judaismum in his circumsstantijs, quibus poterant gentes ad Deum conversæ scandalizari: sed falsum est, Paulum se ex hoc æquasse cum Petro. Quid enim? Si Rex Angliae minus considerat, & cum scandalo suorum subditorum aliquid ageret; & aliquis familiaris, vel consiliarius secus eum moneret, id non rectè fieri, vel esse injustum, aut alijs esse offendiculo; ideo se Regi anteferret, aut illum ut superiorem, & Regem non recognosceret? Minime. Alioquin, nunquam licebit subdito fraterie corriperre Prælatum suum, aut illi cum debita reverentia resistere, ut scandalum publicum tollatur, quod dici non potest: ergo, &c.

5 Stamus ergo: *quod de toto mundo (verba sunt Leon. Pap. serm. 3. afflupt. suæ) unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocatio- ni, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ PP. preponatur.* Verum est, (inquit nost. Macedo) quod D. Paulus fuit Episcopus, sicut & cæteri Apostoli; sed non fuit Episcopus Romanus, seu determinatus ad Ecclesiam Romanam: nam ut Petrus Damiani ait: Paulus

Tom. III.

nullam Cathedram specialiter tenuit; quia electus fuit a Christo, ut vas ad portandum nomen ejus coram gentibus, atque adeo ferre omnes Asiae, Europæque Provincias evangelizando peragrat.

6 Sed pro aliquibus instantijs præoculis habend. est; quod Innocentius X. anno 1647. damnavit opinionem prædicti anonymi Galli. Et Bonifacius VIII. definivit esse unicum Ecclesiæ caput. Unde, si sunt aliqua authoritates dicentes: Romanam Sedem esse Sedem Petri, & Pauli; & aliqua prerrogativa PP. quibus parem faciunt Paulum cum Petro, vocantes eos: Principes; Duces; Coriphæ; Præfides; Fundamenta; Lumen Ecclesiæ Catholice; Pastores gregis Dominici; Columna Romana Ecclesia; Culmina Apostolorum; Soles duo; Romæ Patres, & Patroni; duo lapides ad Romam fundandam electi; &c. Et quod magis est, ipsi Summi Pontifices æqualiter implorant illorum opem; æqualiter eorum autoritate utuntur; Tum concedendo gratias; tum folminando anathemata; Bulas suas eorum sygillo muniunt; imaginibus ornant, & eorum nomina ijs inscribunt: quod videtur argumentum ambo æquali dignitate, ac potestate præditos esse. Hoc sanè videretur

Oo dif-

difficultatem habere , inquit Macedo. Sed respond. quod omnia ista tribuuntur Paulo ratione D. Petri , honoris gratia : quoniam Paulus Romæ fuit , ibi prædicavit , & docuit ; & Martyrium subiit eodem tempore , quo Petrus , ac sanguine suo Romanam Ecclesiam , & rigavit , & auxit. Non tamen fuit ejus ordinarius , & proprius Pastor. Præclarè in rem noster Rupertus ! Roma , & quod Principis Apostolorum Petri sedes facta sit , & Pauli ejus consortis prædicatione illustrata , & martyrio coronata cunctis Ecclesijs altius extollit caput. Ecce quomodo Sedes est Petri ob dignitatem , & autoritatem capitis. Admittitur ad consortium Paulus ob doctrinam , & martyrium. Hinc est , ut in sygillis utriusque imago ; in Bullis amborum nomina ponantur ; & eorumdem autoritas adhibeatur.

7 Supponendum est 2. etiam tanquam de fide ; quod mortuo Petro , non fuit extinctus Ecclesiæ universalis Pastoratus , sed transiit ad ejus successores , qui eadem supremi capitris , & summi Pontificis dignitate præminent , habentque eamdem autoritatem in rebus fidei : nam hujusmodi autoritas , & dignitas collata fuit Petro , non personaliter ,

sed propter bonum commune , & propter unitatem Ecclesiæ , quæ ex defectu unius supremi , & visibilis capitinis plura incommoda pateretur : atqui perseverat , & usque ad finem mundi perseverabit eadem Ecclesia visibilis : g. cum Petrus eam modo visibiliter non gubernet in propria persona , opus est assignare aliud supremum visibile caput , quod non est aliud , quam legitimus Petri successor. Hoc constat ex verbis Christi dicentis : *Tu es Petrus , & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* Et statim adjungit : *& portæ inferi non prævalent adversus eam.* Ego rogaui pro te , Petre , ut non deficiat fides tua. Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Sed Petrus in propria persona non potest regere visibiliter Ecclesiam , usque ad finem mundi : g. non accepit autoritatem pro se tantum in propria persona , sed etiam pro legitimo sui successore in dignitate capitis. His suppositis sit nostra

CONCLUSIO.

8 **E**piscopus Romanus ritè , & rectè electus est verus Petri successor in Pastoratu universalis Ecclesiæ. Hæc conclusio est de fide. Probatur ex

per-

perpetua Ecclesiæ traditione, de qua certò constat. Deinde; auctoritate CC. nam in Niceno I. can. 39. ille, cuius Principatus *Rome est*, Petro similis, & auctoritate par, Patriarcharum omnium dominatum, & Principatum obtinet. Et in Niceno II. acta 2. *Sedes Ecclesiæ Romanae per totum terrarum orbem primatum obtainens, lucem omniumque Ecclesiarum Dei caput existit.* Similia habentur in alijs Concil. generalibus, & in Trident. sess. 7. can. 3. de Baptismo. Et sess. 25. can. 1. & 2. de Reformatione.

9 Probatur insuper; quia ille est legitimus Petri successor, qui legitime sedet in ejus Cathedra, & in speciali Episcopatu succedit: sed Petrus suam Cathedram Romæ constituit, ibique suam fidem gloriose martyrio consignavit: g. Romanus Episcopus, qui eam sedem, & Episcopatum legitime tenet, est legitimus Petri successor. Præterea, patet nostra Conclusio ex continua Romanorum Pontificum successione, ab immembris auctoribus antiquis, & RR. fide dignissimis relata, & confirmata. Et certè: si credimus Historicis narrantibus successionem Regnum Hispaniæ, aut Galliæ, quidni crederemus Optato, Ireneo, Epiphanio, Tertulliano,

Augustino, & mille alijs maximè auctoritatis, & sanctitatis, Romanorum Pontificum successionem referentibus? Quam successionem continentiam Romanorum Antistitum tanti faciebat August. ut lib. contra Epistol. fundamenti cap. 4. dixerit: *Tenet me (in fide Catholica) ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui præcendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad presentem Episcopum successio Sacerdotum.* Idipsum testantur alij SS. PP. ut possunt videri ad longum apud controversias, præcipue apud Suarez in Regem Angliæ lib. 3. cap. 14. 10 Probatur rursus ex antiquissimis ipsius Urbis Romana Episcopis, quibus saltem, ut viris Sanctissimis, & qui Martyrium pro Christo subierunt, fides adhibenda est. Sanct. Anaclet. epist. 3. declarat, Romanam Ecclesiam ab ipso Salvatore primatum obtinuisse, & eminentiam potestatis super universas Ecclesias. S. Damasus Epist. 2. ad Episcopos Africæ inquit: *Nos qui supra domum Domini, hoc est, universam Ecclesiam Catholicam Episcopale suscepimus ministerium.* Eodem modo loquuntur alij plures, quos prolixum esset referre, & possunt videri plusquam 40. apud Suarez, loc.

tit. cap. 15. Confirmatur ab exercitio hujus supremæ potestatis, quam ab Apostolorum tempore ostenderunt Romani Episcopi, congregando, & confirmando Concilia; approbando electiones aliorum Episcoporum per totum orbem; mitendo Palium Metropolitanis; approbando, vel reprobando Religiones, in Ecclesia Christi ortas; canonizando Sanctos; ferendo leges pro universalis Ecclesiæ regimine; dispensando in Canonibus Ecclesiasticis; compellendo fideles ad obediendum Ecclesiæ legibus; resolvendo fidei controversias; admitendo appellations ad se ex toto mundo factas, tanquam ad supremum Tribunal; excommunicando Imperatores, & Reges huic sedi rebelles; ac denique alia plura munia obtundo, quæ sunt propria supremi Capitis, & primi, ac generalis Pastoris: Ergo &c.

11 Probatur tandem nostra conclusio, præoccupando evasions, & invasiones Protestantium; nam licet expressé, & in proprijs terminis in Sacra Scriptura non legatur; in principijs tamen in illa revelatis, virtute continetur; immo, quædam regulæ videntia, & experimento constat. Declaratur sic: Ex Sacra Scriptura habemus, Petro datum esse primatum Ec-

clesiæ, ut perpetuo duraturum cum ipsa Ecclesia: hæc autem duratio, cum non esset futura in una, & eadem persona, necessario futura erat per successionem plurium personarum in eadem dignitate, & hoc etiam sufficienter in Sacra Scriptura continetur per legitimam ejus interpretationem. In qua autem Sede, vel Episcopatu relicta fuerit hæc successio, & personarum series in hac dignitate succendentium monarchico modo, Scriptura Sacra non retulit; quia Historia canonica novi testamenti non pervenit usque ad mortem Petri: ideoque, ut Ecclesiæ certo constet in tali Sede impletam esse, & haec eius impleri institucionem à Christo factam, & in Scriptura revelatam, satis est, ut applicatio illius institutionis, & dignitatis ad talēm Episcopatum per evidentem traditionem, & continuum, ac notissimum usum eidem Ecclesiæ sufficientissimè proponatur.

12 Nunc sic: sicut supra ostendimus, necessarium esse, Ecclesiam Christi, seu veram Dei religionem, esse visibilem, & notam in individuo, & particulari omnibus volentibus ad eam configere: ita similiter ostenditur, necessarium esse Vicarium Christi, seu caput Ecclesiæ visibilis, esse visibilem, &

& notum in individuo , & in particulari , ac determinata Sede. Quid enim prodesset Ecclesiæ , & hominibus confusé credere , esse in terris aliquem Episcopum , seu Episcopatum cum potestate , & munere Vicarij Christi , si in particulari non cognoscerent , ac certo crederent , quisnam talis Episcopus esset? Aut quomodo presentes oves suum Pastorem sequi; ad illum recurrere ; vocem ejus audire , & recognoscere ; nisi in particulari talem Episcopum in tali Sede , vel Episcopatu sedere crederent ? Ergo sicut vetera Ecclesia , seu vera Dei religio , non tantum fide humana , sed etiam fide divina creditur esse visibilem , & notam hominibus , ut nullam excusationem habeant ; quia sensibilia signa proponunt , ut evidenter credibile , illam esse veram Ecclesiam , quam Deus revelavit semper in mundo esse futuram : Ita similiter non solum fide humana ; sed etiam divina fide credendum est , Romanum Episcopum esse Summum Pontificem ; esse Vicarium Christi , successorem Petri ; & Caput visibile hujus visibilis Ecclesiæ . Hoc ergo modo dicimus , nostram assertionem esse de fide , & sufficienter contineri in Sacra Scriptura , adjuncta veræ Ecclesiæ traditione , & alijs

signis , quæ faciunt hoc credibile evidenter.

13 Expenditur hoc amplius , afferendo alia signa , & testimonia hujus evidentis credibilitatis , ultra illa vera Ecclesiæ , quæ Disput. anteced. adduximus , & hic applicari possunt. Primum est , quod D. Petrus in Episcopatu Romano Sedit ultimo tempore vitæ suæ , ibique mortuus fuit : ex hoc fit consequens , ut successores ejus in eadem Sede permane- rint. Ut antecedens melius in- telligatur , tria tempora , seu status distinguere possumus in Petro , post Christi Ascensionem . In primo præsedit universali Ecclesiæ Christi , sine determi- natione ad propriam , & spe- cialiem curam alicujus particu- laris Episcopatus , nimirum , per quinque , vel sex annos priusquam Antiochij Sedem figeret , ut ex Eusebio in Chro- nico , ex alijs antiquis Historijs constat. In secundo Sedit Petrus Antiochij , ab ultimo Tiberij anno , per septem annos : qui- bus finitis , secundo , vel tertio Claudi anno , & quadragesimo quarto , vel quinto adventus Christi , Ecclesiam Romanam fundavit , ac Sedem suam in eam transtulit , ibique usque ad mortem sedit , quam in ea- dem Urbe Roma per marty- rium passus est.

Hinc

14 Hinc fit, successionem in Cathedra Petri non potuisse contingere in Ierosolimitana, vel Antiochenæ Ecclesia; quia in priori nunquam Sedit, sed in ea Jacobum primum omnium sedere fecit, cui Simeon successit, ut in historijs est notum. In posteriori autem non permanxit, sed ad tempus tantum in ea Sedit; & adhuc vivens ibi successorem habuit, quem ipse sua auctoritate constituit, vel Ebodium, vel Ignatium, ut videri potest apud Baron. in Martyrolog. die 1. Februarij. Successit quidem unus ex his duobus in particulari Episcopatu Antiocheno, non vero in Primatu, seu Episcopatu universalis: nam Antiochenam Sedi non à Christo immediate, seu divino jure, sed arbitrio suo, & jure humano Petrus sibi assumpserat: & idèo facile potuit illam relinquere, & alteri tradere. Pontificiam autem dignitatem, immediate à Christo, & divino jure habuit; idèoque quandiu vixit, illam non reliquit, neque relinquere potuit; quia ex immediata electione, & collatione, ac precepto ipsiusmet Christi Ecclesiam Universalem habuit sibi commendatam. Inquit ergo, ut in Rotana Sede Petrus haberet summum Pontificatus successorim. Tum; quia

in nulla alia potest esse vestigium, vel ratio hujus successoris, etiamsi sit Alexandrina; quia nanquam Petrus in ea Sedet; vel Constantinopolitana, quæ vivente Petro fundata non fuit. Tum etiam; quia Petrus in morte habere debait successorem: g. in Episcopatu, in quo mortuus fuit, scilicet, Romano.

15 Respondent Protestantes; Petrum quidem fuisse Episcopum Romanum usque ad mortem: sed hinc solum sequitur, successorem Petri fuisse Episcopum Romanum: non tamen inde recte colligitur, eumdem successorem fuisse etiam totius Ecclesiæ Catholice Episcopum, & Pastorem: quia haec duæ dignitates, seu Episcopatus distincti sunt, & separabiles: nam potest esse Pontifex Ecclesiæ Universalis, licet non sit Episcopus alicuius particularis Ecclesiæ; sicut vidimus in Petro pro priori ad Ecclesiam Antiochenam: & potest illa universalis dignitas prius conjungi cum particulari aliquo Episcopatu, & postea ab illo separari; sicut factum fuit in Sede Antiochenæ: g. idem potuit contingere in morte Petri, & Romano Episcopatu.

16 Respondeatur, conc. ita potuisse fieri: sed negamus ita factum fuisse. Tum, quia Deo in-

inspirantē, Sedem suam Romæ fixit S. Petrus, ut testatur Marcellus Papa in Epist. ad Antiochenos. Immō, D. Gregor. in explicat. 5. Psalm. Peccitential. v.2. Egesypus lib. 3. de Seidio Hierosolymitano, cap. 2. referunt, Petro Roma exeunti occurrisse Christum, ipsique insinuasse, ut Romam rediret, ibique perpetuum Ecclesiæ universalis Pastoratum morte sua stabiliret. Deinde, cum tām instabiles sint homines, novitatumque amatores, credibile est, quod si ita non fuisset ex præcepto Christi, seu Jure Divino annexa dignitas Pontificia Romano Episcopatui, aliquando Sedem mutassent, præsertim tempore persecutionum sub Tyrannis Imperatoribus, qui Romæ Christianos omnes miris modis persequebantur, nullaque Religionis nostræ exercitia patiebantur: atqui numquam facta est hæc mutatio; quia & si aliqui Pontifices Galli Avinione manserint, semper tamen Episcopatum Romanum retinuerunt, ut eorum Bullæ testantur: g. Jure Divino ita videtur annexum Ecclesiæ Primitum Romano Episcopatui, ut non possit Papa alteri Episcopatui, v. g. Toletano, aut Parisiensi, Sedem Apostolicam annexare. Leo Papa dicit, Dei ordinatione factum, ut Cathe-

dra Petri Roma collocaretur. Ex quo fit, quod destructio Romæ non implicat secundum se; implicat tamen implicantia consequenti, posita premissione, & providentia divina ejus duratione.

17 Insuper una tantum persona semper Petro succedit, ut ex historijs constat, & ex humerisque dictis: g. vel illa persona simul cum Episcopatu Romano habuit Primum Ecclesiæ, quod intendimus; vel Primatus sine successione cognita, & visibili relictus est, & periret. Hoc autem est impossibile; quia contra Jus Divinum, & contra promissionem Christi de duratione suæ Ecclesiæ, fundata supra petram, usque ad consummationem saeculi: g. illud primum est omnino certum. Quo circa ex quo Petrus Sedem suam Romæ collocavit, & Pontificalem dignitatem illi Episcopatui conjunxit (licet daremus, quod ista conjunctio non fuisset ex divina institutione per speciale præceptum Christi; sed tantum ex humana voluntate Petri, licet divinitus inspirata) eo ipso, quod à Petro vivente mutata non est, rata manit: ideoque successor Petri in Episcopatu Romano ex necessitate simul in Primitu Universalis Ecclesiæ successit. Neque obstat, quod illius

illius successoris electio facta fuerit à Clero Romano, & non ab universa Ecclesia; nam determinare modum successionis non ad corpus Ecclesie, sed ad ipsum Petrum pertinebat: quapropter sicut voluit Petrus collocare stabiliter Pontificatum in Sede Romana, ita etiam statuit, electionem successoris à Clero Romano fieri. Vel ipse Petrus designavit Clementem sibi successorem, ut author est ipse Clemens epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini, & lib. 7. Constitut. cap. 45. Noster Matthæus. post alios dubitat de hac Epistola Clementis; nam refertur scripta, defuncto Petro, ad Jacobum, qui ante Petrum mortuus fuit. Turrecremata ait: esse de jure naturali, & quasi divino, quod Papa non faciat sibi successorem. Et certe, si Petrus Clementem elegisset, cur Ecclesia, & ipse Clemens non accepissent? Licet (ut communis sententia fert) ipse Clemens cessit Pontificatum primo in Lino, hoc mortuo in Cleto, & ipse Clemens postea illis successit. Atque ita omnes isti tres seorsim in Pontificatu, simul cum Episcopatu Romano successerunt. Eodemque modo successio ad omnes sequentes Episcopos Romanos, usque ad presentem derivata est. Ex his, & ex dicendis questione sequenti

convevuntur varia argumenta Protestantium, intendentium, quod hoc dogma nullum, vel debile fundamentum habet in Sacra Scriptura.

19 Unde dicunt, se ignorare, quibus artibus Pontifices Romani facti sint Vicarij Christi, immò vero Dij in terra tripli Corona insigniti Celi nimicum, terraque, ac inferorum Reges, totius Orbis Judices, & ipsi à nemine judicandi. Et concluduat, post alias excellentias: quibus artibus ad tantum fastigium ascenderint, hęc quidem nescimas. Insuper objiciunt, valde exaggerando, vel etiam fingendo, aliquot defectus, aut vitia, quę in aliquibus Pontificibus nota fuerint: & quedam, quę in electionibus Pontificum committi dicunt. Praterea, quod non est opus illo visibili capite, ubi Christus assilis, ut caput invisibile; quia sit magna injuria Christo, si præter ipsum, aliud constituantur totius Ecclesie caput.

20 Denique objiciunt aliqua loca Divi Gregor. in quibus reprehendit Joannem Constantinopolitanum, eo, quod universalem Episcopum, seu Patriarcham, se ipsum appellaret, & ad illum magis confundendam adjungit: nullus unquam decessorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti

consensit. Et lib. 6. epist. 30. ad Mauritium, aliás cap. 194. inquit: „Ego fidenter dico, quia „quisquis se universalem Sacer- „dotem vocat, vel vocari desi- „derat, in elatione sua Anti- „Christum p̄ecurrit, quia super- „biendo, se cæteris p̄æponit. Hanc eamdem sententiam tra- didit, ante Gregorium, Pelagius II. contra eundem Joann. in epist. 1. ad illegitimum Concil. Constantinopolitanum. Et ante hos Pontifices legitur in Con- cil. Cartaginens. III. cap. 26. Et in Concil. Africano tempore Bonifacij, canon iste: *Prima Sedi Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum prima Sedis Episcopus.* Hoc argumento valde se jactant, convictos esse Papistas.

21 Ex dictis, inquam, pe- nè omnia ista soluta manent: cum enim dicent, se ignorasse, quibus artibus Pontifices Ro- mani, &c. Respondemus; hoc facile intelligere potuissent, si sapere vellent. Etenim hoc non est factum humana arte, sed virtute illius verbi: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ro- gavi pro te Petre, ut non defi- ciat fid' tua. Vobis cum sum usque ad consummationem sa-

culi. Ita intellexerunt Sanctè, & Catholicè omnes antiqui PP. qui fuerunt Sanctiores, & doc- tiores omnibus Protestantibus; & quorum comparatione, qua- si nihil sunt Protestantes. Illa igitur arte, qua Sylvester Papa Constantinus Imperatorem, to- tumque Romanum Imperium, cuius dominium se extendebat ad totum Orbem, ita sibi sub- jecit, ut Christi Vicarium, Pe- tri successorem, & majori ho- nore, se ipsum confiteri dig- num non erubuit; ac eadem arte reliqui SS. Pontifices con- servarunt eamdem dignitatem, & potestatem, & contra portas inferi defenderunt: Ergo artes illæ non fuerunt aliae p̄æter. Verbum Dei, magna virtute Spiritus liberè prædicatum, & interdum divinis virtutibus, mi- raculis, & illustrationibus, pro temporum opportunitate con- firmatum, juxta divine provi- dentiæ dispositionem. Errant igitur Protestantes, & verbo Dei contradicunt, dum ajunt: Primum Papæ debile in Sa- cra Scriptora habere fundamen- tum. Nam talis Primatus per- petuus, & non in sola persona Petri; sed per successionem semper duraturus; sufficienter continetur in Sacra Scriptura, & per traditionem ab ipso ore Christi, usque nunc pervenit, ut experientia constat.

22 Deinde (inquit Mace-
do) qua fronte ipsi Protestan-
tes dicunt, se esse legitimos
DD. & Ministros Evangelij,
cum id ex Evangelio probari
non possint? Immò, nec Lu-
therus, nec Calvinus in Evan-
gelio nominantur, aut conti-
nentur, nisi forte cum de An-
tichtristo, falsis Prophetis, aut
furibus, & latronibus sit men-
zio. Sed abigamus has pestes.
Quis credat, Christum, cum
suam condebat Ecclesiam, ni-
hil de perpetuitate illius cogi-
tasse? In veteri Synagoga, quæ
nostram Ecclesiam figurabat,
fuit successio Pontificum post
Aaronem. An, non constat id
ex Scriptura Sacra? Præterea;
Rege Saule instituto, continuò
facta est constitutio in poste-
rum illius Regni, & Deus sig-
nificavit perpetuum Regnum
forè, nec cum singulis personis
extinctum iri, donec veniret
Messias: Hoc etiam in Scrip-
turis habetur. Quare igitur,
& quomodo petra Ecclesiæ
æternum duraturæ fracta conci-
deret, & arenæ instar effueret?
Ego verò Credo, ideo in Petro
fundatam fuisse Ecclesiam, ut
hæc non immobili arena, uti
caduca, sed in solida petra fundata,
uti æterna confisteret.
Præterea; si ex Sac. Script.
constat, quod Christus habet
ovile, & hoc quidem perpetuò

futurum, opus est Pastore, qui
curam ejus semper gerat: er-
go si Petro traditum est, qui
ei succedunt, veri, & justi Pas-
tores erunt.

23 Ad aliud, dicimus cum
D. Aug. epist. 165. in illum
Ordinem Episcoporum, qui
ducitur ab ipso Petro usque ad
Anastas. (dicamus nos, usque
ad Benedictum XIV.) qui nunc
eamdem Cathedram tenet, etiam
si quisquam traditor per illa
tempora subrepisset, nihil præ-
judicaret Ecclesiæ, neque inno-
centibus Christianis, quibus
Dominus, prævidens de præ-
positis malis, ait: *Quæ dicunt,*
facite, quæ autem faciunt, fa-
cere nolite; *dicunt enim,* &
non faciunt: ut certa sit spes
fidelibus, quæ non in homine,
sed in Deo collocatur. Sed de hoc
amplius infra. Sicut enim Ju-
das pravus Apostolicam Digni-
tatem non fecavit, ita quan-
vis aliquis Pontifex in tanta
multitudine inventus sit pra-
vus, non maculavit Apostoli-
cam Sedem: quia, ut posteà,
nullus in eis fuit Hereticus,
saltem, ut Pastor universalis,
qui hæresim publicè docuerit;
& vita mala Sanctitatem Sedis
non diminuit. Et quod de per-
sonis Pontificum dicimus, de
Cardinalibus, illos eligentibus,
dictum intelligatur.

24 Ad aliud respond. neg.

cedere in injuriam Christi, quod in terris habeat unum Vicarium, qui suo modo caput visibile Ecclesiae militantis, & visibilis sit: quia hoc est caput ministeriale; ipse vero Christus solum semper est caput principale. Non enim dicimus, nec dici potest, quod Summus Pontifex est Successor Christi; sed tantum dicimus, quod est Successor Petri, & Vicarius Christi. Nam esse Successorem, dicit, & esse aequalem cum priori, & priorem jam defuisse: Et utrumque est hereticum: quia semper Christus solus est principale caput, & nobiscum est usque ad consummationem saeculi. Vicarij autem ejus, sibi invicem succedentes, sunt tantum caput ministeriale Ecclesiae, inter se aequales, & cum morte ab Ecclesia deficient. Et ideo hoc non solum non derogat dignitati Christi, sed valde commendat charitatem, & pacientiam ejus, & singularem providentiam erga suam Ecclesiam. Olim etiam Deus dominator erat populi Israel; nec ideo tamen non Judices admissit, per quos ita gubernabat Hebraeos, ut verum esset, dicere, per se gubernasse; ut constat ex illo I. Reg. 8. ad Samuelem: *Non te abjecerunt, sed me:* Ergo qui, cum gubernaret, alios gubern-

natores admissit; cur non, cum regat, & pascat, alios Rectores, & Pastores admittet? Aut quomodo injuria fit Christo, si Deo facta non fuit? Igitur Christum esse caput principale, nil officit quominus alij item capita sint, dum modo sint ejus Vicarij, capita ministerialia, & mortalia sub capite principali, & immortali. Advertendum tamen est, quod non nulli abutuntur hac voce, intendentes dici caput ministeriale, quia ab Ecclesia recipit auctoritatem; quod falsum est, ut jam dictum, & postea dicendum.

25 Ad ultimum respondet quod D. Gregorius nomen Universalis Episcopi repudiavit: Tum propter humilitatis exemplum, & excessum. Tum etiam, ut efficacius superbiam Constantinopolitani Episcopi cohiberet. Eodem modo respondet ad Pelagium Papam. Canon ergo ille Concilij Carthag. & Africani, non intelligitur de Romano Pontifice, sed de Primate Africano, ut recte glossa exposuit in cap. 3. dist. 99. neque enim Provincialia, seu Nationalia Concilia, ut illa fuerunt, poterant statuere, quomodo Papa vocandus esset: immo fortasse PP. illorum Conciliorum, vetuerunt, Primate suum, appellari Summum Pon-

tificem, ne Romano Episcopo fieret injuria. Vel aliter respond. ad Pelagium, & Gregorium, quod nullus Romanus Episcopus vocatus fuit Pastor universalis; sicut se Patriarcham universalem dicebat Joannes Constantinopolitanus, qui ideo reprehenditur: Sed vocatur Pastor, aut Episcopus universalis Ecclesiae; quæ multum differunt: nam Pastor, aut Episcopus universalis, denotat, ipsum solum esse Pastorem, aut Episcopum; quod falsum, & hereticum est. Pastor autem, aut Episcopus Ecclesiae universalis; tantum denotat curam, & gubernationem generalem totius Ecclesiae, quæ compatitur gubernationem specialem Ecclesiarum particularium à suis respectivè Episcopis. Hanc respons. ipsemet Gregor. satis ostendit, dum lib. 7. Epist. 70. concludit: *Si unus universalis est, restat ut vos Episcopi non sitis.*

26 Vel aliter potest hoc explicari cum nostro Boyvin, advertendo, quod nomen ecumenici, seu universalis duplicum habet significationem; prima est grammaticalis, & est idem ac *solus*, in quo sensu falsissimum est Sum. Pontificem esse Episcopum Universalem, seu ecumenicum: in isto ergo sensu loquitur D. Gregor.

quando dicit Eulogio Patriarchæ Alexandriæ: *Si vestra sanctitas me Episcopum universalem nominet, negat se esse Episcopum*, lib. 7. ep. 30. Et lib. 4. ep. 36. inquit: *Si unus sit Episcopus universalis, omnes alij non sunt Episcopi.* In alio igitur sensu vocamus Summum Pontificem Episcopum universalim, nempe, quatenus est Episcopus, super alios Episcopos intendens; quia Pontifex habet autoritatem super illos, & super omnes suas Ecclesias, pro quibus potest leges condere; Episcopos illarum, delinquentes, deponere, ipsos restituere, & similes actus autoritatis exercere. In hoc sensu vocarunt Episcopum universalem plures PP. & Concilia, quæ possunt videri apud nostrum Boyvin de Summo Pontifice, q. 6.

QUÆST. III.

Utr. *SIT DE FIDE, Benedictum XIV. nunc regnantem, & in Romano Episcopatu sedentem, esse Ecclesiae Universalis Pastorem, Vicarium Christi, & Successorem Petri?*

Negant aliqui, volentes esse quidem de fide, legitimum Episcopum Ro-

Romanum , seu Petri successo-
rem esse Papam . Sed nolentes
esse de fide , hunc hominem ,
verbi gratia , Benedictum XIV.
esse Summum Pontificem : quia
non est de fide (inquiunt) esse
Canonice electum in Episco-
pum Romanum , seu in succe-
sorem Petri , cum hoc non sit
à Deo revelatum . Sit tamen
nostra

CONCLUSIO.

DE fide est Benedic-
tum XIV. legiti-
mè electum , & ut talem ab
Ecclesia acceptatum , esse ve-
rum Papum , Vicarium Christi ,
& successorem Petri . Ita com-
munissimè Theologi . Proba-
tur 1. ex Conc. Constantiens.
fess. ult. ubi decernit Mart. V.
ut ab his , qui de hæresi ad fi-
dem revertuntur , petatur inter
alia . Utr. credant , quod Papa
canonicè electus , qui pro tem-
pore fuerit , ejus nomine pro-
prio expresso , sit successor B.
Petri , habens supremam autho-
ritatem in Ecclesia Dei ? Ergo
supponit , esse articulum fidei ;
cum hæresim adjurantes , non
nisi de fidei veritatibus inter-
rogentur . Probatur 2. Ecclesia
Catholica nunc existens est de
fide divina , quod est vera Ec-
clesia : Ergo , & Summus Pon-
tifex canonicè electus , & uni-

versaliter admissus , adoratus
que ab Ecclesia , est de fide ,
quod est verus Pontifex . Antec.
nullus Catholicorum negat:
nam Christus revelavit , suam
Ecclesiam esse duraturam usque
ad consummationem sacerdii .
Probatur conseq. eadem certi-
tudine constat de existentia ca-
pitis alicujus veri , & perfecti
corporis , ac de existentia per-
fecta ipsius veri corporis : sed
fide divina nobis constat de
existentia perfecta corporis ve-
ra Ecclesia Catholica à Jesu-
Christo fundatae : ergo , &c.

Respondent contrarij ;
hoc solùm probare esse de fide ,
quod existit caput Ecclesiæ : non
verò , quod caput Ecclesiæ sit
hic numero Pontifex , qui dici-
tur Benedictus XIV. Sed con-
tra : ergo jam est de fide , quod
in hac vera Ecclesia datur ve-
rum caput . Atqui nequit esse
aliud , nisi hic numero Ponti-
fex , qui vocatur Benedictus
XIV. Ergo , &c. Probatur min.
hic numero Pontifex , & non
alius est receptus , & adoratus
ab Ecclesia universalí tanquam
caput ipsius : atqui in hoc erra-
re non potest universalis Eccle-
sia : g. &c. Hæc min. patet:
quia in materia de fide , nequit
Ecclesia errare ; quia est colum-
na , & firmamentum verita-
tis ; juxta D. Paul. 1. ad Ti-
moth. 3. Præterea ; non potest

Ecclesia recipere aliquid , tanquam de fide , quod non est tale ; aliás erraret in materia fidei : sed definitiones Benedicti XIV. in materia de fide recipit tanquam fidei articulos : Ergo sunt de fide . Subsumo : atqui non essent de fide definitiones Benedicti XIV. si non esset de fide ejus authoritas ; quia tunc licet dubitare de illa : Ergo , &c.

4 Urgetur hoc : illa conclusio est de fide cuius duæ præmissæ sunt de fide : sed hæc conclusio ; Benedictus XIV. est verus Pontifex ; sequitur ex duabus præmissis de fide : g. &c. Major concedunt omnes Catholici. Probatur min. præmissæ ex quibus sequitur dicta conclusio , sunt istæ : *Omnis in Papam legitimè electus , & ut talis ab Ecclesia receptus , est verus Papa : Sed Benedictus XIV. est talis :* istæ igitur sunt de fide : g. & illa Conclusio , quæ ex illis deducitur. Major quidem ab omnibus conceditur ; aliás non esset de fide , legitimum Petri successorem esse verum Papam. Minor sic ostenditur : quia eo ipso , quod Ecclesia recipit Benedictum XIV. ut legitimè electum , revelat Deus , ipsius electionem esse legitimam : quia promisit Christus numquam Ecclesiam suam erraturam in materia fidei : at-

qui erraret in tali materia , G non staret conclusio , quando quidem agnoscens Benedictum XIV. ut Papam , ipsum agnoscat ut fidei regulam infallibilem , qui ex opposito , esset fallibilis regula : g. &c. Confirmatur > eo ipso , quod Deus per invocationem alicujus confessoris , vel Martyris , aut per venerationem suarum reliquiarum facit miraculum evidens , ita ut de illo nullatenus possit dubitari , revelat implicité , ipsum mortuum esse in gratia. Quare? quia repugnat (inquit) omnes DD. Catholici) sanctitatì divinæ , facere miracula ad invocationem damnati : g. eo ipso , quod Ecclesia , (de qua dixit Dominus , esse columnam , & firmamentum veritatis , & non posse errare in materia de fide) acceptavit Benedictum XIV. ut verum Pontificem , adeoque ut fidei regulam infallibilem , revelavit Deus implicitè electionem ipsius esse legitimam. Patet conseq. : quia sicut repugnat suæ sanctitatè divinæ facere miracula ad invocationem damnati , ita repugnat suæ divinæ fidelitati , & providentia circa salutem hominum , ut permittat , Ecclesiam errare in materia fidei , quam promisit non erraram.

5 Probatur iterum conclusio.

5o : nisi esset de fide , quod Papa regnans est verus Papa, Petri successor , Caput , & Pastor Ecclesiæ , & Christi Vicarius : non esset de fide , quod Petri successor , Caput , & Pastor Ecclesiæ sit verus Papa , nec quod aliquis sit verus Papa: sed consequens est falsum , & hereticum: g. &c. Prob. maj. verus Pastor , & caput Ecclesiæ est aliquis homo determinatus, & singularis existens visibiliter in Ecclesia ; non autem vagus, indeterminatus , invisibilis , & ignoratus ab Ecclesia : Sed nullus alius potest esse nisi Benedictus XIV. Ergo si iste non est, nullus erit in Ecclesia. Præterea; fide divina credimus, quod Concil. Tridentinum , & alia CC. generalia legitimè congregata , fuerunt vera CC. definiens dogmata fidei : sed non poterant esse vera CC. sine vero Papa : g. dum fide divina credimus , fuisse vera CC. eadem divina fide simul profitemur , tales numero Pontifices legitimè congregantes talia CC. fuisse veros Papas. Declaratatur hoc amplius : de fide est, quod solus verus Pontifex potest congregare CC. canonizare SS. dareque decreta obligantia in fide omnibus Christianis : sed hac omnia potest facere Benedictus XIV. & fide tenemur omnes Christiani , cre-

dere Sanctum , quem canonizat ; credereque decreta fidei ab illo emanantia ; & credere pro legitimo Concilio , si aliquod congreget , &c. Ergo de fide est , quod est verus Papa.
 6 Probatur insuper alia ratione non minus efficaci : heresis est maledicti Lutheri; quod Papa canonice electus , & universaliter receptus ab Ecclesia Romana , non est Vicarius Christi , nec verus Petri successor : g. ejus oppositum est de fide. Patet conseq. nam si est heresis dicere : *Christus non est verus homo*; erit , & est de fide opposita propositio , *Christus est verus homo* : Ergo similiter si est heresis Lutheri , & Protestantium , quod Summus Pontifex , qui ab Ecclesia Romana habetur , ut Vicarius Christi , ut est Benedictus XIV. non est talis Christi Vicarius verus : erit , & est de fide opposita propositio, nempe , quod Summus Pontifex , qui ab Ecclesia Romana habetur , ut Vicarius Christi , ut est Benedictus XIV. est talis Christi Vicarius verus.

7 Probatur tandem (omitendo alias plures probationes) hæc nostra conclus. propositio particularis contenta in universalis , toti Ecclesiæ revelata , est immediate de fide , sicut ipsa universalis : Sed hac proposi-
tio,

tio ; Benedictus XIV. est Summus Pontifex, Vicariusque Christi , continetur in propositione universalis , toti Ecclesiæ revelata : g. hujusmodi propositio est immediate de fide. Conseq. tenet , & major est certa ; nam propositio universalis æquivallet omnibus particularibus in ea contentis : Unde idem est, quod Deus revelet aliquam universalem , & quod revelet omnes, & singulares, nisi alium de constet exceptio : decet tamen , quod Deus singulas in particulari non revelet , nec in hoc quasi immoretur , sed quod omnes comprehendat sub aliqua universalis , quasi partes actuales illius. Hac de causa est de fide , Salomonem , Petrum , & Joannem , & sic de alijs in Adamo peccasse ; quia Deus revelavit , quod omnis homo in Adam peccavit. Similiter de fide est , Concil. Trident. non potuisse errare in Decretis , quæ concernunt materias fidei. Quare ? quia Deus revelavit , quod omne Concil. legitimè congregatum , in rebus fidei nequit errare ; neque enim fieri potest , quod universalis propositio sit vera , & de fide , quin particularis sit etiam vera , & de fide : alijs possent formari duæ contradictiones simul verae , ut facile considerant patibit.

8 Ratio à priori est ; quia ad fidem duo requiruntur solum : primum , ut existat revelatio de objecto credendo. Secundum , quod hæc revelatio ita proponatur , ut cuiuslibet prudentissimo nullum se offerat prudens fundamentum ad dubitandum de existentia revelationis. Igitur ex suppositione , quod individuum sic contentum sub universalis revelata , & aliunde talis revelatio prudenter applicatur per moralē evidentiam , luce cujus cognoscatur esse moraliter impossibile , hoc individuum non esse contentum sub revelatione illa universalis , nihil deest , ut fides absolute exerceatur erga tale individuum. Immo hæretici , ideo sunt Hæretici ; non quia negant Deum esse infinita veritatis in suis attestacionibus : sed quia negant applicationem revelationis divinæ ad mysteria nostra fidei omnino imprudentissimè , & cum necessitate morali ad non negandum ; quia qui , & si non negat , dubitat imprudenter de existentia revelationis , seu de applicatione illius universalis ad particularia , peccat contra fidem , aut peccato Hæresis , ut plures volunt , aut contra præceptum credendi , quæ prudenter proposuntur credenda , ut alij docent.

9 Nunc veniamus ad principalem min: Hæc universalis: *Omnis homo rite electus ab Ecclesia in successorem Petri, est Summus Ecclesiæ Pontifex;* est propositio à Deo toti Ecclesiæ revelata: sed in hac universalis continetur ista particularis: *Benedictus XIV. est Summus Ecclesiæ Pontifex;* g. hæc particularis continetur in aliqua universalis à Deo toti Ecclesiæ revelata. Conseq, tenet: major constat ex supradictis de transfusione clavium Petri ad ejus successores, usque ad consummationem sæculi, quam soli Protestantes, & manifesti hæretici negare possunt. Minor etiam patet; quia particulares contentæ in illa universalis nequeunt alia esse, quam istæ: *Hic, & ille rite electus in successorem Petri est Summus Ecclesiæ Pontifex;* g. cum in praesenti loquatur de Benedicto XIV. non utcumque, sed supposita legitima electione, & acceptatione, tam ex parte ipsius, quam Ecclesiæ, sequitur, hanc propositionem: *Benedictus XIV. est Summus Ecclesiæ Pontifex;* esse propositionem particularem in illa universalis contentam. Quæ continentia declaratur in hoc syllogismo: *Omnis homo rite electus ab Ecclesia in successorem Petri, est Summus Ecclesiæ Pontifex;* sed

Tom. III.

Benedictus XIV. est rite electus ab Ecclesia in successorem Petri: g. Benedictus XIV. est Summus Ecclesiæ Pontifex.

10 Confirmator non alia ratione hæc particularis: *Salomon peccavit in Adam;* est immediatæ de fide, nisi quia continetur in illa universalis: *Omnis in Adam peccaverunt:* quæ continentia explicatur sic: *Omnis filij Adæ peccaverunt in eo: Salomon est filius Adæ: ergo peccavit in eo.* Similiter: *Omnis verus panis potest transubstantiari in Corpus Christi:* sed hic panis est verus panis: g. hic panis potest transubstantiari in Corpus Christi. Similiter: *Omnis infans rite baptizatus consequitur gratiam:* sed hic infans à me baptizatus, est rite baptizatus: g. hic infans est in gratia. In quibus syllogismis nemo potest negare propositiones particulares, pro consequentijs positas, nisi falsificando illas universales à Deo revelatas. Nec potest istis particularibus negare assensum fidei, nisi illum negando illis universalibus: atqui eadem prouersus ratio militat in nostro casu; si quidem hanc universalem: *Omnis homo rite electus in successorem Petri, est Summus Ecclesiæ Pontifex,* Deus toti Ecclesiæ revelavit; & aliunde certo constat, Benedictum XIV. ful-

Qq

fe

Se rite electum in successorem Petri; alias non esset Ecclesia in pacifica acceptatione, sed reclamaret, ut s^{ap}e tempore alicujus Antipapæ reclamavit; nec ipse Benedictus XIV. esset in pacifica possessione, sicut nullus erat tempore Antipapæ, quoadusque uterque renuntiando, unus ex illis, vel alias eligebarit, & declarabatur pacifice ab ipsa Ecclesia: Ergo hæc particularis, *Benedictus XIV. est Summus Pontifex*; est immediate de fide. Quapropter; qui, supposita illa, saltem evidenteria morali minoris propositionis ex pacifica possessione ipsius Benedicti, & acceptatione totius Ecclesie, qua constat, illum esse contentum su subjecto majoris propositionis, talam particularem pro consequentia positam negaret; non posset non negare illam universalem; ac per consequens ageret contra fidem immediate, & esset hæreticus: sicut parvifmitter in dictis syllogismis.

11 Arg. i. Hæc propositio: *Benedictus XIV. est verus Papa;* non est in Sacra Scriptura, neque explicitè, neque implicitè: g. non est de fide. Respond. neg. anteced: quia continetur in illis Oraculis: *Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis:* Et, *Tu es Petrus, &c.* Et, *Porta inferi non prævale-*

bunt: Nam ex his infertur, quod non errat, cum agnoscit Benedictum XIV. ut legitimum suum caput, & verum Papam. Si enim in hoc erraret, posset errare in omnibus alijs ad fidem pertinentibus; quod est aperta Hæresis, & non sciret, se habere Caput, & Pastorem verum, nec sufficienter dirigeretur à Spiritu Sancto, in re summi, & maximi momenti; & sic Deus non staret promissis, neque Christus ipse, &c. quæ omnia sunt contra fidem. Deinde; esto nullatenus contineretur in Sacra Scriptura, censeretur tamen revealari, eo ipso, quod Ecclesia indefectibilis electum agnoscit in Summum Pontificem.

12 Instabis: Non est de fide, electionem Benedicti XIV. esse legitimam: g. non est de fide, quod sit Summus Pontifex. Respondeatur neg. antec. Cum enim non sit Pontifex legitimus, nisi per legitimam electionem, eo ipso, quod revelatur unum, revelatur & aliud. Instab. hæc electio respectu Cardinalium est naturaliter nota; quia naturaliter, & evidenter sciunt, servata fuisse omnia requisita ex Jure Canonico procedentia: g. naturaliter est eis notum, quod electus est verus Papa. g. illis non est de fide: quia fides est argumentum

tum non apparentium. Præterea; respectu nostri, quidquid scimus de tali electione Canonica, ex testimonio hominum accipimus: sed hoc testimonium non firmat assensum Fidei Divinæ, de qua loquimur: ergo, &c. Respondetur ad 1. concedendo, Cardinalibus eligentibus constare naturaliter, electionem esse Canonicanam: Verum hoc non obstat, ut simul credant, electum fore verum Papam, Petri successorem, & Vicarium Christi. Ratio est; quia aliud est, quod naturaliter scitur, & videtur, & aliud, quod fide creditur. Quapropter Anacletus Papa epist. 2. & ex Canon. Electionem, dist. 79. dixit: *Deus sibi reserbat electionem Romanorum Pontificum, licet electoribus potestatem contulerit eligendi*: Aliud est ergo, quod videtur, & aliud valde diversum, quod fide divina creditur. Ex quo etiam patet solutio ad 2. Fide enim humana scimus ex testimonio electorum, hunc numero Papam esse Canonice electum: fide tamen divina credimus, habere potestatem divinam, uti Vicarium Christi, & Petri successorem. Naturaliter sciebat S. Petrus, quod Christus dixerat illi: *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam*; & simul credebat, sibi esse datam potesta-

tem spiritualem capitis Ecclesiæ, quam non videbat, nec naturaliter sciebat.

13 Arg. 2: Veritas Pontificatus in Papa electo pendet a multis contingentibus: g. non est de fide. Prob. antec: Accidere potest, quod electus sit fœmina, quod non sit baptizatus, quod non sit ordinatus, quod sit Hæreticus, &c: sed hæc omnia, & quodlibet ex illis reddit nullam electionem: erg. &c. Respondetur neg. antec. & ad ejus probat. neg. maj. Quia ad Dei providentiam attinet, quod eligentes non decipiuntur, nec deveniatur ad receptionem, & adorationem publicam totius Ecclesiæ: quia jam non esset columna, & firmamentum veritatis. Et portæ inferi prævalerent adversus eam. Ad illud de fœmina dicimus, quod est historia fabulosa ab Hæreticis inventa, & nutrita, dicentibus, Joannem octavum fuisse fœminam, & quod peperit in Amphitheatro, dicto Colloseo Romano. Verum hæc fabula potius est despicienda, quam impugnanda. Videatur Bellarmin. libr. 3. de Rom. Pontif. cap. 24. Baron. arno 853. Nost. Macedo, & alij controversiæ. Qui autem (inquiunt Salmatiens). Tract. de Fide modo historiam illam transcribunt, vel narrant, acriter puniendi essent;

nisi eos excusaret ignorantia, non advertentes, hoc dedecere majestatem Ecclesiae; & esse apud nostram conclusionem formalem hæresim; vel saltem, juxta omnes Catholicos, nemini me dempto, erronum, scandalosum, & temerarium.

14. Circa alia, nonnullis RR. durum videtur, asserere, post acceptationem pacificam Ecclesiae, & pacificam possessionem Summi Pontificis, elevari ad certitudinem fidei, electum esse baptizatum, ordinatum, Ministros habuisse intentionem, &c. qua propter defendunt, quod est de fide; *Benedictum XIV. esse Vicarium Christi:* & ex hoc inferatur, tanquam conclusio Theologica, quod non sit foemina, quod sit baptizatus, ordinatus, &c. Sed melius respond. nullum esse inconveniens, asserere; quod prædictæ veritates, sint etiam de fide: quia eo ipso, quod Deus permittit, illum titè eligi, & ut legitimè electum agnoscì ab Ecclesia, & se ipsum pro tali haberi, exercendo dignitatem Pontificiam, virtualiter revelat, habere omnia ad Papatum requisita.

15. Arg. 3: non esset hæreticus, qui diceret; *Benedictus XIV. non est verus Papa:* erg. non est de fide, esse talis. Respond. dist. antec. non esset hæreticus; qui hoc diceret ante

Ecclesiae acceptationem, & pacificam possessionem, concilium post acceptationem, & possessionem, neg: quia sic opponeretur Concil. Constantiensi; & Decreto Martini V. Et Concil. Florentinum jam definitivit, Romanum Pontificem Canonicè electum succidere in tota potestate S. Petri. Ergo aliqui Catholici oppositam conclusionem defendantes, sunt Hæretici, & sunt denunciandi Supremo Inquisitionis Tribunalis? Ipsi respondeant: Certum enim est, quod non sunt hæretici si ante pacificam possessionem, & acceptationem, dum Cardinales Electores sunt diviti, si id negant: verum juxta communissimam sententiam Catholicorum, hæretici sunt, & denunciandi: dum modo bona fide, ob rationes vias sibi sufficientes, non credant non esse articulum fidei.

16. Arg. 4: *Benedictum XIV. esse verum Papam* habetur ex discursu: sed fides non est discursiva: g. &c. Respond. disting. maj: habetur ex discursu, necessariò inferente, & pure applicativo, seu representativo terminorum, concilium contingenter, seu probabiliter inferente, & ut motivum assentiendi, neg. Consimiliter disting. min. & neg. conseq. Etenim hæc propositio: *Cælum est creatum;* & hæc:

Hæc: Datur Deus; naturaliter cognoscuntur, & per discursum naturalem; attamen sunt de fide, dum illis assentimus, prout revelata sunt à Deo. Deinde, in hoc syllogismo: Omnis homo est redemptus à Christo: sed Petrus est homo: g. Petrus est redemptus à Christo: cognoscimus naturaliter Petrum esse hominem; verum conclusioni non prævenimus assensum ex vi istius minoris propositionis, tamquam ex motivo assentiendi, nec ex vi illationis; sed ex motivo superno propositionis majoris revelata: quoniam revelatum est, omnem hominem esse redemptum: minor ergo propositio solum deservit ad cognitionem Petri, seu ad explicandam, & applicandam revelationem universalem particuliari materiae: g. similiter aliud est, me naturaliter cognoscere, Benedictum XIV. esse canonice electum in Episcopum Romanum; & aliud est, me credere ex illo motivo illum esse verum Papam.

17 Atg. ultimo: potest esse de fide propositio universalis, quin eo ipso sit de fide propositio particularis: g. potest esse de fide, quod omnis ritus; & recte electus est Vicarius Christi, quin eo ipso sit de fide, quod Benedictus XIV. sit verus Viracarius Christi.

Probatur antec: de fide est, quod omnis ostia ritè consecrata continet corpus Christi; atqui non est de fide, quod hæc particularis hostia illud continet: g. &c. Respond. disting. prim. anteced: potest esse de fide, &c. si ignoratur, vel non certo cognoscitur continentia particularis in universalis, conc; si non ignoratur, sed sufficienzi certitudine cognoscitur, particularē contineri in universalis revelata, neg. Etenim licet aliquid dicant, esse certum, & de fide, quod Christus sic in hac particulari hostia a Petro consecrata; quia non habeo motivum ad dubitandum de recta consecratione; & consequenter, habeo certitudinem moralem, & prudentissimam continentia hujus particularis in illa universalis. Attamen communiter respond. DD. quod non est de fide, Christum esse in hac numero hostia: quia non est certum absolute, & positive; sed quasi negative, & respectivè ad actum adorationis, quod hæc hostia fuerit ritè consecrata: Et hoc sufficit, ne ejus adoratio sit actus idolatriæ, sed Religionis: ad hanc quippe virtutem sufficit, quod præcedat probabile, & prudentiale judicium de existentia objecti suorum actuum. At vero ad assensum fidei requiritur major cer-

certitudo, qualem habemus circa Benedictum XIV: eo ipso, quod ab Ecclesiâ, quæ non potest errare circa fidem, & mores, agnoscitur, & recipitur, ut verus Christi Vicarius. Ob quod ipsimet adversarij dicunt, esse ira certum, quod Benedictus XIV. est verus Papa: quod contrarium asserere, est temerarium, scandalosum, & erro-neum; quod non contingit in dubitatione rectæ consecratio-nis hujus particularis hostiæ: g. est magna disparitas. Sed prima responsio magis conforma-tur cum Protestatione Fidei, quæ in Hispania petitur a moribundis, dum Viaticum acci-piunt.

18 Nonnulli oppununt nos-træ conclusioni, plures Pontifi-ces intrusos ad Pontificatum. Sed hæc non est nostra quæstio; quia nostra conclusio procedit de ritè, & canonicè electo. Etenim, quidam intrusi, fuerunt omnino abrogati, & non computantur in serie Pontificum; nonnulli alij in ea recen-sentur, sed non pro tempore usurpationis, sed pro subse-quenti, in quo, accedente con-sensu Electorum, fuerant ut le-gitimî Pontifices solitis ritibus electi. Unde considerandum est, tunc de legitima electione conf-tare, cum Catholica Ecclesia aliquem recipit, ut legitimum,

& indubitatum Pontificem; nam consensus universalis Ecclesiæ fallibilis esse non potest. Hinc, sicut non potest colere Sanctum, qui sanctus non sit; nec ali-quid de fide tenere; quod de fide non sit: ita nec potest decipi, recipiendo ut verum Pon-tificem, & ut certam istarum rerum regulam, qui verus Pon-tifex, veraque regula viva non sit.

QUÆST. IV.

IN QUA RESOLVUNTUR

*aliqua dubia de Romano
Pontifice.*

I **D**ubitabis L. *An Sum-mus Pontifex sit supra Concilium generale, vel è contra?* Ante responsonem est advertendum, quod Concilium est congregatio, non quorumcumque hominum, sed de jure cum suffragio decisivo ad illud debent concurrere soli, & omnes Episcopi, & his majo-rem Prælati Ecclesiæ: quia his solis, & omnibus, utpote capi-tibus, Principibus, & Pasto-ribus Ecclesiæ ex officio incum-bit pascere, regere, docere Ec-clesiam, littes cognoscere, ac dijudicare. Acto. 20. v. 28. *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Ex privilegio possunt à Ponti-fice

sice admitti etiam cum suffragio decisivo aliqui non Episcopi, v. g. Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum Religiosorum. Admittuntur quoque DD. Theologi, & Sacratum Litterarum periti, & Jurisconsulti ad ferenda suffragia, non decisiva, sed solum consultiva, ut admittuntur advocati in Curia, & Parlamento, nempe, ad examinandas, & excutendas propositas difficultates. Principes politici, vel illorum Legati admittuntur, ut Decretorum Concilij testes adsint, & defensores, & executores. Notarij, Custodes, & alij Ministri serviunt ad alias necessarios usus. De plebe, si qui adesse velint, debent tacentes adesse, ut dicitur de multitudine Hierosolymitana Actor. 15.

2. Advertendum est 2. quod convocare Concilium generale, & in eo præsidere, non est Imperatoris, ut volunt Protestantes; nam hujus potestas non est spiritualis, neque in spiritualia, neque se extendit in universum Orbem: sed hoc spectat jure divino ad solum supremum Caput, Principem, & Pastorem totius Ecclesiæ, id est, ad Romanum Pontificem. Unde, hic solus potest facere, ut reliqua Ecclesiæ capita convenienter in nomine Domini, id est, auctoritate à Christo em-

manante. Et verò non Tyberio Imperatori, sed Petro pescatori tradidit Christus Claves, & regimen totius Ecclesiæ suæ. Et etiam in veteri Testamento munia spiritualia omnia erant penes Pontifices, non penes Reges, ut patet 2. Paralip. cap. 19. Nisi forte unus idemque simul esset Princeps, & Pontifex, ut contingit in Moysè, & Machabæis; vel Princeps politicus simul, & Propheta, ut fuerunt David, & Salomon. Aliás gravissimè, ut plurimum punitos vidimus Principes politicos. Tum in veteri lege, v. g. Oziam: Tum in nova, quando munijs spiritualibus sese immiscere præsumperunt.

3. Advertendum est 3. quo d. Concilium est quadruplex; *Diecesanum*, quod & specialiter Synodus dicitur; ad quod, Præsidente Episcopo, convocantur Canonici, & Pastores illius Diœcesis. Aliud est *Provinciale*; ad quod convenient Episcopi alicujus Provinciæ cum Archiepiscopo Præidente. Aliud est *Nationale*; in quo congregantur Episcopi, & Archiepiscopi unius Regni, aut Nationis, v. g. totius Hispaniæ, cui præst Primas, aut Patriarcha. Et aliud *Generale*, seu *œcumenicum*; de quo procedit nostra dubitatio.

4. Nunc respond. quod Con-

Concil. Generale , si Papam excludat , non est supra Papam. Sed Papa , seu Summus Pontifex tam absolute est supra Concilium , & universam Ecclesiam Christi , ut nullum sit in terris tribunal , aut judicium , cui se possit (etiam si vellet) juridice subjicere. Hæc resolutio est contra Protestantes , & contra aliquos DD. Sorbonistas ; qui volunt , Papam in Ecclesia non aliud esse , quam aliquis Generalis in suo Ordine Religioso , scilicet , Caput singulorum , sed Subditum omnium Congregatorum. Pro parte tamen nostra stant communiter DD. Catholicæ : quia Summus Pontifex , etiam solus , iure divino est Caput , & Princps universæ Ecclesiæ , etiam simul congregatae. Neque enim accepit ipse suam Potestatem à Concil. vel ab Ecclesia (ut Rex à Regno , Generalis à Religione) sed immediate ab ipsomet Christo ; & accepit illam pro se solo , & in sua persona residentem. Soli igitur Petro , ejusque successori (non autem Concilio , vel alicui congregationi) dictum fuit : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo claves. Pasc e agnos, pasc e oves meas.* Cum ergo ius divinum non possit , seu à Papa , seu ab alijs hominibus tolli , minui , limitari , vel im-

mittari (quod enim Deus coniunctus homo non separeret) non potest etiam Papa , & si vellet , se Concilio juridice subjiceret.

5. Immò , & Concil. generale definiens aliquid sine consensu Summi Pontificis , non est infallibilis auctoritatis ; nec potest dici sententia Concilij generalis : nec unquam decretæ Conciliorum habentur rata , & firma ab Ecclesia , donec approbentur , & confirmentur à Summo Pontifice. Amplius dico cum Nostro Aye ; quod etiam si vellet Summus Pontifex , ut quæcumque , senscente , & inscio , sed consentientibus suis Legatis , à Concilio statuentur , eo ipso rata , ac fixa sint ; non tamen essent infallibilis veritatis , quoad usque ab ipso met postmodum visa approbentur : quia hæc infallibilitas ipsi soli à Christo concessa est ; neque potest per ipsum alijs delegari , vel communicari. Verum Concilium semel approbatum à Summo Pontifice , est prorsus infallibilis veritatis , quoad Decreta , quæ fidem , & mores spectant. Oritur autem hæc infallibilitas ex assentia Spiritus S. promissa Concilio cum Pontifice in unum collecto : *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem , Joann. 16. ubi duo , vel tres congregati fuerint.*

fuerint in nomine meo , ibi sum in medio eorum , Matth. 18. Multo magis quando tam multi convenient , ait Concilium Calcedon.

6 Dubitabis 2. *An Decreta Summi Pontificis loquentis ex Cathedra , sive fidei sint in Concil. sive extra , sint infallibilia , seu objecta materialia divinae fidei?* Respondetur affirmativè. Quia Sedes Apostolica quoad potestatem , & autoritatem eadem est sedente Benedicto XIV. ac sedente D. Petro : sed sedente Petro , potuit facere , & de facto fecit Decreta infallibilia , quæ sunt objecta fidei divine , & hoc absque generali Concilio : g. &c. Præterea ; error fuit Wicleff. Quod Summus Pontifex non habens mores Sancti Petri , non habebat æqualem potestatem , & autoritatem cum S. Petro: Sed hoc damnatum est in Concilio Constantiens : g. &c. Verum tamen est , quod Romanus Pontifex gravia Ecclesiæ negotia circa fidem , vel circa mores frequentissimè proponit discussienda in Concilijs , sive generalibus , sive Provincialibus , vel Cardinalibus , & alijs Theologis , aut Canonistis : & deinde super eis Decreta format: Sed ipse solus licite , & valide , præsertim , si in Theologicis , & in Sacra Scriptura sit versa-

tus , potest resolvere dubia fidei , & credenda sancire , & definire : quia , ut jam sapè diximus , de jure divino Romanus Pontifex succedit S. Petro , in integra autoritate pastoriæ , & jurisdictioni ad Ecclesiam regendam , & pascendam : ipsi ergo soli dictum est : *Tu es petra. Tibi dabo claves. Pasce agnos. Pasce oves meas. Rogavi pro te , ut non deficiat fides tua : & tu confirma fratres tuos.* Si enim errare posset ; jam non confirmaret , sed deciperet fratres suos : nec pasceret , sed intoxicarebat oves Christi ; nec Cœlum ipsis , sed infernum aperiret : nec fulciret , sed everteret Ecclesiam Dei.

7 Ex quibus sequitur; quod Summus Pontifex , quando loquitur ex Cathedra , seu quod idem est ; reduplicative , ut Pontifex ; quod tunc facit cum obligat fideles ad suam sententiam sequendam , & amplexandam , non potest præcipere rem malam , vel saluti nocivam , nec potest prohibere rem bonam , ac saluti necessariam. Hoc intelligitur in Decretis morum: quia in alijs decretis potest errare , v.g. legem superfluam condendo , graviorem poenam imponendo , quanvis nec in istis est præsumendus error , nisi evidenter appareat. Unde , infallibilis est Summus Ponti-

sex in SS. canonizatione, immò & in Beatificatione ; sed non eadem infallibilitate. Advertendum est, hoc esse discrimen inter Canonizationem, & Beatificationem ; quod canonizatio est definitiva Papæ sententia de sanctitate, & gloria canonizati. Beatificatio autem, quæ via est ad canonizationem, est tantum indulgentia, & concessio facta alicui Provinciae, aut Religioni, ut alicui defuncto possit certos cultus deferre, v. g. Missam, & officium de eo celebrando. Unde, in Bullis canonizationis utuntur Pontifices his verbis : *Definimus; decernimus; mandamus.* In Bullis autem Beatificationis : *Concedimus; indulgemus, &c.* De fide igitur est hæc major : *Omnis defunctus in gratia est sanctus,* & dum Pontifex canonizat aliquem, declarat quod talis continetur in illa majori, v. g. Sanctus Franciscus : & interfertur tanquam de fide, quod S. Franciscus est Sanctus. Unde infallibiliter infallibilitate fidei est Sanctus. Circa Beatificatum autem dicunt aliqui ; quod infallibiliter infallibilitate tanquam morali, non vero fidei, habetur quod sit Sanctus. Etiam dicunt, quod non possunt omnes fideles de illo recitare ; sed solum illæ personæ, quibus conceditur. Etiam aliqui existimant

quod solum semel in anno, in die à Sede Apostolica concessio potest de illo recitari. Verum aliqui é contra dicunt ; quod etiam est infallibile infallibilitate fidei, quod talis Beatificatus sit Sanctus, quibus libenter subscribo : quia ad providentiam Dei spectat non permettere aliquem colli, & honorari honore SS. quin continetur in illa generali : ac per consequens, per talem permissionem declaratur, contineri implicite in revelatione generali. Similiter, contradicunt, in cultu, & veneratione Beatificatorum. Deinde, tam Beatificatio, quam Canonizatio spectat ad materiam fidei, & Religionis : Sed in hoc Pontifex est infallibilis : g. &c. Videatur noster Matthæuc. cont. 7. cap. 5. n. 42. ubi num. seq. inquit cum Lauræa, esse de fide, Sanctum, & Beatum esse in gloria.

8 Dubitabis 3. *An aliquis aliquando Pontifex erraverit in Fide?* Homo, qui est Summus Pontifex, dupliciter spectari potest. *Primo*, ut persona, & Doctor particularis, quando scilicet, ex propria mente aliquem librum componit, opinionem suam exponit, questionem tractat, &c. nihil decernendo vi authoritatis Papalis. *Secundo*, reduplicativé ut Pon-

tifex , seu ut Christi Vicarius , & Supremus Pastor Ecclesiæ universalis , quando scilicet , loquitur ex Cathedra , seu ex officio , proponendo , vel definiendo credenda ab omnibus fidelibus . Nunc respond . quod nullus Summus Pontifex , loquens ex Cathedra , seu ut Vicarius Christi erravit in fide . Loquens autem , ut Doctor particularis , adhuc sub lite est inter DD. Catholicos . an aliquando aliquis erraverit , vel errare possit in fide , hoc est , fieri hæreticus , seu in hæresim incidere ? Et certe (inquit noster Haye , qui negativam partem tenet) ex tot Romanis Pontificibus , subinde moribus , ut cumque discolis , nemo unquam repertus (et si de quibusdam id falso consingant Hæretici) qui in Hæresim , vel apostasiam fuerit prolapsus , ut fusè Bellarmin. demonstrat , & noster Mecedo in Theolog. positiva . Privilium enim illud : *Rogavi pro te , ut non deficiat fides tua* : videtur accipiendum non de sola publica , & externa fide , quam docet Petrus , & successores ejus ; sed etiam de privata , & interna fide : nam ideo id illis imperatum , ut fratres suos in fidem confirmarent . Sed quomodo confirmabunt , si sint ipsi metu , vel Hæretici , vel infideles ? An , in alijs eam stabi-

lent , quam ipsemet animo exerceantur , & impugnant?

9 Hoc vero non obstante , alij oppositum defendunt . Tum quia hæc immunitas Pontificum de hæresi personali nusquam legitur explicitè in Sacra Scriptura . Tum etiam ; quia est canon in Decretalibus dist 40. sic : *Papa à nomine est judicandus , nisi apprehendatur à fide devius* : g. supponit possibilitatem culpæ ; alias superflua facret poena . Hæc ratio est fortis . Tum etiam ; quia si possunt crimina publica , etiam horribilia , commitere , quidni & minora contra fidem ? Hac sola causa (inquit Adrianus 2. in 8. Synodo general.) *Licet inferioribus , de superioribus judicare* . Utrumque est probabile . Primum , pro viribus defendit inter alios noster Matthæucus controv. 7. cap. 1. num. 3. &c n. 6. ubi inquit , quod sibi est probabile , id esse de fide certum . Et n. 19. ait , quod Canon . Si Papa fuit editus , ab Archiepiscopo Moguntino , & vim non facit , utpote privat Doctoris . Et n. 20. esse ex hypothesi impossibili , ait . Secundum , verò est probabilius , inquit Arbiol , & nost . Boyvin de Summo Pontifice quæst. 9. quia infallibilitas personalis fuit quidem communicata D. Petro , sed non transit in Suc-

cessores ; non enim omnia privilegia concessa Petro , communicantur illis , ut patet de dono linguarum , miraculorum , de confirmatione in gratia , &c. Deinde , Pontifex , ut Pastor Ecclesie , non minus infallibilis est in Decretis circa mores , quam in Decretis circa fidem : sed est compatibilis prima infallibilitas cum deficientia personali bonorum morum , ut omnes concedunt : g. & secunda infallibilitas est compatibilis etiam cum deficientia personali fidei.

10 Dubitabis 4. Utrum Petrus , dum Christus negavit , fidem amiserit internam ? Respond. negativè. Probatur ; nam externè tantum fuit actus infidelitatis : g. &c. Probator antec. ex magna Aug. autoritate , lib. contra mendac. cap. 6. ubi ait : *Quis ita evanescat , ut existimet , Apostolum Petrum hoc habuisse in corde , quod in ore , quando Christum negavit ? In illa negatione in eius veritatem tenebat ; & foris mendacium proferebat :* Ergo externè tantum , & ex timore prorrupit in actum infidelitatis externum : Ergo negatio Petri non fuit interna infidelitas , seu hæresis : Ergo fidem internam non amisit. Hoc non obstanti dicendum est , quod illa Petri negatio fuit grave

peccatum , externè vero tantum infidelitatis. Patet hoc ex ipso August. tract. 66. in Joann. ubi ait : *Non accusemus Christum , cum defendimus Petrum. Peccatum agnovit infirmitas , nam mendacium non habet veritas. Et prorsus Petri infirmitas peccatum agnovit ; & quantum mali Christum negando commissit , plorando monstravit : ipse suos redarguit defensores , & unde eos convincent , producit lacrimas testes :* g. negatione , Petrus peccavit contra præceptum fidei , non confitendo externè illam tempore , quo tenebatur ; ideo solum perdidit charitatem , & actum exteriorem fidei ; quia ore non fecit confessionem fidei , quam in corde tenebat.

11 Dubitab. 5. An Summus Pontifex possit errare , in approbatione Religionum ? Respond. negative. Est communis sententia Catholicorum contr. Can. lib. 5. de locis Theologis , ubi negat in hac re infallibilitatem Pontificis ; in quo à ceteris Theologis discedit , & ab ipsis merito reprehenditur. Probatur nostra communis resolution : Instituta religiosa sunt Sancta , salutaria , honesta , & media conducentia ad acquirendam perfectionem , & conformia observantia consiliorum Evangelij : Ergo Pontifex mi-

minimè errare potest in eorum approbatione. De antecedenti nullus dubitare potest, nisi cum Wicleffo blasphemet, damna-to à Martino V. in Conc. Constantiensi. Consequentia sequitur; alias Pontifex erraret in materia morum; siquidem proponeret toti Ecclesiæ illici-tum pro sancto, & malum pro bono; & sic operaretur, ut tota Ecclesia erraret, judican-do in malum bonum, & se-quendo vitium pro virtute: at que ita non esset perfecte sanc-ta; quod omnino repugnat, sicut & Pontificem errare in de-cretis circa doctrinam fidei, & morum.

12 Confirmatur: De fide est, non posse Pontificem im-ponere pro tota Ecclesia præcep-ta, & leges nocivas: ergo nec consilia perniciofa, tanquam salutaria proponere, aut ap-probare. Etenim consilia in Re-ligioso instituto, à Pontifice approubato, commendantur Ec-clesiæ, ut via ad perfectionem, & ut salutaria canonizantur: quomodo ergo potestas inferni non prævalerer, si Pontifex in hoc erraret? Quod vero qui-dam Pontifices extinxerint ali-quos ordines à suis prædeces-soribus approbatos, ut Clemens V. extinxit Templariorum Or-dinem, Fratricelorum, Due-nistarum, Beguardorum, &

Beguinatum, &c. nihil ad nos; quia non fuerunt extinti, quo-niam Pontifices erraverint in approbatione illorum, appro-bando aliquid contra jus natu-rale, seu divinum; vel quia institutum in se, & sui natura Sanctum, & optimum non fue-rit: sed quia propter pravita-tem, & malitiam profitentium nimis relaxati erant, absque probabili spe futuræ emenda-tionis: in quo nullum præjudi-cium intuluerunt prædecessori-bus suis, qui eos approbarunt: sicut nec inferunt præjudicium, auferendo aliquas leges pro temporis opportunitate, sanc-tè, & justè ab alijs Pontifici-bus positas.

13 Quæres. *An Pontifex possit condere leges obligantes in conscientia?* Respond. Wal-den-ses, Wicleffus, Joannes Hus, & Lutherus, hoc abso-lutè negant, & volunt Præla-tos solum exhortari posse ad ob-servanda mandata Dei. Lu-therus lib. de Captivit. Baby-lonica, cap. de Baptismo, ait: *Quo jure Papa super nos legem con-sstituit?* quis ei dedit potes-tatum captivandæ libertatis per baptis-mum nobis donatæ? cum neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habeat jus con-stituenda syllabæ (up r.) Christianum hominem, nisi fiat ejus consensu. Unde Luthe-rus

ru: ann. 1520. totum corpus
juris canonici publicè corabu-
st. Vigorius cum suo Calvinò
authoritatem contendit leges, &
canones Pontifici quidem tri-
buit, sed tantum in synodo ge-
nerali Episcoporum. Contra
illos respondeo, quod licet
Papa in Concilijs multas leges
condiderit, tamen sine illis
condere potest, viros pios, &
doctos in consilium adhibendo.
Non multum immorabitur in
hac materia, cum eam soli hæ-
retici contestentur.

14 Ex Deuteron. 7. con-
clusio patet: *Qui superbierit:
nolens obedire Sacerdotis impe-
rio, qui eo tempore ministrat
Domino, ex decreto Iudicis
morietur*: hoc a fortiori verum
est de Summo Pontif. ex Mat-
th. cap. 16. *Quicumque ligati-
veris, &c.* ligare autem est le-
gem imponere. Matth. 23. *Al-
ligant onera importabilia.* Et
ad Rom. 13. *Omnis anima po-
testatis sublimioribus subditas
est: non est enim potestas nisi à
Deo: itaque qui potestati re-
sistit, Dei ordinationi resistit;
qui autem resistunt ipsisibi dam-
nationem acquirunt. Et postea:
*Id quod necessitate subditi esto-
te non solum propter iram, sed
& propter conscientiam.* Paulus 1. Tim. 3. statuit, né bi-
gani ordinentur. Et propterea
Conc. Carthag. IV. can. 69.*

privat contradicentes jure or-
dinandi. 1. Cor. 11. *Liudo-
vos, quod precepta mea tenea-
tis.* Et ibid. *Qui haec spen-
nit, non hominem, sed Dum sper-
nit.* Hoc confirmat Gratianus:
*Alia, inquit, sunt decreta Pon-
tificum, alia statuta Concilio-
rum: alia sunt universalia,
alia sunt Provincialia, & cæt.
dist. 3. Ratio nostra petitur ex
potestate, quam habent Reges
condendi leges coactivas pro
subditis; licet enim omnes ho-
mines sciant se debere actiones
suas conformare recte rationi,
quia tamen ex spiritu compo-
nuntur, & carne, caro concu-
piscit adversus animam, & al-
licit communiter ad actiones,
qua deviant à ratione; ideò,
ut tollatur talis perversitas,
Principes leges condere soleant.
Sic licet Christiani habeant le-
gem Evangelij, quia tamen est
nimis universalis, non suffi-
cit ad dirigendas actiones nos-
tras, nisi per determinationes
Prælatorum: immò contrave-
nirent Evangelio communiter,
nisi essent leges, quæ obligant
in conscientia; licet enim vul-
go clamitent hæretici, Chris-
tianum Baptismo liberum esse:
hoc verum est de libertate à
peccato, non à concupiscentia.
Quod si Deuter. 12. dicat Deus:
*Quod præcipio tibi, hoc fa-
tantum: non addas quidquam,**

neque minus; hoc est, non addas quidquam legibus meis contrarium: Deus enim alio loco dicit: *Qui vos audit, me audit.* Si reprehendat Deus Marc. 7. Traditiones, & mandata hominum: hoc est quia irritum faciebat mandatum Dei propter Traditiones suas. Adde, quod Traditiones Pharisæorum erant pure humanæ, licet autem præcepta Papæ, & Prælatorum non sint à Deo immediate, sunt tamen ab illo mediatae. *Qui vos audit, me audit:* Unde sunt aliquomodo divina. Dum Calvinus objicit Paulum non permittere conscientias fidelium subdi hominibus 1. Cor. 7. *Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum:* hoc est, ne serviamus hominibus propter homines, sed propter Deum, ut explicat ad Ephes. 6. *Servi obedite dominis carinalibus, &c.* Non ut hominibus placentes, sed ut facientes voluntatem Dei.

QUÆST. V.

AN STANDUM SIT
sententia Papæ, vel iudicio Pa-
trum, si contingat controver-
sia de definitione Fidei, cul-
tus, & disciplina inter
Pontificem, & Pa-
tres?

1. **A**ffirmant cum Nornæo Calvinista in suo mystero iniquitatis oposit. 61. quotquot authoritatem Concilij elevant supra Papam: quos sequuntur alij, restringentes propriam sententiam ad casum, in quo Papa sit absens: Tunc, inquiunt, prefærenda est sententia Papæ iudicio Concilij: Sequendam tamen affirmant illam Concilij, si sit Pontifex præsens Concilio, & à Concilio dissentiat: Sit.

2. Conclus. *Judicio Pontifi-
cis, non vero sententia Con-
cilij standum absolute est, quan-
do contingere, quod inter se
Patres, & Papa dissentirent
in definitione fidei, morum,
aut disciplinae.* Est omnium Ca-
tholicor. adversus elevantes
Concilium supra Papam. Pro-
batur 1. In lege veteri, quan-
do oriebatur aliqua controver-
sia circa fidem, & legem, in
cujus decisione inferiores Ju-
dices, vel dissentiebant, vel

veritatem assequi non poterant, Deus præcepit, ut decisio dubij transmitteretur ad Pontificem in Supremo Concilio præsidentem; quod constabat Summo Pontifice, tanquam Capite, & Præside, & 70. Senioribus, tanquam assessoribus; & appellabatur *Synhedrion*. Et quanvis consultatio, & discussio in eo ageretur, finalis tamen decisio procedebat à Pontifice: Cui tantus honor deferri præcipiebatur, ut nulla Seniorum mentione facta, inobedientibus Sacerdoti pena mortis imponeretur, Deuter. 17. *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & Decreto Judicis, moriatur homo ille.* Et Paralyp. 19. *Ananias autem Sacerdos, & Pontifex vester, in his, que ad Deum pertinent, presidebit.* Hoc est, in controversijs Religionis judicabit. Quid enim est præsidere in controversijs, nisi Judicem agere, & Concilium dirigere? Ergo potiori jure dicendum est in lege nova. Non enim melioris conditionis fuit lex vetus, quam nova. Nec fallibles esse possunt promissiones Christi de Ecclesia numquam defectura, & de privilegio concessu Pontifici confirmandi Fratres, dum de fide dubitant.

3 Dicunt Caiphas, qui tunc erat Judeorum Pontifex

Joann. 17. erravit, morti adjudicans Christum: ergo si attendenda est similitudo, poterit, & Romanus Pontifex errare, in quo casu standum est sententia Concilij. Sed contra: Caiphas cum Concilio erravit, Matth. 26. v. 57. Ergo si patitas tenenda sit, tam Pontifex Romanus, quam Patres in Concilio erunt errori obnoxii; quod nec ab adversariis concedendum est. Ideo notandum. Quod assentia divina, nato Christo, paulatim Synagogæ subtracta est. Quod facile ostendi potest ex ijs Concilijs, quæ post Christi Nativitatem à Pontificibus, & Sacerdotibus celebrata sunt. Ex quibus tria commemoravimus. Primum convocatum est, Herode postulante à Principibus Sacerdotum, ubi Christus, juxta Prophetarum vaticinia, esset nasciturus, Matth. 2. & responsum est: *In Bethlehem Iudeæ.* Quæ decisio fuit vera, & infallibilis: atque ita ex vera, & infallibili assentia Dei profecta.

4 Secundum celebratum fuit ex occasione miraculi, quo Christus Lazarum resuscitavit, Joann. 11. Collegerunt Pontifices, & Pharisei Concilium, & dicebant; quid facimus: Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit. *Vos nescitis, quia ex-*

expedit vobis, ut unus moria-
tur homo pro populo, & non
tota gens pereat. Hoc autem à
semetipso non dixit, sed cuna-
sse Pantifex anni illius pro-
phetavit, quod Jesus erat mo-
riturus pro gente. Hic Caiphas
extrema parte erravit, ex alia
veroponit. Et partim ex odio
more humano, & partim ex
assistentiab Spiritus Sancti lo-
catus est. In eo erravit, quod
Christum innocenter morti ad-
judicaret, & hoc ex invidia, &
exauditione, Matth. 27. v. 18.

^{non. 2001} Seiebat enim, quod per invidiam tradidissentium. In eo
non errabat, quod prædiceret;
Christum moriturum pro salu-
te, non tam populi Judaici,
quam totius mundi. Et hoc
non ex semetipso, hoc est, ex
propria intentione, & affectu
humano, sed ex divino instinc-
tu: Spiritus enim Sanctus eo,
quavis nequissimo instrumen-
to, uti volait in illius propheti-
x prolatione, cui propter Pon-
tificalm dignitatem fides ab
omnibus habeatur.

¹⁷⁵ Tertium congregatum
est, instante Christi passione,
Matthæi 26. v. 57. & adversus
Jesum tandem lata est senten-
tia, Reus est mortis. Quæ sen-
tentia fuit absque dubio ini-
qua, nec ullo modo à Deo ins-
pitata, sed potius a diabolo,
ut jam ante Joann. 8. dictum

erat à Christo: Vos ex Pa-
diabolo estis; & desideria pa-
tri vultis facere: ille
homicida erat ab initio. In eo
Caiphas cum Concilio erravit;
nec in Concilio illo gestum
quidquam est, ex quo constare
possit divinam absentiam illi
adfuisse. Quod Caiphae judi-
cium locum dedit adagijs: Ju-
dicium Caiphae: Concilium Caiphae:
ex aula Caiphae, in eos
pronunciatis, qui in judicando
non iura, non merita causa-
runt, sed privata commoda, &
manera respiciant.

Quare ad tempus fuit
absentia Pontifici veteris Le-
gis promissa, & tunc subtracta
est, quando Synagoga ferè ex-
pirabat, & locum dabat Eccle-
sie Christianæ. Eó, vel maxi-
me, quod agnoscetur, Chris-
tum esse Messiam in lege promis-
sum, illa non erat necessaria;
cum id clarissimè demonstra-
rent miracula, quæ Christus in
sua missionis confirmationem
operabatur. Unde Christus in-
crepans incredulitatem Judæo-
rum, eis dixit, Joann. 10. v. 38.
Si mihi non vultis credere, ope-
ribus credite, ut cognoscatis, &
credatis. Et cap. 5. v. 36. Opera,
quæ ego facio, testimonium per-
bibent de me, quia Pater mis-
sime. Pontifici verò Romano
non ad tempus, sed in perpe-
tuum promissa est Spiritus-

Sancti assidentia: sicut de Ecclesia Christiana, & Petri Cathedra, Matth. 16. pronuntiatum, portas inferorum nihil valituras adversus eam; cap. ult. Ego vobis sum usque ad consummationem seculi. De Synagoga vero, Isaiae praedictum est, esse divino afflato derelinquendam, ipsamque veritatem derelicturam. Idcirco instantia non urget; quidquid heretici mendaciter missent.

7 Quæ est aptior responsio, quam dicentium, quæstionem fuisse de Facto, non de Jure, quam Caiphas cum Concilio judicavit; num, scilicet, Jesus necandus esset? In hujusmodi autem judicijs posse Pontificem, & Concilia errare, non dubium est, ita illi. Verum quæstio illa, etiam si de facto esset, tamen involvebat quæstionem de fide gravissimam: num scilicet, Jesus esset verus Messias, & Dei Filius, atque adeo Deus verus? Quo circa Caiphas cum Concilio erravit perniciosissime circa fidem, cum judicavit, Jesum blasphemasse, qui se Dei Filium appellaverat, Marci 14. Summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Jesus dixit illi, ego sum: Summus Sacerdos scandens vestimenta sua, ait, quid abduc desideramus testes?

Auditis blasphemiam, quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.

8 Probatur 2. Sententia Concilij sumit robur a Papa: ipsaque Concilia nunquam legitima extirere nisi consenserit Papæ coactu, & ubi quidquam, contradicente Papa, decreverant, irritum ab eodem declaratum est: ergo sunt Concilia Pontifici subordinata, ipsorumque sententiæ recipiendæ non sunt, ubi Papa contradicunt, neque vim obligandi Ecclesiam obtinent, nisi à Papa confirmantur, & sine quo non sunt infallibilla de cetera. Nullum Concilium à tempore Christi, usque ad præsentem diem habitum fuit legitimum, quin à Summo Pontifice sit confirmatum: ergo & Papa est supra Concilium, ut sup. diximus, & in discordia inter ipsum, & PP. Concilij, suo iudicio debemus stare.

9 Dicunt: Hæc procedere de Concilijs, cùm Papa est absens, non vero cùm ipse præsens illis sit: tunc enim majori parti standum est. Sed contra: Est in Romano Pontifice Suprema in Ecclesia potestas ab omni regula inferiorum coercitativa, & coactiva independens; Verba enim illa Matth. 16. Quodcumque ligaveris, sunt universalissima, & respiciunt

omnem universalitatem temporum, locorum, & personarum, nibil excipiens, qui dixit: quodcumque: ut in Cap. Solite de Maj. & Obed. Ergo tam in Concilio, ubi per Legatos, quam ubi per se ipsum Papa præfet, præferendum est ejus judicium Concilio, & Patres tam in uno, quam in altero Concilio debent illius sententia obtemperare.

10. Contra 2. Ex autoritate D. Thome 2.2. q. 1. art. 10. ubi unius Summi Pastoris necessitas in Ecclesia ex eo potissimum capite demonstratur, ut una sit fides totius Ecclesie: *Quod servari non posset, nisi quaestio de fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesie præfet.* Nam ex diversitate sententiarum, ut idem docet in 4. contra Gentes, cap. 76. divideretur Ecclesia, nisi in unitate per unius sententiam conservaretur. Nunquam autem possit talis unitas conservari, & talis diversitas impediiri, nisi adstringerentur oppositæ sententiae defensores unius præsidentis judicio parere. Hinc concluditur: *Exigitur ad unitatem Ecclesie servandam, quod sit unus, qui toti Ecclesie præfet.* Ergo in utroque Concilio est ejus sententia præferenda.

11. Contra 3. Petro, & non Patribus Concilij, dictum

est à Christo Joann. ult. *Pasc oves meas, hoc est, loco mei, non distinguens inter has oves & alias, ut in d. c. Solite.* Et Lucæ 22. *Confirmat Fratres tuos:* Et ut ait Chrysostomus: *Præpositus, & Caput esto Fratrum, ut ipse in loco meo assumentes, ubique terrarum te in Throno tuo sedentem prædictent.* Confirmare autem aliquem in aliquo assensu certo, & non opinativo, non aliter fit, quam rationibus evidenteribus, vel autoritate evincere, ut non fluctuet ejus intellectus: Ergo confirmandi sunt Patres fluctuantes autoritate Papæ; non Papa autoritate Patrum; alias Papa confirmaret à Fratribus, non ipse Fratres confirmaret; atque ideo judiciorum confirmatoris Fratrum standum est, non Fratrum confirmingorum in quocumque sint Concilio.

12. Probatur 3. Residet in Romano Pontifice plenitudo potestatis, ubi alij in partem solicitudinis ab ipso assumuntur, ut ex Bernardo ad Eugenium habet Pius II. in constit. In minoribus 10. Bullar. tom. 1. §. 10. *Tu es, cui claves traditæ, vel oves creditæ sunt.* Sunt & alij quidem cœli fanatores, & gregum Pastores. Habent illi assignatos sibi greges, singula singulos, tibi universi.

erediti uni sumus; nec modo ovium sed & Pastorum, tu unus omnium Pastor. Ergo quemadmodum omnes greges pacantur à Papa Doctrina Catholica, ita & universorum gregum universi Pastores ab eo diriguntur, & pasci debent; idèò ejus vocem greci totius Ecclesiae, non Pastor illam ovium audire, & sequi debet.

13 Item. Unum, & idem Tribunal est Christi, & Romani Pontificis ejus Vicarij, qui vicem illius tenet, cap. *Quanto ad transl. de Epist.* Sed sententiaz, & decreto Christi Domini absque dubio est parentum, non verò (ubi contradicerent) omnium Episcoporum judicio. Ergo pariter est parentum Christi Vicario, non Prælati Concilij, ubi Papæ ab ijs contradiceretur. Item. Patres omnem potestatem suffragandi in Concilijs participant à Papa; nam ut ibi inquit Pius II. *Omnis ex capite defluit in membra potestas:* Ergo nulla tenus potest eam Pontifex ab eis emendicare; quod necessariò deberet, si ipse teneretur stare judicio, & sententiaz Concilij, non è contra.

14 Vel saltem æqualis decidendi potestas tribueretur Concilio, & Pontifici; quod omnino repugnat. Hoc enim spoliaret Pontificem regimine

Monarchico Ecclesiæ. Nec regimen Ecclesiæ esset optimè ordinatum; nam, ut inquit ubi supra cont. *Gentes Angelicuš:* *Optimum regimen multititudinis est, quod regatur per unum, quod patet ex fine regiminis, qui est pax.* Pax enim, & unitas subditorum est fides regentis, unitatis autem causa congruentior, est unus, quam multi. *Manfestum est igitur regimen Ecclesiæ sic esse dispositum, ut unus toti Ecclesia præstet.* Ergo nullus in Ecclesia est æqualis potestatis cum Romano Pontifice, alias dissidiorum nullus esset finis, & lites constituerentur æternæ, semperque esset locus tergiversandi, & resistenti Decretis Romanæ Cathedræ: quod absque hæresi esse minimè potest, ut ex cap. Omnes 22. dist. ibi: *Qui autem Romana Ecclesia privilegium (Primatus) ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur.* Quod confirmat D. Thom. lib. cont. impugnat. religionem: *Qui umquam dicit non esse obediendum in his, quæ per Papam statuantur, in hæresim labitur.* Asserentes verò standum esse sententiaz Concilij, non Papæ, quando in illis esset contrarietas, privilegium Primatus à Pontifice excludunt, eique non esse obe-

obediendum (saltē eo in casū) affirmant.

15 Tandem. Redditur resolutio manifesta ex partibus, quæ conveniunt Romano Pontifici circa Concilia generalia. Ipse illa convocat; in eis per se, vel per suos Legatos præsidet: ea dirigit proponendo, quæ tractanda, & definienda sunt: & demum eadem definita (si sit absens) confirmat: quando enim est per se præsens, confirmatione non est opus; nam tunc ipse definit. Hæc quidem ab eo pendere debent, quem Christus Vicarium suum generalem supra universam Ecclesiam constituit: ideo omnes Ecclesiæ Prælati, etiam in Concilijs Romanum Pontificem maximè colere debent, & reveri, ac ipsi uniti; ne, si deprimatur, vel ab eo recedant, inanes, & sine effectu sint eorum definitiones, ejus auctoritate destituta, à quo robur mutuant, & illegitima habentur Concilia, prout sàpè factum est. Unde dixit Cyrillus Alexand. lib. 2. Thesauror.

„ Et membra maneamus in eā, pite nostro, Apostolico Thro-
„ no Romanorum Pontificum,
„ à quo nostrum est querere;
„ quid credere, quid tenere
„ debeamus, ipsum veneran-
„ tes, ipsum rogantes pro om-
„ nibus: cui omnes jure di-

„ vino caput inclinant, & pri-
„ mates mundi tanquam ipsi
„ Domino Iesu obediunt. Cui
planè non obediunt, qui stan-
dum esse sententia, non ejus,
sed Concilij, clamant.

16 Denique; potest Papa decreta Conciliorum facta contra instructionem Legatorum abrogare, & non confirmare: ergo præflare item potest, ne ub Patres contradicunt, ab eis juxta eorum vota controversia decidatur. Consequentia sequitur. Cum difficultas sit constituta convellere, quam, ne constituuntur, impedit. L. Patre furioso, ff. De bis, qui sunt sui, vel alieni juris. Ergo semper cedendum est sententia Ro- manæ Cathedræ, sive Patres, Pontifice prohibente, judicent; sive illi contraria decident; aut Papa absens, aut sit in Conciilio præsens per se ipsum. Ex historijs enim constat, multa Concilia universalia, etiam præsentibus Legatis Apostolicis, turpissimè errasse; ut Arimi- nense, Ephesin. II. Constanti- nopolitanum V. & VI. &c. Quos errores Summi Pontifices correxerunt, & se ipsis sub- jecit tota Ecclesia; videat. Bellarm. de Conc. lib. 2. c. 11. Er- go standum est judicio Pontifi- cis.

17 Arg. 1. Christus ad Ephes. 4. „ Dedit Ecclesiæ suæ
„ quos-

„ quosdam Apostolos , quos-
 „ dam Prophetas , alias vero
 „ Evangelistas , alias autem
 „ Pastores , & Doctores , ne
 „ circunferantur omni vento
 „ doctrinæ. Ergo Episcopi , qui
 sunt Ecclesiarum Pastoris in
 doctrina fidei docenda , errare
 non possunt ; alias finis , ad
 quem sunt in Ecclesia constitu-
 ti , non obtineretur , sed popu-
 li adhuc fluctuant in diver-
 sas opiniones : Ergo , ubi Epis-
 copi in Concilio , vel omnes ,
 vel major pars à Pontifice dis-
 sentiret , eorum sententia esset
 præferenda judicio Papæ . Res-
 pond . Textus Apostoli ad rem
 non est ; alias censeret deberet ,
 privilegium infallibilitatis esse
 communicatum , non tantum
 omnibus Episcopis collectivè ,
 & in Concilijs congregatis , sed
 etiam singulis , quemadmodum
 illo non solùm omnes Apostoli ,
 & Canonici Scriptores collecti-
 vè gaudebant , sed etiam singuli .
 Mens itaque Apostoli fuit affir-
 mare de corpore mystico Eccle-
 siæ , quod 1. ad Cor. 12. de cor-
 pore naturali dixit , necessariam ,
 nimurum , esse membrorum , &
 ministrorum diversitatem , ut
 laborarent , & operarentur , &
 commune Ecclesiæ bonum pro-
 moverent . Si omnes enim essent
 Apostoli , ubi discipuli ? Si om-
 nes Pastores , ubi oves ? Si om-
 nes Doctores , ubi auditores ?

Si in corpore omnis pars , pes ,
 ubi caput ? ubi manus ?
 18. Quo circa , neque unius
 Episcopi , non tam omnes col-
 lectivè in Concilio , quam eo-
 rum singuli in docenda doctri-
 na fidei , errare , quamdiu ma-
 nent conjuncti cum Capite Ro-
 mano Pontifice : sed si ab eo
 dissentiant , & à capite dis-
 cendant (prout possunt) errant .
 Sicut membra , quæ in corpore
 naturali sunt , habent in se spi-
 ritus vitales , & sensitivos ,
 quibus vita conservatur ; sed
 dependenter à capite , à quo hu-
 jusmodi Spiritus in cetera mem-
 bra derivantur : verum si , vel
 à capite separantur , vel occlu-
 dentur illi meatus , sive cana-
 les , per quos fit illa spirituum
 derivatio , necesse est , reliqua
 membra illis destitui , & offi-
 cium suum exercere non posse .

19. Arg. contra : Ergo fac-
 ta hypothesi , quod omnes à ca-
 pite discederent , possent falsam
 doctrinam docere : Et ex hoc
 duplex haberetur absurdum .
 Primum , quod posset tota Ec-
 clesia errare , ipsa enim tenetur
 suos Pastores audire , juxta illud
 Matth. 23. „ Omnia , quæcum-
 „ que dixerint vobis , servate , &
 „ facite . Et Luc. 10. Qui vos au-
 „ dit , me audit ; & qui vos sper-
 „ nit , me spernit . Secundum ,
 quod tunc amplius dici debe-
 rent , à Deo dati , non in ædifica-
 tio-

tionem , sed in destructionem corporis Ecclesie ; quippè ipsi potius essent causa cur populi à fide recta aberrarent . Respond . Neutrum , etiam illa hypothesi admissa , concluditur . Non primùm nam adhuc Romanus Pontifex , in quo est privilegium infallibilitatis , tum passiva in credendo , tum activa in docendo & judicando , vera doctrina Ecclesiam pascere , & adversus iniqua docentes , ultimata definitione decideret . Habet Ecclesia prærogativam passivam infallibilitatis in credendo , quatenus ipsa tota non potest in fide errare , sed dependenter à Romano Pontifice : *portæ enim inferi* (hæresum , & errorum) *adversus eam* (ratione capitum) *non prævalebunt* . Nam , ne Corpus Ecclesie erraret , data est infallibilitas capiti , & tota securitas non errandi in corpore Ecclesie est ex securitate concessa Magistro .

20. Dictum est , etiam illa hypothesi admissa ; nam hanc possibilem moraliter non putamus , divina providentia non permittente , quod omnes Episcopi Ecclesie errorum doceant contra fidem . At exinde non sequitur esse eorum sententiam in Concilijs preferendam iudicio Romani Pontificis . Nam , ut omnes falsum non doceant ,

satis est , ut debent populis proponere doctrinam in Ecclesia receptam , & à Romana Cathedra jam definitam ; nec est necesse , ut infallibiles sint inferenda sententia de doctrina fidei . Hoc enim est de reservatis Romano Pontifici , cui in Petro dictum est *Luc. 22. Confirmata Fratres tuos* .

21. Ideo suis Pastoribus debent fideles obtemperare . Verum duo sunt consideranda . Unum , quod tam præcipitum esse parendum omnibus Episcopis collective , quam distributivè cuilibet ipsorum respectivè . Alterum , quod , qui illud præcepit , per Apost . ad Rom . 16 . dixit etiam : „ Ro- „ go autem vos Fratres , ut ob- „ servetis eos , qui dissensio- „ nes , & offendicula præter „ doctrinam , quam vos didi- „ cistis , faciunt ; & declinatè „ ab illis . Ad Heb . 13 . „ Doc- „ trinis varijs , & peregrinis „ nolite abduci . Idcirco præceptum illud ad docentes doctrinas fidei contrarias non extenditur . Determinare autem , an doctrina sit prava , nec ne- non est cuiuslibet privati , sed cum dubium exoritur , vel contraria hucusque creditis obser- servatur , consulendi sunt viri docti , & cordati ; porissimum que est , rem ad Sedem Apostolicam referendam .

22 Neque sequitur secundum absurdum. Forte quia hic, vel ille Pastor, aut Doctor populum in aliquem errorem inducit, à Deo dici debet datus non in adificationem, sed in destructionem Ecclesie? Absit. Nam non Deo, nec suu à dībit viaa providentia intento, sed Pastoris malitia est error imputandus. Ita, servata proportione, discurrendum in casu, ubi omnes Pastores, & Doctores concordē suppontentur in errore aliquo evulgando.

23 Arg. 2 In Concilij ad controversiarum iudicitationes non proceditor, nisi facta prius discussione, & inquisitione, quid sit conforme Sacra Scriptura, & Traditionibus; quid vē ex Patrum concordi confessione, & testificatione habeatur. At qui hujusmodi discussio, & inquisitio maius sit ab Episcopis, quam a solo Papa; in quorum numero plures docti sunt, & sapientes: quos, & non Papam, verisimilius est legisse scripti antiquitatis, & Patrum: ergo iudicio discretionis magis certò Patres cognoscunt, quid tenendum sit: ergo ipsorum potius, quam sententiae Pape adhærendum est: secundum etiam illud Aristot. „In politicis, melius politica, aliqua regitur, ubi plures

, sunt virtute prædicti, quam unus. Respondit: Argumentum restringitur ad probandum posse Episcopos excedere in scientia Pontificem; rat hind non habetur excessus potestatis in judicando. Forte, quia Rex egit Consiliariis, qui sunt ipsi Sapientiores, vel eorum potestas est regia maior? vel ipsi regitūx potestatis Regis non subdantur? Interdum tamen Doctor potest majori cognitione esse prædictus, & quām Papa ap̄p̄isi autem dixerit, illum in iurisdictione Papam superare? Unde ab excessu scientie ad illum potestatis illatio non tenet. Ne si que ex majori iurisdictione magistro, sed ex auctoritate iuris dicantis pentanda est sententia.

24 Observeat ad Concilium vocati nedum Patres, sed Episcopos, verum & Theologos non Episcopos, qui separatione dubia discutiant, & examinant: An Scriptura de illis explicitè, vel implicitè loquatur? Quid de illis antiqui Doctores Ecclesie docuerunt? Quid universitates Theologicæ sentiant? Quid Concilia, & Sedes Apostolica definierint? Unde, supposito, quod Episcopi à Pontifice discederent, aliudque iudicarent, non deessent Theologi: non decessent Cardinales, qui, ne diceretur Papa te-

temeré, & præcipitanter definiisse, (prout non potest) consulerent, quid ex Scriptura, Traditionibus, & aliás definitis ab Ecclesia statuendum esset. Nunquam tamen infallibilitas definitionis consultationi Peritorum, sed assistentiae Spiritus Sancti tribuenda, qui impediret, ne Papa definiret, quando illi errassent, vel inspiraret, ut Papa eos corrigeret.

25 Hinc observandum, quod ubi constat à Papa aliquam in materia fidei, & morum definitionem prodiisse, non est ulterius examinandum: An isti definitioni præmissa fuerint omnia præmittenda? quoniam ipsa definitio secunda afferit certitudinem, omnia hæc præmissa fuisse, quæ ad infallibilitatem requiruntur. Currit enim in casu discursus de revelatione, qua Deus revelat aliquid mysterium, quæ reflectitur supra se ipsam; nec tantum revelat suum objectum, quām se ipsam; adeo ut cūm Deus aliquid revelat, hoc ipso reveleret, se hoc revelare: ita definitio Pontificis quasi reflectitur supra se ipsam; & hoc ipso, ut aliquid definit, definit etiam definitionem esse legitimam, hoc est, exhibita omnia ad legitimam definitionem necessaria, ut per optimè scripsit Mi-

chael Paludanus Augustinianus in Apologia *Constit.* Urbani VIII. In *eminenti*, cap. 11. quo probandum assumit: „In „fallibilitas Pontificis est ab „soluta, non pendens à con „dictione, quam ipse, cūm de „finit, possit omittere. Pro „missio enim infallibilitatis fac „ta Pontifici, involvit promis „sionem applicandorum medi „orum, diligentis examinis, & invocationis auxilij divini. Ideo imprudentissimè nonnulli op „ponant, non constare, si debita media exhibita fuerint, ac de iis ineptissimè dubitant. Acquiescendum est simpliciter di „vinæ promissioni, quod Ec „clesia per Spiritum Sanctum in omnem veritatem induetur; & quod qui finem promisit, in medijs necessarijs non desit. Ea authoritate Philosophus loquitur de Aristocratia, in qua cūm finis regiminis sit pax, & unitas, melius conservatur per unius sententiam, juxta superius dicta.

26 Dices: Melior, & probatior est sententia, quæ à pluribus procedit, quām quæ ab uno est; sicut à pluribus facilius veritas invenitur, quām à paucioribus: Ergo sententia Concilij prævalet judicio Pontificis. Respond. Antecedens verificari non potest, facta comparatione inter multos, &

unum electum supra multos, cui commissum sit cæteros instruere, & docere; prout est Papa à Christo constitutus, ut Fratres confirmet in fide; propter quod est cæteris omnibus ejus judicium præferendum. Quin etiam, & in comparatione multorum, & paucorum non semper major pars minori prævalet, ut inde huic magis, quam illi sit defendendum: nam & populus civitatis major est paucis prudentibus, & doctis: istorum tamen judicium, etsi paucorum, magis existimandum est. Ideo antecedens intelligi solùm potest, si cætera sint paria inter paucos, vel unum, & multos. Quod in casu non contingit.

27 Urgent: Sententia Episcopi non est major sententia Capituli, etiamsi secum sint aliqui de Capitulo, dummodo non faciant majorem partem, juxta Cap. *Novit de his, que sunt à Prælat. sine consens.* Capit. Ergo nec illa Papæ illa Concilij, sed discordante Concilio, hujus sententia est præferenda: Etenim sic se habet Pontifex respectu Concilij, sicut Episcopus comparatus ad Capitulum. Respond. neg. consequentia. Alia est ratio de Capitulo respectu Episcopi, & de Concilio respectu Papæ.

Capitulum enim habet autoritatem à jure communi, non ab Episcopo. Concilium vero omne robur obtinet à Papa. Item, ex ipso jure communi potestas Episcopi restricta est, ut eam non exerceat, nisi ad præscriptum dicti juris: præscriptum autem est, ne folius decernat, ut in cit. tit. Papalis vero potestas limitata non est, adeò ut five in Concilio, five extra definiat, validè semper exerceatur.

28 De veritate antecedentis, item dubitatur; Doctores enim examinant, an Capitulum sine consensu Episcopi possit nova statuta facere? & distinguentes, affirmant, si tractetur de rebus, quæ spectant tantum ad Capitulum, secus si agatur de re utrique communi, ut tradit *Gonzalez in 1. decretal. tit. 4. cap. 9. num. 10.* Et Piaserius praxis Episc. p. 2. cap. 3. art. 2. n. 17. Quinimò cap. Cùm consuetudinis de consuet. prohibitum est Capitulo sine consensu Episcopi nova statuta edere, vel antiqua abrogare. Considerandum est Episcopum, & Canonicos efficere unum corpus, cuius caput est Episcopus, Canonici vero membra. Hinc, cum gubernatio Ecclesiæ Diocesana spectet ad caput ipsius, hoc est, Episcopum, non possent Canonici sine ejus

eius consensu novas Constitu-
tiones inducere ; vel priores
obliterare , cùm membra non
debeant recedere à capite , &
sibi assumere officium illius.
Atque ita , quæ consequentia
esse potest ex antecedenti fal-
so?

29 Arg. 3. In Concilio
Apostolorum Acto. 15. facta
inquisitione , & pronuntiata sen-
tentia super controversia legali-
um , postea non sub nomine
Petri , sed sub nomine Conciliij
editum est decretum , juxta
illud : *Vixum est Spiritui Sancto , & nobis* ; hoc est , nobis
inspiratis à Spiritu Sancto. Non
alio titulo , nisi quia Concilium
prævalet. Et præsertim in hoc
apparet , quod tota Synodus ,
relicta sententia Petri , sequuta
sit pronunciatam ab Jacobo:
Petrus enim decretit , conver-
sus ex gentibus ad fidem , non
debere cogi ad Legalia. Jaco-
bus verò dixit , debere eos abs-
tinere à suffocato , & sanguine.
A quibus Judæi extremè
abhorrebat , Gen. 9. Ergo si
potuit unius sententia prævale-
re adversus Petrum , potiori
ratione dicendum de sententia
Conciliij adversus illam Pontifi-
cis. Item , in corpore naturali
si membra instrumentur , vel nul-
la , vel debilissimæ sunt opera-
tiones : g. pariter in corpore
mystico nullum sortiuntur offi-

cium functiones capitîs , si mem-
bra , hoc est , Patres in Conci-
lijs contradicant. Addunt , in
omni Republica semper serva-
tum est , ut cum sapientum
Consilio statuatur : erg. & in
Ecclesia servandum est , & te-
nendum , quod Patres in Con-
ciliis decernunt , esto Papæ op-
positum sit.

30 Respond. Sententia cir-
ca controversiam de Legalibus
à Petro lata fuit ultima , & fina-
lis , ideo tacuit omnis multitu-
do , ut ait textus ; decretum
autem fuit non solius Petri , sed
totius Conciliij nomine editum ,
non ad necessitatem , sed id
Petrus permisit ad econo-
miam ; sciens iis libentius , &
suavius obtemperari , quæ com-
muni consensu stabilita essent.
Et hic Petrus controversiam de-
finit , ut pater ex textu : „ Nunc
„ ergo , quid tentatis Deum
„ imponere jugum super cervi-
„ ces discipulorum ? Et statim
„ tacuit omnis multitudo. Cæ-
terum questionis decisio facta
„ est , discussione præmissa , præ-
senti Jacobo , Joanne , Paulo , &
Barnaba , ac Senioribus , & par-
te opponente , ut suavior , &
plausibilior esset definitio , ac
ut pars definitioni non resiste-
ret : Et in hunc sensum decre-
tum fuit editum nomine Aposto-
lorum : *Vixum est Spiritui
Sancto , & nobis &c.*

31 Ubi vero dicitur Concilium sequutum esse judicium Jacobi, advertendum est Primo, Belvacensi errasse, qui lib. 8. Speculi Historialis, cap. 11. hæc scripsit: „ Post hæc „ Jacobus auctoritate Pontifi- „ cali protulit definitivam sen- „ tentiam, quia quæstio ista „ mota est in Ecclesia Jerosoly- „ mitana, cuius Episcopus erat, „ nec poterat ad alium trans- „ ferri, nisi per appellationem. „ Petrus enim nondum erat „ constitutus in Cathedra Pon- „ tificali. Verum hæc sententia stare non potest. Etenim Christus post Resurrectionem, Joann. ult. D. Petro Primatum Ecclesiæ contulit. Et illico D. Petrus, veluti possessione adepta, munus suum executus est: prout liber Actuum Apostolor. non obscurè declarat. 1. In electione Mathiae Actor. cap. 1. congregata enim Ecclesia, cæteris tacentibus, surgens Petrus tanquam Caput, verba fecit de supplendo Proditoris Judæ Apostolatu. 2. Cum Judæ, ibi cap. 2. Apostolos ebrios judicarent, quod varijs linguis loquorentur, Petrus tanquam Dux adversus irridentes vocem levavit. 3. Cum Apostoli, ibi cap. 4. traherentur ad Tribunal Sacerdotum Judæorum, ut rationem redderent de sanato clando, Petrus tanquam om-

nium Caput, causam illam impavidus tractavit. 4. Delictum Ananiæ, & Saphiræ, ibi cap. 5. tanquam Ecclesiæ Judex ipse poena gravissima punivit. Hæc omnia Jerosolymis à Petro gesta fuerunt: g. sine fundamento ullo negatur, eum in dictæ quæstionis decisione sui primatus auctoritatem non exercuisse. Neque necesse erat, ut Romæ possessionem Cathedræ adeptus esset. Nam primatus Petri personam ipsius sequebatur, sive esset Jerosolymis, sive Antiochia, sive Romæ, vel aliibi, & ex ejus persona in ipsius successore transivit.

32 Secundò, error Tostati in cap. 17. Matth. q. 13.) quem sequutus est Calvinus) est, quod putat, Jacobum definitivam protulisse sententiam, velut totius Ecclesiæ organum, & maiorem quolibet de assistentibus, eamque auctoritatem habuisse, non in quantum erat Apostolus, sed quatenus Episcopus Jerusalem, cui omnes Apostoli in regione illa erant quodammodo subjecti: & Apostoli, ut ait Salmasius, Presbyterium Jerosolymitanæ Ecclesiæ constituebant, ipseque Jacobus Apostolorum Episcopus dictus est à Rufino. Hic pariter Tostatus defecit: nam Romanus Pontifex in quacunque Diœcesi sit, in ea præsidet, & subditum ha-

bet Episcopum loci ; cùm res-
pectu illius , qui Pastores sunt
aliorum , oves sint , quarum
pascendarum regimen à Christo
accepit. Ideò sententia definiti-
va de exemptione fidelium ab
jugo legis antiquæ fuit à Petro
lata , quām Jacobus , ut Jero-
solymitarum Episcopus suis
promulgavit , eamque confor-
mem Scripturæ eis comproba-
vit. Quare præceptum illud , vel
à Petro , vel , nonnisi , eo pro-
bante , processit. In quem verò
finem fuerit constitutum? Quod
manducatio suffocati speciem
quandam habebat Ethnicæ su-
perstitionis , cum animalia suf-
focata tanquam pretiosum sa-
crificium gentiles falsis dijs de-
dicarent , ut notavit D. Tho-
mas 1. 2. q. 102. art. 6. Prohi-
bitio itaque facta est fidelibus
ex gentilibus existentibus An-
tiochiae , Syriæ , & Liciæ , ut
abstinerent à contaminationi-
bus simulacrorum , hoc est , à
cibis Idolis immolatis : nam
talibus vesci , symbolum vide-
batur cultus idolorum.

33 Fictum est illud Salma-
fij. Nam D. Petrus superior , cæ-
teri verò Apostoli pares erant
cum Jacobo. Ideò mendosa est
lectio Rufini , & ex Græco substi-
tuendum est , Jerosolymorum ,
ex Petavio lib. 1. de Eccles.
Hierarch. cap. 8. n. 9. Ad item;
discrimen est , quia in corpore

naturali , virtus sensitiva famu-
latur intellectivæ , & membra
hujus imperium exequuntur:
Ideò indispositio organorum ,
membrorumque infirmitas in
illius impedimentum reducat.
In corpore verò mystico Eccle-
siæ aliter evenit : exercitium
enim Pontificiæ potestatis à
Concilio non dependet ; immò^{ne}
quantumcumque sit debilitatio
in membris , illæsa manet func-
tio Capitis ; adeò ut ex illa
præjudicium non patiatur sen-
tentia Papæ. Quod ad oculum
liquet , attenta adducta parita-
te de corpore humano , in quo
non propterea , quod sit clau-
dicatio in membris , vel aliqua
è corpore separentur , cessat
Capitis influxus in cætera mem-
bra unita , sic & in proposito.
Unde Calixtus I. omnibus Epis-
copis in Epistola ad Benedic-
tum Episc. scripsit , ut in Cap.
Non decet , 12. dist. Non decet
membra à capite discedere , sed
juxta Sacré Scripturæ testimo-
nium omnia membra caput se-
quuntur. Nuli verò dubium est ,
quod Apostolica Ecclesia mater
est omnium Ecclesiærum ; & si-
cut Dei Filius venit facere vo-
luntatem Patris , sic & vos vo-
luntatem vestræ impleatis Ma-
tris , quæ est Ecclesia , cujus
Caput , ut prædictum est , Ro-
mana extitit Ecclesia. Quid ergo
sine discretione iustitiae
con-

contra disciplinam actum fuerit, ratum haberi, ratio nulla permittit.

34 Dices. Ergo cum discretione licitum est contra illam agere. Respond. Negatur consequentia cum Glossa scribente ibi, quod hic vacat argumentum à contrario sensu: negari enim potest suppositum, quod definitiones Pontificis de iustitia argui possint, ut ex §. *Qui autem*, 17. quest. 4. quo statuitur: *De judicio Romani Pontificis alicui disputare non licet.*

35 Ad additum. In judicijs terrenis, quia à Communitate, vel Principe Comitia authoritate donatur, nulla planè est sententia, nisi fiat ad præscriptum, quod decretum edatur, concordantibus Præside, & alijs Conj dicibus. At propterea quid ad casum? Primatus Pontificis est à Christo institutus, independens ab Episcopis, eorumque judicio, in quos potestas decernendi à Pontifice descendit. Ideò ubi Papa contradicit, ipsorum sententia prævalere nullatenus potest, sed Pontificis definitio tenenda est, cui plenior in decidendo cognitio divinitus ministratur, quam quod humano studio, & ratione quis assequi possit. Hinc judicium illud practicum, quod definitionem præcedit: *Sic, & non aliter esse definiendum: hunc*

v. g. non illum librum pro Canonico esse recipiendum: hanc doctrinam esse hereticam, &c. Pontifici à divina assistentia, & instinctu inspiratur, & ceterorum judicia excedit: post quod sequitur definitio Pontificis, illis verbis, *Authoritate Apostolica decernimus, &c.*

36 Hoc totum Lauræa de Fide, disp. 6. art. 7. num. 317. dixit, esse commune in omnibus deductionibus doctrinalibus, adeò ut quoties Theologi ex commissione Papæ discutiunt: an hæc doctrina sana, vel prava sit? Et ex Scriptura, Traditionibus, ac Patribus discurrunt, & inferunt, quod Catholica sit, Deus ita assistit Papæ, vel Concilio legitimo, non quidem per novam revelationem, sed per instinctum, illuminando intellectum Episcoporum, & Papæ ad cognoscendam, & formandam rectam rationem, quod ita sit. Quemadmodum, constito per testes legitos de virtutibus, & miraculis alicujus Servi Dei, auditisque à Pontifice probationibus, ex Dei illuminatione, & instinctu agnoscit, eum unum ex illis esse à Deo in generali revelatione revelatis, & inde eum Sanctum esse definit. Quomodo Deus, teste Lauræa cit. Ecclesiam suam regit in sanis ac falsis doctrinis cognoscendis. Unde hoc spectat illud

illud Ambrosij in cap. Non turbatur, 24. quæst. 1. Et si alijs Imperatur, ut laxent retia sua, soli tamen Petro dicitur, due in altum, hoc est, in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre, scire Dei Filium, & professionem divinae generationis assumere? Quam licet mens nequeat humana plenæ rationis investigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complebitur.

37 Arg. 4. In Concilio generali investigatur, quinam sit sensus universalis Ecclesiæ. At hujusmodi investigatio meliori modo fit ab Episcopis in Concilio, quam à Papa; illi enim testantur de praxi sua Ecclesiæ, hic verò de praxi solius Romanæ Ecclesiæ: g. in illius sensus investigatione magis standum est attestationi omniam Episcoporum, quam solius Romani Pontificis: g. illorum judicium fortius est, quam illud Papæ, ideo magis illi standum est. Deinde; unanimis Sanctorum Patrum sententia in materia Fidei est infallibilis; possibile enim non est, quod omnes simul sumpti errant; sunt enim Ecclesiæ dati, ut eam ab errore præservent, juxta textum Apostoli ad Ephes. 4. *Ipse dedit: alios autem Pastores, & Doctores in ædificationem Corporis*

Christi, ne circumferamur omni vento doctrinæ. Unde controversiae, quæ in materia fidei oriuntur, dirimuntur ex Sacra Scriptura, & Traditionibus, de quibus Patres unanimiter testantur. Ita cum Ecclesia in Concilijs congregata, aliquid de Fide credendum proponit, ac definit, profitetur Sanctorum Patrum mentem, & concordem sententiam sequi, ut constat ex Chalcedonensi Act. 2. in qua lecta Epistola S. Leonis, Patres clamarunt: Hæc est Fides Patrum. Tridentinum sess. 4. in Decret. de Edit. Sac. lib. V. stat; ne quis contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem Sanctorum Patrum consensum interpretari audeat. Litinenensis in Commonit. de Synodo Ephesina, sic loquitur: „In Concilio Ephesino divinitus placuit, nihil aliud posteris credens, dum decernere, nisi, quod sacerdotia consentiens Sanctorum Patrum tenuisset antiquitas: Sed Episcopi in Concilijs referunt communem Patrum sensum: g. Episcoporum judicium est præferrendum sententia Papæ in casu, in quo cum illo non convenirent.

38 Respond. neg. min. Profectò in Concilijs examinatur, & discutitur, num res definienda

probari possit ex Scripturis, vel sensu Ecclesiae? At circa hujusmodi investigationem possunt Episcopi errare. Multoties enim Patres in Concilijs putarunt, vel testes fuerunt, aliquod dogma communi Ecclesiae consensu probari, & Papa illos instruxit, rem aliter se habere, ac, nolentibus acquiescere, anathema fuit illis indictum. Exemplum aptum est in controversia de anabaptismo, seu repetendo baptismo ab haereticis ministrato. Censebant Patres Afrorum Conciliorum, anabaptismum probari ex consensu Ecclesiarum, quem judicabant de Apostolica Traditione descendere, prout significat Aug. lib. 2. de Bapt. contr. Donatist. c. 7. & 8. Quibus Stephanus Papa, oppositam consuetudinem, asserebat, ex Apostolica Traditione manare. Stephanus vicit, edito decreto, *nihil innovandum*, nisi quod traditum est. Eos autem auctoritate superbat, eratque testis omni exceptione major Traditionis Romanæ Ecclesiae; quæ cæteris formam, & normam dat, ac eamdem semper fidei, & morum doctrinam cum cæteris Ecclesijs tenet, ut dixit Aug. lib. 1. contra Julian. cap. 4. n. 13. „Quid enim potuit ille vir „Sanctus (Innocentius Papa) „Africanis respondere Concilijs,

„lijs, nisi, quod antiquitus „Apostolica Sedes, & Roma- „na cum cæteris tenet perse- „veranter Ecclesia? Unde S. Ignatius Epist. ad Philadelphienses scripsit: „Boni sunt „Sacerdotes, & Sermonis Ma- „gistri (hoc est Episcopi;) me- „lior est Pontifex, cui soli com- „missa sunt secreta Dei. Ita controversia etiam de celebra- tione Paschatis decissa est à Romano Pontifice, Victore, qui adversus Patres Asiaticos, censemtes Pascha ex sensu Ecclesiae esse celebrandum more Judai- co, eis opposuit Romanæ, & universalis Ecclesiae consuetu- dinem. De hoc infra.

39 Ita quoque posset acci- dere, ut Patres in Concilijs dic- erent, aliquod dogma proba- ri ex sensu Ecclesiae, exponen- tes tanquam testes suarum Ec- clesiarum consuetudinem, quæ tam opposita esset consuetudi- ni Romanæ Ecclesiae, quam Pa- pa proponeret; eamque sequen- dam definiens, ubi eam Patres amplecti nollent, haeresis cri- men incurserent.

40 Dices: Africana, & Asiatica illa Concilia non fue- runt Generalia: g. ad hæc ex illis nulla est illatio. Contra: Quid interest, quod Concilia esent generalia, si à capite re- cederent? Concilia, etiam ge- neralia, à Papa non confirmata,

C, errare posse, & revera erravit Ephesium II. Latrocinale appellatum, convocatione solum generale, quod inter Conciliabula reponitur. Assistit quidem Spiritus Sanctus Episcopis in Concilijs legitimis, si zelo, ac juxta instructionem Pontificis veritatem inquirant, & cum subordinatione ad illius judicium definiant: tunc enim Spiritus Sanctus eorum intellectus illuminat, ut cognoscant, quod res definienda ex Scriptura, vel Traditionibus deducitor, & volvuntati inspirat, ut imperet intellectui, ut rei cognita firmiter adhaereat. Qui inspirandi modus à Trident. sess. 13. appellatur *suggerio* Spiritus Sancti, & *instinctus* dicitur à Lirano in cap. ult. Matth. Qua illuminatione, & instincta destituti essent Patres, qui à Pontifice discordarent, & absque subordinatione ad illius confirmationem, rem controversam deciderent.

41 Dices: Ergo à veritate alienum non censetur, quod scripsit Petrus Suavis de Concilio Tridentino, nimis, quod Spiritus Sanctus per Cursorem Romam ferebatur Tridentum. Respond. negatur consequentia. Omnia, quæ idem temere nimis de dicto Concilio scripsit (quæ hic omittimus) sunt horrore plena, & ridicula, ac

Tom. III.

mendacijs referta. Pontifex instructiones Legatis mittebat, juxta quas definiendum erat, ad quorum præscriptum, si Patres non definiissent, Spiritus Sancti directione privati fuissent: nec fuissent congregati in nomine Christi, modo, nimis, à Christo instituto, à quo est Pontifex Caput Ecclesiæ constitutus, ut membris imperet, & hæc capitis influxum recipiant, & vocem audiant.

42 Ad deinde. Testes quidem divinarum Traditionum sunt Sancti Patres; Christus enim, tanquam se accommodans nostra infirmitati, factis, dictisque suis testes adhibuit Apostolos, & Discipulos, ut de illis, cum res postularet, testimonium reddere possent, etiam Spiritu Sancto testimonium perhibente, juxta illud Act. 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudea, & Samaria, usque ad ultimum terra.* Et cap. 10. v. 41. Apostoli testimonia sua partim scripto, partim non scripto tradidérunt; eaque Pastoribus, & Doctòribus Ecclesiæ præ cœbris commendarunt, ne populus fidelis circumferretur omni vento doctrinæ. Idemque manda- runt, ut Pastores, & Doctores Ecclesiæ, acceptam doctrinam traderent fidelibus hominibus, qui idonei essent, &

Vv alios

alios docecent. Ita enim futurum erat, ut testimonia ad æternam rerum memoriam, præcipiente Christo, publicata, à testibus accepta, coram testibus ad Successores deducta, dirigente Spiritu Sancto, ad finem usque saeculi permanerent. Hoc advertentes Sancti Patres, tanquam in Scriptura fundatum, tanquam à Prædecessoribus observatum, fidem Christi per testes probandam esse censuerunt.

43. Hinc Augustinus lib. 2. contr. Julian. cap. 10. n. 34. productis Sanctorum Patrum sententijs adversus Pelagianos, oppugnantes peccatum originales, scriptis: *Quod invenerunt Patres in Ecclesia, tenuerunt. Quod didicerunt; Quod à Patribus accepérunt, hoc filijs tradiderunt.* Quapropter unanimis Sanctorum Patrum consensus in aliqua veritate fidei, certum utique morali certitudine est divinæ revelationis testimonium, & dogma aliquod fuisse Apostolis revelatum, & ab Apostolis alijs traditum; cum non sit moraliter possibile, eos simul sumptos in falsitate convenire. Ideò temerarius planè foret, qui aliud sentiret; sed non inde judicandus ex eo præcisè formaliter hereticus. Nam Patres non per modum Judicij defini-

tivi, sed solum per modum attestacionis declarant, quæ sunt fidei. Eset tamen de fide credenda, si à Romano Pontifice, vel Concilio ab eodem confirmato fuisset definita, ad credendum proposita, adeò ut oblustantes credere essent formaliter heretici.

44. Unde major accipitur de infallibilitate, & impossibilitate morali. Et admissa minori, negatur consequentia, juxta dicta superius. Quinimò ad illam certitudinem moralem pariendam, ut notat Gamachaus, ille unanimis Sanctorum PP. consensus non est mathematicè sumendus, adeòut, ne quidem unus ex omnibus omnium temporum Patribus dissentiat, sed moraliter usurpandus est, ita ut sit consensus omnium circiter, vel ferè omnium; eo modo, quo morales sumi debent: moralia enim moraliter sunt intelligenda, ut dixit Cardinalis Perronius in responsione ad Regem majoris Britaniz: „Tunc, ait, unanimis Patrum consensus cumulatè probatus estimari debet, „cum singularum Nationum eminentissimi in alicuius rei assertione consentiant, ita ut inter illos nemo, qui seipset Orthodoxus, semper Orthodoxis adhæsit, dissentiat.

45. Sed quomodo, dicit

aliquis , posterioris temporis Ecclesia potuit esse certa de veritate Traditionis , cùm prioris temporis Ecclesia diversas inter domesticos fidei toleravit sententias ; à qua tamen priori Ecclesia Traditione illa ad posteriorem debuerat pervenire ? Respond . Facile potest contingere , ut circa rem à Christo D. revelatam , & ab Apostolis traditam , ac nequum ab Ecclesia definitam , varia sint domesticorum fidei sententias ; prout temporibus D. Cypriani evenit circa controversiam , an baptismus ab hereticis collatus valeret , ut apud Augustinum cont . Cresconium , lib . I . cap . 32 . & 33 . & quid simile observatum fuit in alia de observatione Paschatis ante tempora Victoris Papæ . Quousque itaque sufficierenter constet de universitate constitutinis , vel veritate Traditionis , variè tolerantur inter domesticos fidei , salva unitate , sententias , ut ibi Aug . cap . 33 . Sufficierenter vero de Traditionis veritate constat , cùn , vel Sedes Apostolica , vel Concilia per eam confirmata quæstionem dirimunt , & pro existentia veræ Traditionis expressè definiunt . Ita Nicæphorus lib . 12 . cap . 34 . de observatione Paschatis dixit : *Nicæna Synodus* eam operam

navavit , ut populus , qui an-
teà à parte maiore dissentiebat ,
ad unaminem concordiam per-
traheretur .

46 Diximus , vel per Con-
cilia à Sede Apostolica confir-
mata , quia prout resolutam
est sup . Concilia ab ejus con-
firmatione robur assequuntur .
Siquidem Romanus Pontifex
Primitum in tota Ecclesia di-
vinitus habet , jus proinde ob-
tinet docendi eos omnes , qui-
bus à Christo præpositus fuit ,
sou solvendi dubia , quæ circa
Scripturarum sensum originis pos-
sunt : proponendi veras Tra-
ditiones per Patres recensitas :
Congregandi , confirmandique
Concilia : præcipiendi , ut ubi-
que terrarum Canones obser-
ventur : immo & per excom-
municationis censuram com-
pellendi singulos fideles , ip-
sosque quoque præcipuarum
Sedium Episcopos , ut sanam
fidem profiteantur , & ad
Evangelij , & Canonum nor-
mam mores suos componant .
Ideo cum viva regula fidei ipse
sit , ad eum spectat definire ,
quænam Traditione sit vera ; ac
ab apocryphis legitimas , &
sinceræ distinguere , ut ita
Doctorum certamina cessent .
Quoniam vero aliqua de Pa-
strum autoritate locus dicendi
occurredit , hic etiam observa-
tione dignum censemus , ali-

quas regulas , & cautions adnotare , ut quis cum fructu , & debito cum obsequio Sanctos Ecclesiarum Patres legat , alleget & intelligat . Quare inter ceteras cautions sunt sequentes servandas in illis legendis .

47. Prima. Attendendum est quo anno , quo imperante , quo Romano Pontifice , Sanctus Pater scripsit . His enim diligenter inspeccis , constabit , non in haeresim lapsum , quem interdum lapsum fabulantur , & calumniantur haeretici . Sic Sanctorum Cyprianum haereticum non dixeris , licet pro rebaptizatione baptizatorum ab haereticis steterit , si consideres eo tempore nondum , ut de fide oppositum definitum . 2. Observandum est , qua aetate scripsit , hoc est , an esset juvenis , dum scriberet , an matura aetate : experientia doceatur , etiam nos plura sentire , & probare juvenes , quae grandiores facti , & maturius assecuti revocamus . Testes omni exceptione majores sunt duo Retractationum libri a D. Augustino jam Sene conscripti , in quibus retractat , quae Junior protulit . Unde de Aug. dixit Bellarminus : *Quam aliter sapiat Augustinus senex , quam Augustinus juvenis .*

48. Ad tertium . Advertendum est , contra quos , & qua intentio-

ne scriperit , ita enim germanus habebitur sensus . Sapientia enim Sancti Patres in impugnandis haereticis , usi sunt terminis , qui videbantur erroribus oppositis favere , sed reipublica , & secundum sensum ab eis intentum , omnino differebant . Sic , cum S. Hilarius de Trinitate dixit : *Christum Dominum fuisse omnis doloris sensus expertem , ac proinde nullum sensisse dolorem :* videbitur non errasse , quia tunc scribebat adversus Arianos , negantes Christum D. esse Deum ex hoc titulo , quod fuerit multis doloribus , & passionibus subjectus . Propterea intelligetur S. Hilarij sententia fuisse non de Christo D. ratione passibilis , & mortalis humanitatis , sed ratione Divinitatis immortalis , & impassibilis considerato . 4. Ex apertis , & certis SS. Patrum dictis expienda ea sunt , quae alibi reperiuntur obscura , & ambigua . Et sic textus cum textibus sunt conferendi , ne contradictionia asseverasse dicantur .

49. Cavendum est , ne quis quempiam de Sanctis Patribus temere erroris insimulet . Unde ubi aliqua SS. Patrum locutiones reperiuntur , quae amplius in usu Ecclesiae accepta non sunt , benignè , &

reverenter exponendæ, non corrígendæ, aut mutandæ, quia hoc esset Patres docere, non interrogare, ut doceant. Ita cùm S. Basilius, alijque cum Tertulliano tradunt in Sacramento Eucharistia, *panem esse figuram Corporis Christi*, est hoc benigne exponendum, dicendo, quod quanvis corpus Christi verè, & realiter sit in hoc Sacramento sine substantia panis, ut tota Ecclesia de fide credit; tamen quia hic non apparet in propria, & naturali specie, ac figura, sed sub specie, & figura panis, ideo à Basilio, & alijs Patribus dicitur esse ibi in figura, seu sub figura, sive sub specie panis. Et ita, & in hoc solo sensu panis asseritur ab illis figura Corporis Christi. Hodie tamen ab eo loquendi modo temperandum est, nam ipsum Ecclesia non usurpat, sed potius damnat in Calvinis, assertoribus Christum Dominum solum figuratè, & non verè, & realiter contineri in Sacramento Eucharistia, panemque secundum substantiam remanentem, esse figuram corporis Christi, cùm exclusione veræ, & realis hujus præsentia.

6. Tencendum est monitum Litinensis docentis, verba à SS. Patribus concionando prolatæ, non esse in rigore sum-

per intelligenda; sed interdum tanquam ex zelo pronuntiata. Ita accipiens Chrysostomus suum concionando hortans populum ad assiduam Sacrae Scripturæ lectionem; intendebat multitudinem Græcorum intentam fabulis, Theatris, & Scenis, ab his avertente, certisque malorum periculis; non tamen voluit (ut perperam censent nostri temporis hæretici) quod indistincte, etiam indociti, rudes, & mulierculæ lectioni divinae Scripturæ vacarent. Quare omnes ad divinam Scripturam hortatur, sed, ordine servato, legendam scilicet à Sapientibus, & peritis, audiendam vero ab alijs rudibus, & indocitis: & ab omnibus agendum, quod ipsa præscribito. Tandem, ubi in non adhuc definitis invenit quis duos, vel plures SS. Patres interdum contraria sentire, adeò ut unus negat, quod alter affirmat, non eos damnet, sed singularium Catholica mentis intentionem excusat, & Dei prævidentiam adoret, quæ sic eos inter se opponi forte permittit, ut hac forma ex contrariarum opinionum conflictu veritas appareat, sicut ex collisione duorum lapidum ignis elicitor.

51 Inquires: An communis sententia de infallibilitate Sum-

Summi Pontificis potestur aliquas limitationes? Resp. quod AA. communiter afferunt sequentes: *Prima*, quod licet non possit errare quoad substantiam in rebus morum, ut mala pro bonis, vel è contra imperet; alias Ecclesia in praecceptis non esset sancta, &c. ut supradictum est: *attamen* in modo obligationis errare potest; & hoc fieri, si leges minimis multiplicaretur, inimicis difficultia imperaret, &c. *Hinc* est, quod Pontificum leges non semper recipiantur, aut etiam aboleantur. *Secunda* limitatio est; quod errare potest in rebus non pertinentibus ad infallibilitatem Ecclesie; huius si esset questio meré Philosophica, &c. *Tertia* limitatio est, quod licet errare non possit in rebus iuris; potest tamen errare in rebus solius facti, quae, scilicet, ad fidem, & bonos mores totius Ecclesiae non spectant; sed tantum ad particula-ria quædam facta, v.g. damnando, vel excommunicando aliquem ex informatione hominum.

52. *Observandum* tamen est, quod res facti sunt in duplice differentia; alia enim sunt solius facti; alia autem sunt facti, & per Scripturas, aut Traditiones revelata; vel saltem cum revelatis concreta: &

in hac non potest cadere error: talia sunt, Sacraenta à Christo esse instituta: panem per consecrationem mutari in realmem humanitatem Christi Domini: Beatam Mariam permanisse Virginem post partum; nunquam actualiter peccasse, &c. In rebus autem solius facti, quæ, scilicet, tantum ex informatione, & testimonio hominum pendent, Concilia, & Pontifices errare possunt; quia possunt male informari, v.g. an Petrus hoc, vel illud fecerit, docuerit, &c. & talia decreta vocantur, vel obreptitia, vel subreptitia, quæ revocari possunt: & de ipsis loquitur S. Bernardus, epist. 180. ad Sum. Pontificem Innocent. II. ubi ait:

Iterum supplicatio, iterum processus. Non desistimus, quia non diffidimus. Bonam causam habemus, & æquum Judicem, qui non cunctabitur evacuare, quod subreptum est, cum apparebit quod verum est; nec poterit inde ridere, qui voluit irridere.

53. *Quarta* limitatio est, quod in Decretis Summi Pontificis tantum illa sunt infallibilia, que directè definire vult; reliqua vero, quæ tantum obiter, vel incidenter, vel pro aliqua probatione assert, non ita sunt infallibilia. Item errare potest, si loquatur, ut privatus Doctor, vel etiam circa parti-

culares Ecclesias. Has limita-
tiones tradunt communiter DD.
sed semper pro Summo Pontifi-
ce standum est, donec eviden-
ter constet oppositum.

DISPUT. IV.

DE JUDICE CONTROVER-
SIARUM.

QUOTIDIANA experien-
tia constat, quod inter
Christianos solent oriiri
controversiae de Fide, & Reli-
gione, seu circa fidem, & mo-
res: Et est certum apud omnes,
esse necessarium aliquem Judi-
cem ad decidendas, & finien-
das prædictas controversias;
alias Christus non bene suæ
Ecclesie provideisset, quod abs-
que blasphemia dici non po-
test. Protestantes etiam agnoscunt
hanc necessitatem; quod
& in Regnis, Reipublicisque
politiciis custoditur, cum ha-
beant ultimum, & supremum
Tribunal, cuius judicio partes
litigantes acquiescere tenentur.
Difficultas ergo stat, quis de-
beat esse iste Judex? Protestan-
tes docent, solam Sacram Scrip-
turam esse: & ex ea sola (se-
clusis Traditionibus, & autho-
ritate Ecclesie) controversias
omnes finiri, ac decidi posse.

Catholici autem distinguunt
inter Judicem, & Normam,

Judicem vocant, qui fert sen-
tentiam inter partes litigantes.
Normam, secundum quam fer-
tur sententia à Judice. Posita hac
distinctione, tria docent. 1. Ec-
clesiam esse Judicem controver-
siarum. 2. Normam, quam se-
quitur Ecclesia in ferenda sen-
tentia, non esse solam Scriptu-
ram; sed Scripturam, & Tra-
ditionem Sacram. 3. Ecclesiam,
juxta hanc normam, dupli-
citer sententiam pronuntiare pos-
se; vel per Pontificem, qui est
Pastor, Monarcha, & Judex su-
premus Ecclesie; vel per Con-
cilia, quæ repræsentant Eccle-
siam, dum modo à Summo Pon-
tifice sint approbata, & confir-
mata: & utroque modo, sen-
tentiam esse infallibilem.

Alij hæretici, pro Judice
controversiarum, ponunt spi-
ritum privatum, prædestinatis
tantum concessum: de quo spi-
ritu sequentia scribunt: *Singu-
los Christianorum si devitè in-
vocaverint Spiritum Sanctum,
posse sine errore, ex Sacra Scrip-
tura lecta, vel audita, quo-
rumcumque hominum, etiam
Conciliorum generalium doctri-
nam expendere, & dijudicare,
vera, an falsa sit proposita.
Item, non esse aliam rationem
cognoscendi, & amplectendi
venam fidem, quam, debite in-
vocato Spiritu Sancto, consu-
lere Scripturam, sive legendæ
in*

in ea Verbum Dei, sive audiendo ex ea Verbum Dei. Cum illis concordant Libertini, seu Quintinistæ; sed in eo dissentiant, quod isti Divinas Scripturas esse fidendas, secundumque solum esse spiritum vivificantem pronuntient; unde & spirituales dici volunt.

Hoc planè est quid ridiculum, & apertum delirium, contra quod universi Ecclesie Catholice Doctores scripsierunt. Videatur Beccanus tom. I. Opusculorum opusc. 10. Atsdekin tom. I. tract. I. cap. 6. noster Matthæus. controv. 3. cap. 3. Ex quo breviter impugnatur hic privatus, & confititus spiritus. Hoc spiritu admisso, ad hæreses, & schismata amplius additus patet: g. non est admittendus. Antecedens patet; nam unde hæc nata, nisi, quia quot capita, tot sententiae? Neque ullus amplius poterit, ut hæreticus damnari. Deinde, discurratur per erronea Calvinistarum, & Lutheranorum principia, & videbuntur funesta, & contradictoria consequentiae. Præterea contra Calvinistas: si omnibus, & solis prædestinatis datur ille spiritus, dicant nobis si erant prædestinati illi, de quibus Christus D. Luc. 22. dixit: *Et tu aliquando conversus confirmas fratres tuos?* Si erant

prædestinati, habebant eumdem spiritum, quam Petrus; Cū ergo Petro juvetur, ut eos confirmet? Si reprobi, quomodo fratres? Hic hærent, sed cedant veritati. Denique, prædictus spiritus reprobatur a Deo Ezech. 13. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum,* & nihil vident. Reprobatur ab Ecclesia, quæ ut hæreticos proscriptis, & damnavit quamplurimos, qui, esto contraria credentes, allegabant se per internum instinctum, Spiritu Sancto debite invocato, sua deliria ex Sacra Scriptura accepisse. Reprobatur etiam a dictamine naturali; nam si daretur ille spiritus privatus, aut revelaret singulis verum, vel falsum? Si falso; non esset audiendus, nec a Deo venire censendus, sed ab Antro tartareo prodijse. Si verum; quomodo Lutheranis, & Calvinistis, tam contraria, repugnantia, & disona revelant? Ergo est delirium. His præmissis, sit

QUÆST. I.

*QUID, ET QUALIS SIT
Sacra Scriptura?*

I **E**SSE aliquam Scripturam, seu doctrinam a Deo hominibus revealatam, ratio ipsa naturalis aper-

tè conviaceit; cum enim sciat suomet ipsa testimonio, esse aliquem Deum, qui complectens in se omnes perfectiones, & excellentias imaginabiles, est fons, origo, & causa omnium aliorum entium, & consequenter Dominus, ac Rector totius universi: consequenter scit etiam, talem Deum, ac Dominum merito excellentiarum, dominij, ac beneficentiarum ipsius in creaturas, debere ab omnibus, quæ illum nosse possunt, amari, coli, ac deserviri. Sed cum ratio naturalis, propter tenebras, ex peccato subortas, de Deo pauca admodum cognoscat, ad debitum, & ut oportet illum colendum, illique inserviendum: Verè enim Isaiae 45: *Tu es Deus absconditus, Deus Israël Salvator invisibilis, incomprehensibilis, & lucem inhabitas inaccessibilem:* multoque minus constet, qua ratione, quibus actibus, quibus ritibus velit coli, sibique deservire: consequens est, debere Deum hominibus, si ab his ritè coli velit, se suaque placita certo aliquo signo manifestare, ac revelare: quod hic vocamus Sacram Scripturam, seu Verbum Dei scriptum.

2. Hæc Sacra Scriptura ob divinam sui nobilitatem innumeris insignitur nominibus: nam 1. dicitur Biblia, à voce Tom. III.

Græca: *Biblion*: quæ libellum significat. 2. *Liber* anthonomatice; eo, quod sit omnium liberorum liber; tūm, sui origine; tūm sanctitate; tūm præsertim utilitate. 3. *vocatur, Testimonium, Fœdus, Pactum;* quo de firmissima, & irrevocabili divina voluntatis determinazione nobis constat, nullaque relinquitur filijs adoptatis de obtinenda hæreditate diffidencia. 4. *Lex;* nempè, illuminans oculos, & convertens animas. 5. *Instrumentum,* quasi instruens mentem. 6. *Os Spiritus Sancti;* per quod vocat credentes ad vitam. Denique; juxta Rupertum, & alios, *vocatur: Turris David;* ex qua pendent mille Clypei, ad bellandos diabolum, mandum, & hæreticos. Mens spiritualis: reficiens omnes celesti pavulo. Medicina animarum. *Paradisus;* fons; *Fluvius;* Poteus Jacob; *Currus Eliæ;* Mons Sion; *Liber virtutæ;* *Liber scriptus intus, & fortis;* *Fidei, & morum Regula;* Errorum censura, &c. *Quæ omnia supremam ejus dignitatem denotant. Nunc sit:*

CONCLUSIO I.

3. Sacra Scriptura definiiri potest breviter sic: Verbum Dei scriptum. Fuis autem, & explicatius sic:

Volumen Sacrum dictante Spiritu S. ad salutem hominis conscriptum, & ut tale ab Ecclesia receptum. Dicitur primo, *Volumen*; quia est aggregatum quoddam, ex Septuaginta duo libris particularibus, nempe, 45. veteris testamenti, & 27. novi, in unum codicem redactum. Dicitur secundo, *Sacrum*, seu *Sanctum*, quæ appellatio sumitur ex Apostolo 2. ad Timoth. 3. *Sacras litteras nostri.* Et ad Roman. 1. *In scripturis Sanctis.* Triplici autem capitulo dicitur *Sancta Scriptura.* Primo ratione causæ: Tum, principalis, qui est Deus *Sanctus Sanctorum:* Tum instrumentalis, qui sunt Prophetae, Apostoli, & Evangelistæ. Secundo ratione materia; quæ sunt divina mysteria, historiæ Sacrae, *Sancta vita præcepta*, &c. Tercio ratione finis, qui est hominis sanctificatio. *Sacra litteræ* (ait Clemens Alexandrin.) quæ *sacros faciunt, & deificant.*

4. Dicitur tertio. *Dictante Spiritu S.* quia scribentibus interius inspirabat, loquebatur, & dirigebat Deus. Unde, nihil familiarius apud Scriptores Sacros, quam hec locutiones: *Hec dicit Dominus: dicit Dominus exercituum, &c.* Unde 2. Petri, 1. v. 21. *Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia: sed*

Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. Non est tamen improbabile, quod dictata non essent singula verba, ubi scribenda erant naturaliter nota Sacris Scriptoribus, ut quando ponebant in Epistolis suis ea, vel quæ fecerant, vel quæ viderant, v. g. quod aliquis esset in tali urbe, esset insimus, fecisset naufragium, salutaret amicos, &c. Sed non permittebat Spiritus S. ut Scriptor, dum uteretur proprijs verbis, aliquid falsum, aut incongruum exponeret. Nihilominus probabilius est contrarium, nempe quod singula verba fuerunt etiam dictata. Dicitur quarto, *ad salutem hominis*: nam ut ait Gregor. *Quid est Scriptura, nisi quedam Epistola Omnipotentis Dei ad creaturam suam?* Ut sciat, *quid debeat fugere, quid amplecti, quid credere, ut vitam asequatur aeternam?* Et ideo dicit Apostolus; *quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Dicitur quinto, *Conscriptum;* ut distinguatur à traditionibus sacris, quæ sunt verbum Dei non scriptum, licet sint ejusdem infallibilitatis, & authoritatis: quia verbum Dei, sive scriptum, sive non scriptum, eamdem vim, atque infallibilitatem habet; non solum in scriptis, sed & in verbis

bis suis Deus semper est infalibilis.

5 Dicitur denique, *Cum ut tale ab Ecclesia receptum; licet enim illa particula non sint necessaria ad definitionem Sacrae Scripturae in actu primo, seu quoad se; requiritur tamen ad Scripturam Sacram in actu secundo, seu quoad nos; quando quidem nihil nos, ut Sacram Scripturam necessario recipiamus, nisi quod ut tale recepit, & nobis proponit Ecclesia. Notandum est hic; aliam esse approbationem Ecclesie permisivam; aliamque approbationem Ecclesie definitivam: prima quidem non facit Scripturam Sacram, seu Canonicam; quoniam solum se extendit ad posse legi, & ut hujusmodi est approbatio revelationum S. Birgitæ, S. Theresiæ, &c.*

CONCLUSIO II.

6 **Q**UALIS sit Sacra Scriptura, nec brevius, nec facilius potest sciri, quam transcribendo Venerabile Decretum Concilij Trident. dicentis sess. 4. „ Sacrorum vero librorum indicem huic Decreto adscribendum censuit; ne cui dubitatio suboriri possit, quiam nam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra

„ scripti: Testamenti veteris, „ quinque Moysi, idest, Ge- „ nesis, Exodus, Leviticus, Nu- „ meri, Deuteronomium, Josue, „ Judicum, Ruth, quatuor Re- „ gum, duo Paralipomenon, „ Esdræ primus, & secundus, „ qui dicitur Nehemias, To- „ bias, Judith, Esther, Job, „ Psalterium Davidicum 150. „ Psalmorum, Parabolæ, Ec- „ clesiastes, Canticum Cantico- „ rum, Sapientia, Ecclesiasti- „ cus, Isaías, Jeremias cum „ Baruch, Ezechiel, Daniel, „ Duodecim Prophetæ mino- „ res, idest, Osea, Joél, Amòs, „ Abdias, Jonas, Michæas, Na- „ hum, Abacuc, Sophonias, „ Aggæus, Zacharias, Mala- „ chias, duo Machabæorum, „ primus, & secundus. Testa- „ menti Novi, quatuor Evan- „ gelia, secundum Matthæum, „ Marcum, Lucam, & Joan- „ nem; Actus Apostolorum à „ Luca Evangelista conscriptis; „ quatuordecim Epistolæ Pa- „ li Apostoli, ad Romanos, duæ „ ad Corinthios, ad Galatas, „ ad Ephesios, ad Philippenses, „ ad Colosenses, duæ ad The- „ salonicenses, duæ ad Timo- „ theum, ad Titum, ad Phi- „ lemonem, ad Hebræos. Pe- „ tri Apostoli duæ: Joannis „ Apostoli tres: Jacobi Apo- „ stoli una: Judæ Apostoli una. „ Et Apocalipsis Joannis Apo-

„ toli. Si quis autem libros
 „ ipsos integros cum omnibus
 „ suis partibus, prout in Ec-
 „ clesia Catholica legi consue-
 „ verunt, & in veteri vulgata
 „ latina editione habentur, pro
 „ Sacris, & Canonicis non sus-
 „ ceperit: anathema sit.

7 Prosequens idem Con-
 cil. statuit, & decernit modum
 utendi in Concionibus, lectio-
 nibus, disputationibus, & ex-
 positionibus, hac veteri vulga-
 ta editione sic. „ Præterea, ad
 „ coercenda petulantia ingenia
 „ decernit, ut nemo, suæ pru-
 „ dentiæ innixus, in rebus
 „ fidei, & motum, ad ædificatio-
 „ nem doctrinæ christianæ per-
 „ tinentium, Sacram Scriptu-
 „ ram ad suos sensus contor-
 „ quens, contra eum sensum,
 „ quem tenuit, & tenet S. Ma-
 „ ter Ecclesia, cuius est judica-
 „ re de vero sensu, & inter-
 „ pretatione Scripturarum Sanc-
 „ tarum, aut etiam contra una-
 „ nimem consensum PP. ipsam
 „ Scripturam Sacram interpre-
 „ tari audeat; etiam si hujus-
 „ modi interpretationes nullo
 „ unquam tempore in lucem
 „ edendæ forent. Qui contra-
 „ venerint, per ordinarios de-
 „ clarentur, & peccatis à jure sta-
 „ tutis puniantur: post hæc
 „ temeritatem illam reprimere
 „ volens, qua' ad prophana
 „ quaque convertuntur, & tor-

„ quentur verba, & sententiaz
 „ Sacræ Scripturæ, ad scurri-
 „ lia, scilicet, fabulosa, vana,
 „ adulaciones, detractiones, su-
 „ perstitiones impias, & dia-
 „ bolicas incantationes, divi-
 „ nationes, sortes, libellos etiam
 „ famosos: mandat, & præci-
 „ pit, ad tollendam hujusmo-
 „ di irreverentiam, & contemp-
 „ tum, nè de cætero quisquam
 „ quomodolibet verba Scriptu-
 „ ræ Sacræ ad hæc, & similia au-
 „ deat usurpare; ut omnes hu-
 „ jus generis homines, teme-
 „ ratores, & violatores verbi
 „ Dei, juris, & arbitrij poenias
 „ per Episcopos coercentur.

8 Ex hoc venerabili De-
 creto patet; librum tertium,
 & quartum Estdæ, simulque li-
 brum 3. Machabæorum, non
 esse ex libris Canonicis, quam-
 vis in Biblijs communiter ap-
 ponanter, nè penitus pereant.
 Ex libris autem jam numera-
 tis, alij dicuntur Proto-canoni-
 ci; & alij Deutero-canoni-
 ci. Piores, sunt illi, de quibus
 nunquam dubitatum est inter
 Catholicos, & sunt omnes præ-
 fati, exceptis jam assignandis.
 Posteriores, de quibus aliquan-
 do dubitatum fuit inter Catho-
 licos ante apertam Ecclesiæ de-
 finitionem, sunt sequentes: To-
 bias, Judith, Baruc, Sapientia,
 Ecclesiasticus, Hymnus
 trium puerorum, Historia Su-
 fa-

sanæ , & Draconis ; Oratio Azariæ , & Jeremie. Primus , & secund. Machabæorum ; caput ultim. Sancti Marci ab illis verbis : *Surgens autem Jesus*. Historia de Sudore sanguinis Christi , & confortatione per Angelum : Historia de muliere adultera : Epistola ad Hebreos : Epistolæ Jacobi , & Judæ : Duæ Petri : Secunda , & tertia Joannis ; & Apocalypsis : Sed jam sunt infallibilis auctoritatis.

9. Etiam sequitur ex tali Decreto ; quod Lutherani , & Calvinistæ , non habent Canonem authenticum : quia canon , quem admittunt , numquam ab Ecclesia Dei fuit approbatus ; nec eorum versio est authenticæ : quia sunt ferè , tot versiones diversæ , quot sunt Hæretici principaliores inter se pugnantes , ut videri potest apud controversistas. Neque est apud ipsos interpretatio authenticæ Scripturæ : quia cum donum interpretandi Scripturas authenticæ , soli Ecclesiæ Catholice coemptat , in qua non sunt Lutherani , nec Calvinistæ , clarum est eorum interpretationes non esse authenticas , nisi illas à nobis accepterint. Ex quibus concludimus : non esse apud Hæreticos veram Scriptaram : & ideo si inter disputandum velint ad Scriptu-

ram recurrere , ad nostram recurrere necessæ est ; quia nostra legitima , & antiqua est ; Hæreticorum autem spuria , & novitia. Nostra unica , & sibi constans ; Hæreticorum varia , multiplex , & instabilis.

10. Dubitabis : *Quot fuerint editiones Sacrae Scripturae , & quæ sit præferenda ?* Resp. quod prima editio fuit Hebraicæ facta , quoad scilicet totum vetus Testamentum. Quantum ad Novum Testamentum , si Evangelium Matthæi , & forte Marci exceperis , sicut & Epist. ad Hebreos , fuit prima editio græcæ facta. Secunda editio fuit Paraphrasis Chaldaica veteris Testamenti. Paraphrasis est idem , ac explicatio rei per sermonem copiosiorem , & dilucidiorum : in quo differt à translatione , seu versione , qua transferuntur verba authoris in aliam linguam de verbo ad verbum , sive aditione , & sine diminutione. Tertia solemnis editio fuit 70. interpretum , qui totum vetus Testamentum ex Hebreo , in Græcum transluxerunt , non sine speciali Spiritus-S. assistentia. His versionibus Græcis successerunt Latinæ Testamentum vetus ex Hebreo , & novum ex Græco translatentes , fueruntque innumera. Inter illas autem reperiebatur una totius Sacrae Scripturæ ,

quæ

quæ dicebatur communis, & valgata latina. Quis verò fuerit ejus author, nescitur. Postea verò S. Hieronymus vertit vetas Testamentum, primo ex Græco: Secundo ex Hebræo in Latinum. Novum tamen Testamentum, & si restituerit Græca fidei, in Latinum non transtulit. Accidit autem, quod hæc editio, quæ vocabatur vulgata nova, & illa vetus vulgata, ministrarunt occasionem dissensionum, & contentionum; dum alij veterem, novam alij sequerenter, psallendo, legendo, concionando, &c. Sed divino afflante Spiritu, provisum est, ut ad communem Ecclesiæ usum ex duabus una fieret, quam modò habemus; & omnes aliæ versiones evanuerint. Unde, hæc vulgata editio, est solum editio authentica, & infallibilis authoritatis; ut patet ex Concil. Trident. Non est unius authoris; sed quædam habet ex S. Hieronymo; quædam ex Luciano; quædam ex Theodocione; quædam ex alio quodam interprete innominato.

II. Dubitabis 2. *An omnia, quæ in Sacra Scriptura continentur sint objecta credibilia Fidei divina?* Respond. affirmativè. Et patet ex Concilio Tridentino relato. Est contra

omnes Hæreticos nostri temporis. Hæc resolutio non tantum intelligitur, quoad dogmata, & mores; sed & quoad historiam rerum gestarum. Nolo tamen (inquit noster Joannes Haye) illam excusare à mendis Typographicis, quæ hinc inde irrepererunt.

12. Dubit. 3. *An omnia Scriptura Sacra puncta, apices, incisiones, & commata sint à Deo dictata, & revelata?* Respondetur affirmative: Dammodò sunt absque errore impressorum, seu ut fuerunt in originalibus Scripturis, & prout sunt canonizata, & definita à Concilio Tridentino. Est communis inter Catholicos; & patet ex D. Hieronym. in Epist. ad Ephes. ubi ait: *Singuli sermones, syllabæ, apices, & puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus.* Ergo omnes syllabæ, & apices, & puncta integrant Sacram Scripturam: ergo & revelata sunt, sicut, & ipsa Scriptura Sacra. Deinde; ex positione punctorum, & incisionum pender Canonicas sensus Spiritus-Sancti: ergo, & ipsa puncta sunt revelata, sine quibus revelata veritas nec percipitur, immò, nec scripta legitur; dum non ipsa legitur. Hoc etiam patet in hac propositione: *Surrexit: non est hic.* Est propositio de fide.

fide. Et hæc: *Surrexit? non.*
Eft hic. Eft manifesta Hæresis.
 Atqui in illis solum mutatae
 sunt punctuationes: g. punc-
 tuationes faciunt, quod pro-
 positiones sint, vel non sint de
 fide: Ergo sunt de fide punc-
 tuationes; ac per consequens
 revelatae.

13 Dices: in pluribus Vul-
 gatae locis non eſt appoſita
 punctuatio; & in alijs ignora-
 tur, & eſt ſub opinione, quo-
 modo ſit punctuanda juxta
 mentem Spiritus-S. g. punc-
 tuationes de facto poſitæ, nec ſunt
 de fide, nec revelatae, quin
 potius humana induſtria collo-
 catæ. Reſpondetur, neg. con-
 ſeq. Nam ex argumento ſolum
 probatur, punctuationem, quæ
 versatur in dubio, non eſſe de
 fide, quoad uſque declaretur
 ab Eccleſia. Ut ergo vim habe-
 ret argumentum, probare de-
 buerat, aliquam punctuatio-
 nem in vulgata repertam, &
 ab Eccleſia canonizatam, non
 eſſe de fide. Punctuatio autem,
 quæ à typographis ſupperaddi-
 tur, vel mutatur, vel omitti-
 tur, certè non eſt de fide: &
 vix, raro, aut numquā exit
 ab eorum manib⁹ aliquis liber
 ſine mendis.

14 Dubitat. 4. *An omnia,*
quæ debemus credere, continean-
tur in Sacra Scriptura? Reſ-
 pond. negativè: Immò, nec

omnia ſervanda continentur. Eſt
 contra Hæreticos: ſed patet ad
 oculum: quia nusquam docet,
 quo remedio tollebatur pecca-
 tum originale foeminarum. Nu-
 quam quoque definit, quot, &
 quinam ſint libri Sacri, & au-
 thentici; & complura alia cir-
 ca materiam, & formam Sa-
 cramentorum; & alia, quæ
 contra varios Hæreticos ſem-
 per creditit Eccleſia Dei.

15 Dubitat. ult. *Quan- m*
sit totius noſtrae fidei resolu-
tion? Hoc dubium diſſiciliuum eſt,
 & celeberrimum, valdeque
 olim omnium Catholicorum
 DD. ingenia vexavit, & nunc
 adhuc aliquorum vexat. Sup-
 ponendum eſt; quod reſolvere
 fidem, nihil aliud eſt, quam
 iuſtigare priuū principiu-
 m, ſeu motiuum, cui totius fidei
 certitudo innititur: quando
 enim interrogant̄ redditur ul-
 tima ratio, nos movens ad ac-
 tum fidei, & ad quem nulla
 alia nos movit, tunc dicitur,
 quod fides noſtra ultimo reſol-
 vitur in talem rationem: ac
 proinde ibi eſt iuſtendum, ne
 processus detur in infinitum.
 Hoc ſuppoſito:

16 Subtiliſſim. noſt. Doct.
 Scotus, subtiliſſimo acumine
 hanc diſſicultatem tangit in 3.
 diſt. 23. §. Secundo de fide in-
 fula, v. *Quero igitur.* Diſſi-
 cultas igitur proponitur ſic,
 jux-

juxta Catechiscum Ripalda: Quantum certa sunt omnia, quæ fides nos docet? Respondent Catholici: ita certa sunt, sicut veritates infallibiles dictæ à Deo, qui nec fallere, nec falli potest. Interrogatur iterum: Et unde scitis, quod Deus dixit tales veritates? Respondent Catholici: Id scimus per nostram Matrem Ecclesiam à Spiritu S. edoctam, & directam. Nunc inquirunt Anglicani Hæretici: Et unde scitis, quod talis Ecclesia est vera, & directa à Spiritu-Sancto? Respondent Catholici: Id scimus ex Sacra Scriptura. Inquirunt iterum: Et unde scitis, quod talis Scriptura, est Sacra, & vera? Respondent aliqui Catholici: Id scimus per Ecclesiam. Ecce circulum (inquit Hæretici:) ex quo multum vociferant illudentes nos. Quare credis Scripturis Sacris? Quia Ecclesia dicit, tales esse veras, & Canonicas Scripturas. Quare credis Ecclesiam hæc dicenti? Quia dicit Scriptura, hanc esse veram Ecclesiam. Quare credis Deum esse Trinum? Quia Deus revelavit. Quare credis Deum revelasse? Quia Ecclesia hoc dicit. Quare credis Ecclesiam id dicenti? Quia Deus revelavit, credendum esse Ecclesiam. Quare credis Deum revelasse, credendum esse Ecclesiam? Quia Eccle-

sia hoc dicit. Ecce quomodo terminus est suimet principium, & principium suimet terminus, ex quo fit inevitabilis vitiosus circulus, probando per autoritatem Ecclesiæ Scripturam; & rursus per Scripturam, autoritatem Ecclesiæ. Præterea, ex hoc sequitur, quod veritas divina pendet ab autoritate Ecclesiæ, quæ est humana. Si enim quod credendum est, Ecclesia definit, nec alla res credi possunt, nisi quas proponit ipsa, jam tota ratio credendi in Ecclesiæ testimonium resolvitur. Hæc est tota difficultas, & quidem gravissima.

17. Sed meo videri inquamque Secta tenet. Interrogemus igitur Lutheranis, & Anglo Calvinistis: Quare dicitis, vestram Scripturarum intelligentiam esse firmam, & infallibilem? Respondetis: quia spiritu, aut interna motione duciti sic eam intelligimus. Et quare dicitis, vestrum spiritum, aut internam motionem esse firmam, & infallibilem? Respondetis: quia sic intelligimus contineri in Sacra Scriptura. Ista sunt responsiones vestrae: ergo probatis Scripturam per spiritum vestrum, & spiritum vestrum per Scripturam. Vel aliter; ergo creditis Scripturæ propter spiritum vestrum, & spiritui vestro propter Scripturam.

ram. Solvite circulum. Inquit Calvinus, testimonium Romana Ecclesiæ esse humanum, ac proinde fluxum, caducum, & ineptum. Ego & illum premo: (inquit noster Macedo lib. 2. de Clavibus Controv. de Scripturis Sacr. cap. 3.) testimonium, quo ille nititur ad suas Scripturas asserendas, cujusmodi est? Divinum nè, an humanum? Spiritum esse affirmat. Gaudeo. Accipio quod dat, ac peto: cur ipsem dicat lib. 1. Instit. cap. 9. Nullam autoritatem habebit apud nos spiritus, nisi certissima nota discernatur? Hanc certissimam notam designet. At ille arcanum spiritum, & interiorem persuasione affert. Hæc occulta sunt, intra Calvinum sunt. Notas proferat; nempè, lilia. Capi. In tergo liliato Calvini notæ ejus spiritus sunt carenti ferro inusta. Præposta sunt ista lilia, & præpostæ libidinis signa. Longe alia sunt notæ justæ, quibus libri divini dignosci debent, & sunt notæ, & signa veræ Ecclesiæ.

18 Jam igitur, relictis varijs, & diffissimis modis respondendi ad hoc dubium, breviter respondeo, quod loquendo de resolutione à priori, & per motivum intrinsecum, fides nostra; seu omnia, quæ credimus fidei divina, ultimæ

resolvitur, seu resolvuntur in authoritatem Dei revelantis, qui ob suam veracitatem, & infinitam sapientiam, nequit fallere, nec falli. Loquendo vero de resolutione à posteriori, seu per motivum extrinsecum, potest dici; quod omnia, quæ credimus, ultimatè resolvuntur in illis signis, seu motivis, & notis, quibus decorata est vera Ecclesia; ut in superioribus diximus. Vel resolvitur in ipsum Deum, qui titulo sue divinæ authoritatis, ut supremi Gubernatoris universi, nequit permettere, quod falsa doctrinæ, vel revelatio falsa proponatur evidenter creditibilis, ex omnibus signis, & motivis, ex quibus resultat evidens creditibilitas. In prima resolutione attingitur authoritas divina, prout constituta ex infinita sapientia, infinitaque veritate, quæ est motivum intrinsecum, & formale ad credenda omnia mysteria revelata. In secunda autem attinguntur præfata signa, non tanquam motivum intrinsecum formale, & ultimatum credendi; sed tanquam motivum iudicij creditibilitatis objecti fidei; quo supposito iudicio, intellectus fidelis, ac persuasus, talia esse à Deo revelata, totum se convertit in ipsius Dei veracitatem, ac propter istam unicè per actum fidei su-

pernaturalis assentitur mysterijs veræ fidei.

19. Ex quo sequitur; quod talia motiva prudentis credibilitatis, & si explicitur, ut præmissæ respectu assensus revelationis, aut respectu talis assensus; si est assensus fidei divinæ, non habent rationem motivi; sed tantum conditionis effectivæ, essentialiter exigitæ à tali assensu. Verum respectu assensus fidei humanæ, quo etiam creditur existentia revelationis, habent rationem motivi adæquati prædicta motiva prudentis credibilitatis. Itaque hic datur duplex assensus; alter, quo judicatur, revelationem esse evidenter credibilem, & alter, quo creditur, revelationem existere. Primus, adæquatè movetur à fundamentis, notis, & signis, quibus mysteria nostræ fidei, nostræque Romanæ Ecclesiæ sunt credibilia. Secundus, adæquatè movetur ab autoritate divina, modo, quo hic assensus fidei divinæ, quo creditur, Benedictum XIV. esse verum Pontificem, supponit essentialiter alium assensum, quo creditur, ipsum fuisse ritè electum: Hic ultimus assensus electionis ritè, adæquatè movetur ab autoritate humana Ecclesiæ, condecorata præfatis signis, illom pacifice acceptantis in verum

Papam: sed talis assensus, & prædicta signa se habent præcisè extrinsecè respectu assensus fidei divinæ, quo creditur, præcisè ex motivo authoritatis divinæ, Benedictum XIV. esse verum Papam.

20. Veniamus igitur ad circulum. Quare credimus, Deum v. g. esse Trinum? Quia ita Deus dixit, seu revelavit. Quare credimus, hoc Deum dixisse, seu revelasse? Quia Ecclesia hoc asserit, cuius propositio est infallibilis. Quare credimus, quod Ecclesiæ propositio est infallibilis? Hic recurrentum est ad divinam autoritatem Dei, qui titulo Gubernatoris universi tenetur, non permittere, quod ab Ecclesia Catholica, talibus signis, & notis decorata, proponatur, ut evidenter credibilis, doctrina falsa, vel revelatio falsa, seu fabulosum dogma. Sic vitamus circulum. Vel aliter sic: Cùr credimus mysteria nostræ Romanæ Religionis? Resp. quia Deus illa revelavit. Si rursus quæras: Cùr credam Deo revealanti? R. quia Deus est infinita veracitatis, infinitæque sapientiæ; & propter infinitam veritatem, non potest fallere; & propter infinitam sapientiam, non potest falli. Et hic datur status in assignanda ratione fidei divinæ supernatu-

ralis à priori. Si autem rursus queratur: cùr credam, Deum hoc revelasse? Jam non queritur ratio à priori; sed petitur ratio à posteriori, seu quoad nos, & debemus respondere per predicta motiva prudentis credibilitatis, quibus condecorata est nostra Romana Ecclesia, tám absolute, quām comparativè; idest, quod inter omnes est sola prudenter creditibilis, ita ut certas obruat, & prolsus incertibiles reddat, quin ullum opiniandi, neque ambigendi relinquit locum.

21 Aliter nost. Macedo sic vitat circulationem: Scriptura (inquit) & Ecclesia, quanvis sint duæ res, una tamen est in illis ratio authoritatis; non tamquam in causis, sed tamquam in subjectis: itaque, non creditur unum propter aliud; sed utrumque creditur propter unum, & idem motivum. Rem declaro: quando credo Scripturæ dicenti; ratio credendi est authoritas Dei revelantis, prout contenta in Scripturis: & quando credo Ecclesiæ dicenti; ratio credendi est ipsam etiam authoritas divina revelans, prout expressa in Ecclesia proponente. Itaque, quanvis sint duæ personæ loquentes Scriptura, & Ecclesia; una tamen vox est utriusque: sicut

sunt una vox omnium Prophetarum, Apostolorum, & Evangelistarum. Unde, si quis mihi roget: cùr credis, Christum esse Deum, & hominem? Respond. quia Deus revelavit. Et cùr credis, Deum id revelasse? Resp. Cb eamdem Dei revelationem. Quare omnis ratio credendi est authoritas Dei, in quam omnia fidei mysteria resolvuntur. Quod si contingat, objecta credita esse causas, & effectus; non ideo tamen in credendo sunt effectus, & causa: quanvis enim Christus ex eo, quod sit homo, constet corpore, & anima rationali; non tamen credo, habuisse animam, quia homo est; sed quia Deus revelavit: alias non esset assensus fidei divinæ. Hæc igitur responsio si bené perpendatur, optima est. Et licet prudenti, & humano modo attendamus ad signa, quibus nostra Religio prudenter, & humano modo creditur à nobis, ut vera; tamen quæ dicit Ecclesia, credimus fide divina propter authoritatem Dei: sicut credimus, quæ dixerunt Prophetæ, & Evangelistæ: Et sicut in illis est authoritas divina, ita in hoc sensu authoritas Ecclesiæ est etiam authoritas divina; quia quæ nobis proponit Ecclesia, credimus propter authoritatem divinam.

22 Inquires: *An vera Ecclesia probanda sit ex Scriptura, vel è contra?* Respond. Admittentibus Scripturam, non verò Ecclesiam, est Ecclesia probanda per Scripturam, quæ fuit praxis Augustini contra Donatistas, qui Scripturas divinas admitterebant, & veram Christi Ecclesiam negabant, assererentque in toto Orbe perijisse, & solum remansisse in Africa in parte Donati; sic lib. de Unit. Eccles. cap. 3. ait: *Sunt certè libri divini, quorum autoritati utrique consentimus, utrique credimus, utrique servimus, ibi queramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram.* Illis verò qui Ecclesiam profitentur, per hanc probanda est vera Scriptura, prout idem Augustinus egit adversus Manichæos, qui plerasque Scripturas non recipiebant, & à Deo esse negabant. Ita lib. 1. cont. Epist. fundament. cap. 5. inquit: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret autoritas.* Hic loquitur August. de inductione per autoritatem Ecclesiae ad credendum Evangelio propter autoritatem Dei; alias fide divina non crederet.

23 Quod, si neque Ecclesia, neque Scriptura sit alicui creditibilis, & credenda: pri-

mum probanda erit Ecclesia per motiva credibilitatis, quæ evidenter suadent, Ecclesiam esse à Deo revelatam, & fundatam, adeo ut imprudentissime quis eam neget. Ex Apostolorum etiam Symbolo potest Ecclesia, eam non credentibus, & illud fatentibus, probari; nam in eo articulus credendus proponitur: *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam.* De Symbolo agit idem Augustinus, lib. de Fide, & Symbolo, cap. 10. & cap. 1. dixit: *Est Catholicæ fides in Symbolo, nota fidelibus, memoriaque mandata, quanta pressa est brevitate Sermonis.* Illud autem ab Apostolis editum esse traditione constat.

24 Hoc idem docet P. Beccani, & ex ipso jam fusiùs Mathæus docuerat controv. 3. cap. 3. ubi advertit, quod circulus virtiosus tunc committitur, quando unum per aliud, & hoc per illud probatur apud eum, qui neutrum concedit, & de utroque æquè dubius est. Unde, si quis neget, & matrem, & filium esse probos; circulum committo, probando ei, matrem esse probam, quia filius dicit; & filium probum, quia dicit mater; ratio est, quia utrumque est illi ignotum, & incertum; & probatio debet procedere à notis ad ignota, vel a concessis ad non concessa,

ut ex Aristotel. manifestum. Hinc colligitur, circulum fore, si Catholicus apud Ethnicum, qui nec Ecclesiam, nec Scripturam admittit, probaret, Scripturam esse infallibilem, quia Ecclesia dicit; & Ecclesiam infallibilem, quia Scriptura dicit: nam utrumque illi æquè ignotum, atque incertum est. E contrario, non est circulus, si unum per alterum probatur apud illum, qui alterum admittit, alterum negat: v. g. Calvinista admittit Scripturam; negat verò Traditiones, & Ecclesiæ infallibilitatem. Rechè ergo, & sine circulo arguitur illi, dicendo: Scriptura, quam tu admittis, dicit, dari Traditiones, & Ecclesiam esse infallibilem: g. revera, & Ecclesia est infallibilis, & Traditiones dantur. Antecedens probatur ex 2. ad Thessal. 2. 14. *Tenete Traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Et 1. Cor. 11. *Fratres, qui non ambulant secundum Traditiones, quas acciperunt ab Apostolis.* 1. ad Timoth. 3. *Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis.* Lucae 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* Et similia: ergo &c.

25 Modus isti probandi est

usitatus in Scripturis, & Patribus. Pharisei admittebant Moysem, & negabant Christum. Convincit eos Christus his verbis Joann. 5. 36. *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi; de me enim ille scripsit.* Contra, Manichæi admittebant Christum, & Evangelium: negabant Moysem, & Prophetas: convincit eos Augustinus simili argumentandi modo in lib. contra Faustum Manichæum; & lib. 1. de Morib. Ecclesiæ Catholicae cap. 1. & sequentib. quia non semel Christus, & Evangelium adducunt Moysem, & Prophetas. Idem nos facimus: nam rudes Catholicos, qui dubitante de aliqua Scripturæ parte, convincimus per autoritatem Ecclesiæ, cui se submittunt: hæreticos verò, qui negant infallibilitatem Ecclesiæ, & Traditiones, convincimus ex Scripturis, quias non negant: & sic nullum commitimus circulum.

26 Hæretici autem non possunt excusari a circulo vitioso, quando probant Scripturam per suum privatum spiritum; & suum privatum spiritum per Scripturam: probant enim illud Joann. 10. 27. *Oves meæ vocem meam audient, esse Verbum Dei,* quia ita illis dicitat (inquiunt) suus privatus spiritus; & probant hunc privatum spiritum esse bonum per illud,

illud: *Oves meæ vocem m̄am audiunt.* Sed formemus hunc syllogismum: *Oves Christi audiunt vocem sui Pastoris:* sed heretici sunt oves Christi: g. heretici audiunt vocem sui Pastoris. Major est vera; sed minorem unde, & quando probabunt? Nos dicimus illos omnes esse hædos, & non oves: quomodo nobis probabunt, esse oves? quia audiunt verbum Christi. Et quomodo probabunt, se audire, & intelligere verbum Christi? quia sunt oves, & non hædi. En circulum vitiosum, in quo semper laborant, & obrerant. Spiritus illorum est spiritus erroris: *Spiritus autem* (non hujus, aut illius privati, sed publicus Ecclesie) *manifestè dicit,* quia in novissimis temporibus (in quibus sumus) discedent quidam à fide (omnes heretici discesserunt ab unitate fidei, quam habebant cum Romana Ecclesia) stendentes spiritibus erroris; inquit Paulus i. ad Timoth. 4. Et D. Aug. in Psalm. 139. n. 13. ad illa verba: *Caput circuitus eorum:* quid est circuitus eorum? ut circumneant, & non stent, in gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine. Qui enim in longum pergit, aliunde incipit, aliunde finit: qui in gyro it, nunquam finit. Ipse est labor impotens: *In circuitu impij ambulant:* g. privatius

*hæreticorum Spiritus, Spiritus
erroris est.*

DUBIUM LATERALE.

27 Inquires : De quo
Psalterio loquitur
Seraph. Nost. Parenſ., dum in
cap. 3. Reg. ait : Clerici faciant
Divinum Officium secundum
ordinem S. Romanae Ecclesiæ,
excepto Psalterio , ex quo (idest
Divino Officio) habere pote-
rerunt Breviaria ? Respondent
communiter Seraphicæ Regulæ
Expositores, quod loquitur de
Psalterio Gallico , seu secun-
dum 70. Interpret. quo tunc
temporis utebatur Ecclesia Ro-
mana.

28 Sed, salva illorum reverentia, credo quod hoc non est verum; tum, quia vel ille liber Psalm. 70. Interpret. erat consonus cum libro Psalmorum antiquæ Latinae Vulgatae; vel non? Si sic, cur exemit ab illo Seraphic. Patens fratres suos? Nulla estratio. Si non erat consonus, sed dissonus libro Psalmor. antiquæ Latinae vulgatae: ergo non erat liber Canonicus, nec psalmi authenticí, nec à Deo revelati: g. runc temporis defecit, & erravit Ecclesia Romana in materia Religionis, & morum, quod est hereticum, ut supra diximi.

29 Deinde, Sacrosanctum
Tri-

Trident. Concilium sess. 4. Decreto de Canonicis Scripturis, postquam recenset omnes libros Canonicos, inter quos ponit *Psalterium Davidicum*. 150. *Psalm.* concludit: *Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in Veteri Vulgata latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non susceperebit, &c. Anathema sit.* Insuper, Decreto sequenti de Editione, & usu Sacrorum librorum, inquit: *Statuit, & declarat (Sacrosancta Synodus) ut hæc ipsa Vetera, & Vulgata Editio, quæ longo tot Sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, &c.* Ergo non est verum, quod Ecclesia Romana, quæ semper fuit, est, & erit vera Christi Ecclesia, adversus quam *portæ inferi non prævalebunt*, usâ fuerit aliquando alio libro Psalmorum, disono, & non consono cum libro Psalmorum Davidico, qui nunc est in latina antiqua Vulgata.

30. Præterea, Seraphicus noster Patens in cap. i. Regulæ promittit obedientiam Ecclesie Romane. Quomodo ergo cuin hac promissa obedientia, & reverentia Ecclesie Romane, poterat stare, se, & suos eximere à Psalterio, quo ipsa Romana Ecclesia utebatur? Non igitur

bene cohæret. Quid ergo dicimus ad principale dubium?

31 Dico sine assertione, & sine præjudicio sententia melioris, (si ita sit opposita, quod non capio) quod exceptio Seraph. Parentis non cadit super materiam Divini Officij, sed super Ordinem Sanctæ Romanae Ecclesie; per quem ordinem intelligunt Regulæ Expositores Ritus, Cærenonias, Cantum, Organa, Psalteria, & alia Musicalia instrumenta. Unde sensus Seraphici Parentis est: *Suis fratribus præcipere substantiam divini Officij, Rubricas, Cærenonias, & Ritus S. Rom. Ecclesie, excepto Psalterio, seu Organo, (quod idem significat, juxta D. Hieronym.) & alijs instrumentis Musicis, quia talia instrumenta videntur non multum cohærere cum Domina altissima paupertate, quam etiam in nostris Ecclesijs volebat splendescere Seraphic. Patens, nam in suo Testam.* inquit: *Caveant sibi fratres, ut Ecclesijs: quæ pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent, sicut dicit Sanctam paupertatem.* Et Clemens V. in cap. Exivi, §. 13. *Sufficiere debent eis (fratribus Minoribus) vasa, & paramenta Ecclesiastica decentia, superfluitas autem, aut nimia prætiositas, vel quæcumque turio-*

sitas in his, seu alijs quibuscumque, non potest ipsorum professioni, vel statui convenire. Quanto minus Organa, seu Psalteria?

32 Potest hoc confirmari ex repugnancia, quam à principio habuit Religio Seraphica in admissione Organorum; nam in statutis generalibus Barchin. an. Dom. 1621. pag. 17: *Tornamos à renovar lo que està mandado con mucho acuerdo, à cerca del Canto de Organo, por Estatutos antiguos, y modernos, para que no se cante en nuestras Iglesias, y mucho menos fuera de ellas por nuestros Frayles.*

33 Per hoc tamen nollimus intendere, Seraphic. Patriarcham præcepisse, ut Organa non admitterentur; sed solum volumus, quod à præcepto de ordinando Divinum Officium juxta methodum Rom. Ecclesiar. fecit exceptionem circa Organa, & alia musicalia instrumenta; nam sapiunt Thesaurationem, seu copiam, ut de præciositate, & curiositate inquit Clemens V. loc. cit. Unde concludimus, quod nec præcepit Seraphicus Parens, ut Organa admittantur; nec præcepit, quod non admittantur. Videatur Arbiol de Script. Sacra disp. 2. & Matthæuc. controv. 3. cap. 4. n. 17. ubi ait

ex Frassen, & Eminentissim. Lauræa, quod in Romana Ecclesia fuit semper in usu, etiam tempore S. Petri, Editio Vulgata Latina.

QUÆST. II.

*AN SACRA SCRIPTURA
sit obscura?*

1 JAM supra diximus, quod omnes Catholici utimur veteri, ac vulgata versione, quæ jam multis sæculis in Ecclesia viguit, & communis Christianorum consensu recepta est; & quæ per Decretum Concilij Trident. est sola authentica, infallibilis, fide divina certa, & certior alijs omnibus versionibus, quæ per ipsam corrigenda sunt; quia falsa, & erroneæ in quo ab ipsa devient. Illam autem repudiant hæretici, & in ejus locum, non unam, aut duas, sed propè infinitas suis auditoribus obtrudunt: quæ omnes inter se dissident, & ab ipsis etiam adversarijs meritò reprehenduntur. Lutherus in Comment. de novissimis verbis Davidis in præfatione inquit: *Omnino melius effet retinere illam hæc tenus receptam;* & usitatam versionem Bibliorum, quam tot novas versiones cumulari, quibus nihil proficitur, nisi quod dissimili-

tudo, & discrepantia lectio-
num memoriam legentium tur-
bat, & studium remoratur,
ac in multis locis incertio-
rem, quām fuerat, dimit-
tit. Videatur, quanta sit ve-
ritatis virtus, & vis! Et in
lib. Prophetiarum suarum,
qui à Gregorio Waltero Hal-
lense Prædicante collectus est:
Tām multæ nostro tempo-
re sunt versiones Bibliorum,
et paulatim tām multa fu-
ta sint Biblia, quām multi
scioli in hebraica lingua ma-
gistris esse profitebuntur. Et
Rauclinus (alias Capnion) in
hebræas concordancias Rab-
bi Nathan: Multæ translatio-
nes Bibliorum in lucem pro-
deunt, quas melius fuisse non
vatas esse, vel statim interrijs-
se. Omittimus alios, qui simili-
lia habent. Videatur nōst. Ar-
biol. tract. 3. disp. 2. per tot.
& præcipue art. 4.

¶ 2. Quanto fœliciores su-
mus Catholici, qui unam, cer-
tam, constantem, infallibilem,
ac uniformem sequimur edi-
tionem! Et tametsi toto Orbe
diffusi sumus, una tamen lo-
quimur lingua Sacra, & ijsdem
Spiritu S. verbis, ac for-
mulis assueti sumus. Nobis
recte accommodari potest illud
Genesis 11. Erat autem terra
tabij unus, & sermonum eo-
rumdem: ecce unus est popu-

Tom. III.

lus, & unum labium omnibus.
Hæreticis verò convenit illud:
Confundamus linguam eorum,
ut non audiat unusquisque vo-
cem proximi sui. Et rursum:
Vocatum est nomen ejus Babel,
quia ibi confusum est labium
universæ terræ. Uno verbo:
Catholici, & hæretici repre-
sentant duas familias, in qua-
rum altera Pater, & Mater,
Filij, & Filia, servi, & ancil-
lae eodem loquuntur idiomate,
& singuli singulos probe in-
telligunt: In altera tot idio-
mata sunt, quot capita: Ubi
Pater Gallice, Mater Hispanis-
cæ, Filij Latine, Filia Velgi-
cæ, servi Italicæ, ancilla Ger-
manicæ loquuntur: Ubi pos-
centi panem, porrigitur la-
pis; volenti bibere, miscetur
pharmacum, & sic deinceps.

3. De sensibus Sacræ Scrip-
toræ agemus infra tractatu ul-
timo. Nunc autem hæretici
asserunt, Scripturam esse clara-
m, facilem, ac perspicuam,
& ab omnibus posse intelligi;
contra quos, sit

4. Conclusio nostra: Sacra
Scriptura est multis in locis
difficilis intellectu. Hæ con-
clusio est omnium Catholico-
rum contra hæreticos. Proba-
tur; Christus Dominus ad pri-
marios Sacræ Scripturæ inter-
pretes Pharisæos dixit: Erra-
tis non scientes Scripturas;

Zz Marc.

Marc. 12. v. 24. Deinde, D. Petrus in sua Epist. 2. cap. 3. v. 16. de Epistolis D. Pauli facetur, quod in illis sunt quædam difficultia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem: ergo &c.

5 Confirmat. Primo exemplo discipulorum euntium in Emaus, qui non intelligebant Scripturam, nisi Christus interpretaretur (Luc. 22. 27:) Secundo exemplo Eunachi Reginæ Æthiopum, qui rogatus a Philippo, an intelligeret Isaiam Prophetam, quem legebat, respondit: *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Act. 8. 31. Tertio exemplo Apostolorum, qui multa eorum, quæ à Christo dicebantur, non intelligebant, Matth. 16. 11. *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis?* Et Matth. 13. 36. *Accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Et Luc. 18. 34. *Ipsinibil horum intellexerunt.* Quarto consensu omnium Interpretum. Nam si Scriptura esset facilis, quid opus esset tot Interpretibus, tot Commentarijs, tot quæstionibus, & controversijs circa Fidem, ac Religionem? Quinto inductione.

Constat obcurissimam esse Prophetiam Ezechielis de visione quatuor animalium. Constat Prophetiam Danielis de septuag. hebdomadis, & de abominatione desolationis multorum ingenia exercuisse, & adhuc exercere. De qua Christus Matth. 24. v. 15. *Qui legit intelligat.* Constat totam Joannis Apocalypsin plenam esse reconditis mysterijs: &, ut loquitur D. Hieron. in epist. ad Paulin. tot habere sacramenta, quot verba. Constat in reliquo Bibliorum codice multa etiam obscura esse, ac intricata, ut norunt illi, qui legerunt.

6 Ac, ut alios omittam, testes sunt ipsi adversarij, qui in explicando Scriptura sensu, sèpè, ac graviter inter se dissentunt. Nam aliter Lutherani, aliter Calvinistæ interpretantur illud Christi: *Hoc est corpus meum.* Et Sexcenta alia loca. Unde hæc dissensio? Certè, si Scriptura, ut utrique volunt, clara, perspicua, & obvia, unde ergo lites, & contentiones inter ipsos? Quare claram, perspicuam, & obviam interpretationem communis consensu non accipiunt? Hic necesse est, ut vel utrique fateantur sèpè obscuram esse, vel certè, si facilis est, ut Lutherani accusent Calvinistæ,

tas , aut hi illos , quod non
velint amplecti facilem , &
perspicuam interpretationem.

7. Multa objiciunt. Primo
illud Deut. 30. 11. *Manda-
tum hoc quod ego præcipio tibi
hodie , non supra te est , neque
procul possum . Ergo , in-
quiunt , Scriptura est facilis.
Nec opus est , ait Brentius,
montes superare , & ire Romanum
pro interpretatione Scriptura-
rum. Respondeo. Aliud est
querere , an mandatum legis
Mosaicæ (quatenus complec-
titur legem Decalogi , & le-
gem cæmonialem , ac judi-
cialem) sit facile intellectu?
Aliud , an tota Scriptura sit
talis ? De priori non est qua-
stio ; sed de posteriori. Nec ex
priori potest inferri posterius.
Non enim sequitur : Manda-
tum , quod ego præcipio tibi
hodie , clarum , & perspicuum
est : ergo tota Scriptura clara,
& perspicua est. Et tamen sic
argumentatur adversarij , inep-
te sine dubio :*

8. Quod vero ad locum
citatum attinet , sic habet:
*Mandatum hoc , quod ego
præcipio tibi hodie , non supra
te est , neque procul possum ;
nec in Cœlo situm , ut possis
dicere : quis nostrum valet ad
Cœlum ascendere , ut deferat
illad ad nos , & audiamus ,
atque opere compleamus ? Ne-*

*que transmire possum , ut
causeris , & dicas : Quis ex
nobis poterit transfertare ma-
re , & illud ad nos usque de-
ferre , ut possimus audire , &
facere , quod præceptum est?
Sed juxta te est sermo valde in
ore tuo , & in corde tuo , ut
facias illum. Ubi per manda-
tum , ut dixi , intelligit to-
tam legem Mosaicam , quæ
continetur præceptis Decalogi
cæmonialibus , & judiciali-
bus , ut patet ex verbis imme-
diata præcedentibus. Si tamen
audieris vocem Domini Dei
tui , & custodieris præcepta
ejus , & cæmonias , quæ in
haec lege conscripta sunt. Et
clarius ex cap. 7. v. 11. *Cus-
todiri ergo præcepta , & cere-
monias , atque judicia , quæ
ego mando tibi hodie , ut fa-
cias ea. Igitur sensus : Lex Mo-
saica , quam volo vos custo-
dire , non est vobis incognita ,
neque ex remotis regionibus
ad vos deferenda (alioqui pos-
setis vos excusare ab ejus ob-
servatione dicendo , vos nes-
cire , quam legem velim à
vobis custodiri) Sed est in
ore vestro , & in corde ves-
tro , ut faciatis illam. In cor-
de , quia auditis illam à me
proponi , & explicari : in ore ,
quia profecti estis vos eam ser-
vare velle.**

9. Hoc constat ex pacto

quod Deus iniit cum Israelitis Exod. 19. 5. Si audieritis, inquit, vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mibi in peculium de cunctis populis. Eritis mibi in regnum Sacerdotale, & gens sancta ::: Et respondit omnis populus simul: Cuncta, quæ locutus est Deus, faciemus. Hinc non licet argumentari, sicut adversarij argumentantur: Lex Mosaica fuit populo preposita, & populus promisit se illam servaturum: ergo tota Scriptura est clara, & perspicua. Sic tamen licebit: Lex Mosaica est clara: ergo aliqua pars Scripturae est clara; quod non negamus. Quomodo autem sit clara, patebit ex sequenti objectione. Igitur

10. Secundo, objiciunt illud Psalm. 18. 9. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Et Psal. 118. 105. *Lucernæ pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Et infra vers. 130. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.* Ergo Scriptura est clara. Respondeo. Idem David, qui hæc dixit, dixit etiam sequentia Psalm. 118. 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Et infra vers. 34. *Da mibi intellectum, & scrutabor agem tuam.* Et ibi-

dem v. 135. *Faciem tuam illa lumina super seruum tuum, & doce me justificationes tuas.* Ergo Scriptura non est clara. An igitur David sibi ipsi contrarius est? Absit. Ut hoc constet, hæc tria distinguenda sunt. 1. Lex Mosaica est clara, quoad sensum litteralem, quem verba expressè significant. 2. Lex Mosaica non est clara, quoad sensum litteralem, quem verba non expressè, sed tantum implicitè significant. Nec etiam quoad sensum mysticum, quem verba nullo modo significant. 3. Lex Mosaica, quando bene intellecta, & perspecta est quoad omnem sensum, dirigit hominem in suis actionibus, instar lucernæ, vel lumenis, ut clare videre possit, quid ex Dei voluntate agendum sit, & quid omittendum.

11. Exempli rem declarabo. Hæc lex Decalogi, *Non occides,* est quidem clara quoad sensum litteralem, quem verba expressè significant. Nam expressè prohibet externum homicidium, ut omnes satentur. Non tamen est clara, quoad sensum litteralem, quem verba non expressè, sed tantum implicitè significant. Nam per illam legem non tantum expressè prohibetur homicidium; sed etiam implicitè pro-

prohibetur ira , quod non omnes norunt ; & ideo Christus hoc explicat , Matth. 5. 21. *Audisti* , inquit , *quia dictum est antiquis* : *Non occides*. *Qui autem occiderit* , *reus erit iudicio*. *Ego autem dico vobis* (nempe expressé , quod ante dictum est implicite) *quia omnis* , *qui irascitur fratri suo* , *reus erit iudicio*. Quando igitur hæc lex semel hoc modo percepta , & intellecta est , tunc instar luminis dirigit hominem in actionibus suis , ut dixi.

12 Eodem modo hæc lex cæterinalis Exod 12. v. 3. „ Decima die mensis hujus „ tollat unusquisque agnum „ per familias , & domos suas : „ erit autem agnus absque „ macula , &c. Est clara quoad sensum literalem , quem verba expressé significant. Non tamen est clara quoad sensum mysticum , quem verba non significant. Non enim claré ex verbis illius legis colligi potest , quod agnus ille fuerit figura Christi , qui tanquam agnus innocens pro nobis oblatus , & occissus est. Quando igitur lex illa quoad utrumque sensum cognita , & perspecta est , tunc dirigit hominem in sua devotione , & cultu erga Deum.

13 Ex dictis facile expli-

cantur verba Davidis. Quando enim dicit : *Revela oculos meos* , & considerabo mirabilia de lege tua , loquitur de lege Mosaica , non quidem quoad sensum litteralem , quem verba expressé significant ; sed partim quoad sensum litteralem , quem implicitè significant ; partim quoad mysticum , quem nullomodo significant. Perit igitur revelari sibi oculos mentis , ut consideret mirabilia mysteria passionalis , mortis , & resurrectionis Christi , quæ latent in lege Mosaica juxta sensum mysticum. Eodem spectat , cum ait : *Da mihi intellectum* , & scrutabor legem tuam. Item , *Faciem tuam illumina super servum tuum*. Contra , quando dicit : *Lucerna pedibus meis verbum tuum* , & lumen semitis meis ; loquitur de eadem lege Mosaica , quatenus jam cognita , & perspecta est. Sic enim est quasi lucerna , seu lumen , quod nos dirigit , ut sine offensa ambulemus in semitis mandatorum Dei. Quod clare insinuatur illis verbis : *Declaratio sermonum tuorum illuminat*. Non dicit absolute , sermones tui illuminant ; sed declaratio sermonum tuorum. Indigent enim sermones Dei aliqua declaratione , tum quoad sensum litteralem , quem ver-

verba implicitè tantum significant: cum quoad mysticum, quem nullo modo significant.

14 Igitur adversarij nihil aliud possunt colligere ex verbis Davidis, quam quod lex Mosaica, quando declarata, & explicata, & bene intellecta est, illuminet nos in nostris actionibus. Ex quo non sequitur, totam Scripturam claram esse, sed potius, partem Scripturæ, tūm quoad sensum litteralem implicitum, tūm quoad mysticum, obscuram esse, & indigere declaratio-ne. Et ideo cum Davide dicendum: *Da mibi intellectum, & scrutabor legem tuam. Scrutabor, inquam, Mysteria Christi Salvatoris, quæ in lege Mosaica, tanquam in figura adumbrata, & prænuntiata sunt.*

15 Tertio objicitur illud 2. Petri 1. v. 19. „Habemus firmorem propheticum ser-monem, cui bene facitis at-tendentes quasi lucernæ lu-scenti in caliginoso loco. Ecce, inquit, Verbum Dei voca-tur Lucerna lucens. Respon-deo. Miror adversarios ex hoc loco argumentari. Vis argu-menti debet esse hæc: Prophetia veteris Testamenti de Christo sicut clara, & perspicua: ergo tota Scriptura est clara, & perspicua. Nec con-

sequentia valet, nec antece-dens verum est. Non enim se-quitur: Prophetia veteris Tes-tamenti est clara: ergo etiam Prophetia Apocalypticæ est clara. Deinde falsum est ante-cedens, ut ex dictis patet. Nam Isaías prophetavit de Christo cap. 5. v. 7. Et tamen Eunuchus interrogatus à Phi-loppo, an intelligeret Isaías prophetiam, respondit: *Quo-modò possum, si non aliquid ostenderit mihi?* Et similiter duo Discipuli euntes in Emmaus non intellexerunt prophetias de Christo; ideoque necesse fuit, ut ipsem Christus eas in-terpretaretur. Et ratio sumitur ex Apostolo 2. Corinth. 3. v. 14. Quia Prophetæ non lo-quebantur clare de Christo, sed sub velamine. Non enim proponebant Christum, ut in se est, sed quatenus sub exter-nis signis, seu cætemonijs, tanquam sub umbris occulta-bat. Ac proinde Judæi non poterant intelligere Proph-e-tias de Christo ex ipsis pro-petarum verbis, sed debe-bant inquirere, & scrutari sensum mysticum, qui interius latebat. Et hoc sensu dicebat illis Christus Joann. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas.*

16 Nec obstat, quod pro-phetia, seu propheticus ser-mo vocetur *Lucerna lucens.*

Non

Non ideo vocatur Lucerna lucens, quia facile intelligitur; sed quia intellecta illuminat; ut in præcedenti objectione explicatum est. Sicut enim lucerna lucens in caliginoso loco exhibet nobis sufficiens lumen, ut possimus cautè ambulare ne impingamus in lapidem, aut soveam: sic etiam prophetia de Christo, quando lucet in caliginoso nostro corde, idest, quando à nobis intelligitur, exhibet sufficiens lumen, ut possimus credere de Christo, quæ per Prophetas credenda proponuntur. An autem illi, ad quos scribebat Apost. Petrus, intellexerint Prophetias de Christo, disputari potest. Probabile est, aliquos non intellexisse.

1. Quia Apostolus vult illos attendere sermoni Prophetarum, idest, scrutari sensum prophetiarum, non qui immediate significatur per verba, sed qui intus latet sub velamine occultatus.

2. Vult eos tamdiu scrutari, donec intelligent sensum: *Donec*, inquit, *Lumen oriatur in cordibus vestris.*

3. Addit, non posse hoc illos assequi per propriam industria, sed per inspirationem Spiritus-Sancti, seu per orientem Luciferum in eorum cordibus: „Hoc primum (inquit) intelligentes, quod omnis prophetia Scriptura propria interpretatione

„non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu-Sancto, to inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. Quasi dicat: Prophetæ non sunt inspiratae ab homine, sed a Spiritu-Sancto: Ergo sensus illarum non debet peti ab homine, vel ab humana industria; sed a Spiritu-Sancto, cor nostrum illuminante. „Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis Consiliarius ejus fuit? Rom. i. r. v. 34. Neque tamen necesse est, ut singuli immediate illuminentur a Deo, sed sufficit, Apostolos, & Doctores per illuminationem Spiritus-Sancti cognoscere sensum Scripturarum, reliquos ab his discere. „Num quid omnes Doctores? (inquit Apostolus) Nunquid omnes interpretantur? Non. Sed divisiones gratiarum sunt. „Alij datur sermo sapientiarum, alij interpretatio sermonum. 1. Corinth. cap. 12.

17 Quarto objicunt illud 2. Corinth. 4. v. 3. *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui percunt, est opertum: in quibus Deus hujus saeculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelij gloriae Christi. Si (inquiet) Scriptura novi Testamenti infidelibus est operta: Ergo fidelibus non est*

est operta, sed clara. Respondeo: Apostolus nomine Evangelij non intelligit Scripturam novi Testamenti, ut falso supponunt adversarij, sed prædicationem Adventus, Passionis, & Resurrectionis Christi, quæ ab ipso fiebat. Non igitur sensus est Scripturam novi Testamenti claram, & perspicuam esse fidelibus; obscuram, & opertam infidelibus: sed potius, fideles, audita Pauli prædicatione, credere Christum venisse in hunc mundum, & pro nobis passum, ac mortuum esse; infideles propter execrationem mentis non credere. Igitur, opertum esse infidelibus Evangelium, nihil aliud est, quam infideles non velle credere Evangelio. Hoc sensu opertum erat illis, de quibus idem Apostolus. *Corinth. I. v. 23. Nos prædicamus Christum Crucifixum, Judais quidem scandalum, Gentibus autem stultiam.* Certe prædicatio Pauli, quæ palam dicebat, Christum pro nobis crucifixum esse, non erat obscura, sed clara. Nihi lominus nec omnes Judæi volebant credere, nec omnes gentiles. Hinc patet, non valere hanc consequentiam: Fideles credunt Christum crucifixum esse, infideles non credunt: Ergo Scriptura fidelibus clara, infidelibus obscura est. Immo fie-

ri potest, ut aliqui fideles, qui credunt in Christum, non intelligant Scripturam, & fateantur sibi difficultem, ac obscuram esse: & vicissim aliqui infideles intelligant quidem Evangelium, sed non credant, vera esse, quæ in eo scribuntur: si-
c ut nos intelligimus fabulas Aëlopi, sed non credimus vera esse, quæ in ijs scripta sunt.

QUEST. III.

QUÆ SIT CAUSA OBSCURITATIS Scripturæ.

Conclusio nostra: Due sunt præcipuae cause obscuritatis Sacrae Scripturæ. Prima est, ex parte rerum, quæ tractantur in Scriptura. Altera est, ex parte modi, quo tractantur. Res, quæ tractantur, sunt fere quadruplices. Primo, Historia, ut patet in Genesi, Exodo, Numeris, Deuteronomio, Josue, Lib. Iudicium, Regum, Paralipomenon, Esdra, Judith, Tobiae, Esther, Job, Machabæorum, itemque in Evangelio, & Actibus Apostolorum. Secundo, Vaticinia, seu prophetiae, quæ in Psalmis, in majoribus, & minoribus Prophetis, & in Apocalypsi Joannis majori ex parte consignatae sunt. Tertio, Mysteria fidei, præser-

tum de Trinitate, Incarnatione, Prædestinatione, fide iustificante, de præsentia Christi in Eucharistia, & de similibus. Quarto, præcepta, & documenta moralia de virtutibus, ac vitijs. Tametsi ergo neque in his, neque in Historijs sit fortasse magna obscuritas ex parte rerum; summa tamen est in Prophetijs & Mysterijs fidei. Hæc enim superant humanum captum, & intelligentiam. Neque percipiuntur à nobis, nisi in ænigmate, ut loquitur Apost. 1.Cor. 13. v. 12. cum ait: *Videmus nunc per speculum in ænigmatè, tunc autem facie ad faciem.*

2. Jam vero modus tractandi sapè obscurus est propter has causas. Primo; quia in Scriptura multæ sunt locutiones figuratae. Sunt enim frequentes tropi, schemata, hyperbolæ, metaphoræ, allegoriae, parabolæ, quibus, tanquam in volucris, multæ veritates occultantur, quæ lectori non statim innotescunt. Auger hanc obscuritatem, quod aliquando unum, idemque vocabulum nunc proprie, nunc figuratè usetur in eadem sententia: v.g. Joann.4. v. 13. *Qui bibit ex aqua haec sicut iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sicut in æternum.* Ubi bibere, & sicut, in

Tom.III.

priori parte sententia sumitur corporaliter; in posteriori spiritualiter. Item in eodem cap. v. 35. *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: levate oculos vestros, & vide te regiones, quia alba jam sunt ad messem.* Hic etiam nomen messis primo proprie, deinde figuratè accipitur. Item cap. 9. 39. *Et dixit Jesus: in iudicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant: & qui vident, cæci fiant.* Prior pars intelligitur de visu corporali; posterior de spirituali. Item 2.Corinth.5. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Ubi peccatum priori loco sumitur propriè pro peccato; posteriori figurate pro hostia, quæ offeratur pro peccato. Nam sensus est, Deum voluisse, ut Christus, qui non peccaverat, esset hostia pro peccato totius humani generis. Vide Augustinum lib.2. de Consensu Evangelistarum, cap.10.

3. Secundo, non solum occurunt figuræ in vocibus, & dictionibus, ut jam ostendi, sed etiam in rebus ipsis. Nam una res sapè est figurata, vel typus alterius rei per illam significatæ. Quo pacto agnus paschalis fuit figura Christi; mare rubrum Baptismi; Man-

Aaa

na

na Eucharistia; Mons Sion Ecclesia. Et sic de ceteris. Hinc triplex oritur obscuritas.

4. Prima; quia non statim constat, quae res, & coquus rei figura sit: v. g. non constaret, Agar ancillam Abramam fuisse figuram Synagogæ, & Sarah uxorem Abramam fuisse figuram Ecclesiæ, nisi Apostolus ex peculiari instinctu Spiritus Sancti id explicasset. (ad Gal. 4. v. 24.) Similiter non constaret, virginem vigilantem, quam vidit Jeremias, significasse celerem executionem divinæ sententiae contra Judæos, & Gentiles, Jerem. 1. v. 11. Et ollam succensam fuisse typum adventus Nabuchodonosoris, Jerem. 1. v. 13. Et per Jeremiam prohbitum ducere uxorem præfiguratam fuisse imminentem Judææ vastitatem. Jerem. 16. 2. Et per calicem furoris Domini, potentiam, & fuorem Regis Babyloniae, Jerem. 25. v. 15. Et per lumbare computræscens interitum populi in captivitate, Jerem. 13. v. 7. Et per lagunculam implendam vino, habitatores Jerusalem inebriandos vino furoris Domini, Jerem. cap. 13. v. 12. Et per duos calathos sicut optimarum, & pessimarum, duo genera hominum, quorum alij fælices erant, qui transmigrabant cum Rege; alij miseri, qui rema-

nebant Jerozolymis, Jerem. 24. v. 2. Et per latum in manu fæguli, populum Judaorum in manu Dei, Jerem. 18. v. 6. Et per catenas, & vincula Jeremias, captivitatem variarum gentium, Jerem. 27. v. 2. Et per confraktionem lagunculæ testæ, confraktionem populi, & Civitatis Jerusalæ, Jerem. 19. v. 10. Et per quatuor bestias, quatuor regna, seu Imperia, Dan. 7. v. 3. Et per Arietem, Regem Medorum, ac Persarum. Per Hirum Règem Græcorum, Dan. 8. v. 20. Hæc, inquam, & similia non constarent, nisi signatim à Deo essent explicata. Et postquam explicata sunt, vix adhuc intelliguntur sine interprete.

5. Altera; quia una res aliquando est figura rerum diversarum, etiam repugnantium. Sic Jonas fuit typus Christi, Matth. 12. v. 40. *Sicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Item Jonas fuit typus populi Judæorum, qui Christo erant contrarij. Nam sicut Jonas dolebat de penitentia Ninivitarum, (Jonas 4. 1.) ita Judæi postea doloruerunt de vocatione gentium, (Aug. Epist. 49. quæst. 6.) Quod dixi de Jona, dicendum quoque

que est de diluvio , de petra, de similibus. Nam diluvium, ex una parte, fuit figura baptismi fidelium : ex altera, supplicij infidelium. (Augustinus Epist. 99. ad Eudionum) Et petra , qui Christus est, fuit prereunitibus lapis offensionis , & scandali : credentibus vero, in caput anguli : 1. Petri 2. v. 8. Et Rom. 9. v. 33.

6 Postrema ; qua aliquando sit, ut res aliqua , quæ est figura alterius , repræsentet illam in uno , & omnino dissimilis sit in alio. Quo pacto feminina fornicaria, quam Oseas Propheta Iesus est accipere in uxorem , fuit typus Synagogæ: quam quidem in eo repræsentabat , quod sicut ipsa commiserat fornicationem carnalem ; ita Synagoga spiritualem , quæ in cultu idolorum consistit. At in eo discrepabat, quod ipsa , postquam Oseas nupserat , non rediit ad carnalem fornicationem ; ut multi prebabiliter putant. Synagoga vero, postquam Deo fuerat reconciliata , iterum in idolatriam lapsa est.

7 Tertio , sapè in Scriptura occurunt apparentes contradictiones, quæ Lectori magnam pariont difficultatem. Aliquas ex ijs recensebo. Dicit Moyses , Deum creasse Cœlum , & Terram sex diebus , &

septimo die acqueuisse , Gen. 1. & 2. At contra Ecclesiasticus cap. 18. 1. dicit : *Qui vivit in æternum , creavit omnia simul.* Item Moyses refert filios Israel in Ægypto fuisse annis quadringentis , Gen. 15. v. 13. Quod etiam repetit Stephanus, Actor. 7. v. 6. At contra Apostolus ait fuisse annis quadringentis , & triginta, Galat. 3. 17. Item Genes. 32. 30. dicit Jacob Patriarcha : *Vidi Deum facie ad faciem , & salva facta est anima mea.* At contra Joann. 1. cap. 18: *Deum nemo vidit unquam.* Item Exod. 20. v. 5. dicitur : *Ego sum Dominus Deus tuus , visitans iniquitatem Patrum in Filiis , in tertiam , & quartam generationem.* At contra Ezech. 18. 20. *Filus non portavit iniquitatem Patris.* Item Exod. 20. 12: *Honora Patrem tuum , & Matrem tuam.* At contra , Luc. 14. 26: *Qui non odit Patrem suum , & Mitem , non potest meus esse Discipulus.* Item Deut. 6. 13: „ Dominam Deum tuum tibi , ac per nomen illius „ jurabis. At contra , Matth. 5. 34: „ Ego autem dico vobis , „ non jurare omnino. Iech. 1. Reg. 15. 11: „ Peccatum meum „ quod constituerim Saul Regem. At contra , Rom. 11. 29: „ Sine poenitentia sunt do-

„na, & vocatio Dei. Item, 3.
 Reg. 8. 9: „ In arca non erat
 „ aliud , nisi duæ tabulæ lapi-
 „ deæ , quas posuerat in ea
 „ Moyses in Horeb. At contra,
 Heb. 9. 4: „ In arca erat
 „ urna habens manna , & vir-
 „ ga Aaron , quæ fronduerat ,
 „ & tabula testamenti. Item
 Psal. 1. 5: „ Non resurgent
 „ impij in judicio. At contra,
 1. Corinth. 15. 51: „ Omnes
 „ quidem resurgemus; sed non
 „ omnes immutabimur. Item ,
 Psalm. 61. v. 12: „ Semel lo-
 „ cutus est Deus. At contra ,
 Hebr. 11: „ Multifariam, mul-
 „ tisque modis olim Deus lo-
 „ quens Patribus in Prophe-
 „ tis , novissimè diebus istis
 „ locutus est nobis in filio.
 Item Psalm. 115. 2: „ Omnis
 „ homo mendax. At contra ,
 Apocal. 14. 5: „ In ore eorum
 „ non est inventum menda-
 „ cium. Item , Prov. 6. 6: „ Va-
 „ de ad formicam , o piger , &
 „ disce sapientiam , quæ parat
 „ in æstate cibum suum , &
 „ congregat in messe , quod
 „ comedat. At contra , Matth.
 6. 34: „ Nolite solliciti esse in
 „ crastinum. Item , Prov. 22.
 28: „ Ne transgrediaris termi-
 „ nos antiquos , quos possue-
 „ runt Patres tui. At contra ,
 Ezech. cap. 20. v. 18: „ In præ-
 „ ceptis Patrium vestrorum no-
 „ lite incedere , nec judicia

„ eorum custodiatis. Item ,
 Prov. 26. 4: „ Ne respondeas
 „ stulto juxta stultitiam suam ,
 „ ne efficiaris ei similis. At
 contra , ibidem : „ Responde
 „ stulto juxta stultitiam suam ,
 „ ne sibi sapiens esse videatur.
 Item , Sapient. 11. 25: „ Dili-
 „ gis omnia , quæ sunt , & ni-
 „ hil odisti eorum , quæ fecisti.
 At contra , Rom. 9. 13: „ Ja-
 „ cob dilexi , Esau autem odio
 „ habui. Item Sapient. 1. 13:
 „ Deus mortem non fecit. At
 contra , Eccles. 11. v. 14: „ Bo-
 „ na , & mala , vita , & mors ;
 „ paupertas , & honestas à Deo
 „ sunt. Item Eccles. 10. 15:
 „ Initium omnis peccati est
 „ superbia. Ad contra , 1. Ti-
 moth. 6. 10: „ Radix omnium
 „ malorum est cupiditas. Item ,
 Eccles. 12. 6: „ Benefac humili-
 „ li , & non dederis impiο:
 „ prohibe panes illi dari. At
 contra , Luc. 6. 30: „ Omni
 „ potenti te tribue. Item , Ec-
 cles. 24. 28: „ Qui edunt me ,
 „ adhuc essurient , & qui bi-
 „ bunt me , adhuc sitient. At
 contra , Joann. 4. 13: „ Qui
 „ biberit ex aqua , quam ego
 „ dabo ei , non sitiet in ater-
 „ num. Item , Jonæ 3. 4: „ Ad-
 „ huc quadraginta dies , &
 „ Ninive subvertetur. At con-
 „ tra , Jonæ 4. 11: „ Ego par-
 „ cam Ninive Civitati mag-
 „ na. Item Matth. 10. v. 8:
 „ Gra-

„Gratis accepistis, gratis da-
„te. Ad contra, Luc. 10. 7:
„Dignus est Operarius mer-
„cede sua. Item Matth. 10.
10: „Nihil tuleritis in via,
„non peram, neque calcea-
„menta, neque virgam. At
„contra, Marci 6. 8. „Et
„præcepit eis, ne quid tolle-
„rent in via, nisi virgam tan-
„tum. Item Matth. 27. 1:
„Post dies sex assumpit Je-
„sus Petrum, & Jacobum, &
„Joannem. At contra, Luc. 9.
28: „Factum est autem post
„hæc verba, fere dies octo,
„& assumpit Petrum, &c.
Item, Matth. cap. 18. v. 15:
„Si peccaverit in te frater
„tuus, corripe eum inter te,
„& ipsum solum. At contra,
1. Timoth. 5. 20: „Peccantes
„coram omnibus argue, ut
„cæteri timorem habeant.
Item, Marci 10. 19: „Nemo
„bonus, nisi unus Deus. At
contra, Luc. 6. 45: „Bonus
„homo de bono thesauro cor-
„dis sui profert bonum. Item
Marci 16. 15: „Prædictate
„Evangelium omni creaturæ.
At contra, Matth. 10. 5: „In
„viam gentium ne abjeritis,
„& in Civitates Samaritano-
„rum ne intraveritis, sed ite
„ad oves, quæ perierunt do-
„minus Israel. Item Luc. cap.
22. v. 18: „Vos estis, qui
„permansistis mecum in ten-

„rationibus meis. At contra,
Matth. 26. 31: „Omnes vos
„scandalum patiemini in me.
Item, Joann. 5. 31: „Si ego
„testimonium perhibeo de me
„ipso, testimonium meum
„non est verum. At contra,
Joann. 8. 14: „Et si ego testi-
„monium perhibeo de me ip-
„so, verum est testimonium
„meum. Item, Joann. 5. 34:
„Ego testimonium ab homi-
„ne non accipio. At contra,
Joann. 15. 27: „Et vos testi-
„monium perhibetis de me.
Item, Joann. 6. 55: „Qui
„manducat meam carnem, &
„& bibit meum sanguinem,
„habet vitam æternam. At
contra, ibidem: „Spiritus est,
„qui vivificat, caro non pro-
„dest quidquam. Item, Joann.
15. 15: „Omnia quæcumque
„audivi à Patre meo, nota-
„feci vobis. At contra, Joann.
cap. 16. v. 12: „Adhuc mul-
„ta habeo vobis dicere. Item,
Joann. 20. v. 1: „Maria Mag-
„dalena venit ad monumen-
„tum, cum adhuc tenebrae
„essent. At contra, Marc. 16.
2: „Venit ad monumentum
„orto jam sole. Item, Rom. 2.
25: „Circumcisio quidem pro-
„dest, si legem observes. At
contra, Gal. 5. 2: „Si circum-
„cidamini, Christus vobis
„nihil proderit. Item, Rom. 3.
28: „Arbitramur justificati

„ hominem per fidem sine
„ operibus. At contra, Jacob
2. 20: „ Fides sine operibus
„ mortua est. Et ibidem: „ Vi-
„ detis quoniam ex operibus
„ justificatur homo, & non ex
„ fide tantum. Item, Rom. 9.
19: „ Voluntati ejus quis re-
„ sistit? At contra, Actor. 7.
51: „ Vos semper Spiritui
„ Sancto resistitis, sicut, &
„ Patres vestri. Item Rom. 11.
34: „ Quis cognovit sensum
„ Domini? At contra, 1. Corin-
th. 2. 16: „ Nos autem sen-
„ sum Christi habemus. Item;
1. Corinth. 13. 3: „ Si distri-
„ buero in cibos pauperum,
„ omnes facultates meas, cha-
„ ritatem autem non habuero,
„ nihil mihi prodest. At con-
tra, Luc. 11. 41: „ Date cle-
„ mosynam, & ecce omnia
„ munda sunt vobis. Item,
Galat. 1. 10: „ An quidam ho-
„ minibus placere? Si adhuc
„ hominibus placerem, Christi
„ servus non esset. At contra,
1. Corinth. 10. 33: „ Sine
„ offensione estote, sicut & ego
„ per omnia omnibus placebo.
Item Galat. 6. v. 2: „ Alter al-
„ terius onera portate. At
contra, ibidem v. 5: „ Unus
„ quisque onus suum portabit.
Item, 1. Timoth. 6. 16: „ Deus
„ inhabitat lucem inaccessibili-
„ lem. At contra, Psal. 33. 6.
„ Accedite ad eum, & illumi-

„ chamin. Item, 1. Joann. 1. 18:
„ Si dixerimus, quoniam pec-
„ catum non habemus, ipsi
„ nos seducimus. At contra,
1. Joann. 3. 9: „ Omnis, qui
„ natus est ex Deo, peccatum
„ non facit.

18. Hæ, & similes apparen-
tes contradictiones, quæ pas-
sim in Scriptura occurruunt,
sæpè remorantur lectorem, &
negotium facessunt etiam viris
dottiissimis. Testantur hoc an-
tiqui Patres, qui in hujusmo-
di contradictionibus concili-
liandis multum opera posse-
runt, ut Augustinus in libris
de Confessu Evangelistarum,
& alij præterea, qui Scriptu-
ram interpretati sunt. Quorum
labores, si ad nos non
pervenissent in magnis adhuc
tenebris versaremur.

9. Quarto. Verba Scrip-
turæ sæpè efficiunt ambiguum
sensum ex defectu distinctio-
nis. Nam aliquando, ubi dis-
tinctio opus est, nulla ad-
hibetur distinctio. Quod sit in
his fere casibus. 1. Quando agitur de Deo. 2. Quando de
Christo. 3. Quando de adven-
tu Christi. 4. Quando de Ec-
clesia. Nam in Deo spectari
potest, vel unitas essentiæ, vel
Trinitas personarum. In Chris-
to, vel humana natura, vel
divina. Adventus Christi du-
plex est: prior in nativitate;

posterior in die judicij. Ecclesia similiter, vel militans est in terra, vel triumphans in Cœlo. Cum ergo Scriptura loquitur, vel de Deo, vel de Christo, vel de adventu Christi, vel de Ecclesia sàpè dubium, & obscurum est, quo sensu de illis loquatur: An scilicet de Deo, quatenus est unus in essentia; an quatenus est trinus in personis? An de Christo, qua Deus; an qua homo est? An de primo ipsis ad ventu; an de secundo? An de Ecclesia Militante; an de Triumphantē? De singulis dabo exemplum.

10 De Deo loquitur Scriptura, Matth. 6. 9. *Pater noster, qui es in Cælis.* Dubium est; an loquatur de Deo quoad unitatem essentiae, an quoad distinctionem personarum? Vel ut proponunt Scholastici: An nomen Patris sumatur ibi essentialiter, quatenus est commune tribus personis? An personaliter, quatenus convenit soli personæ primæ? In utramque partem Authores sunt. Verisimilius tamen est, sumi essentialiter. Quod ex verbis illis Christi colligi potest Joann. 20. v. 17. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Ubi utroque modo sumitur. Nam Pater Christi, quoad æternam gene-

rationem, est prima persona divina, quatenus distinguitur à Filio, & Spiritu-Sancto. Noster autem Pater, quoad creationem, gubernationem, & adoptionem, est tota Trinitas, quatenus est unus Deus. Itaque cum ait; *Ascendo ad Patrem meum,* loquitur de sola persona prima. Cum addit, *Et Patrem vestrum,* loquitur de tribus personis, quatenus sunt unum in essentia.

11 De Christo fit mentio Coloss. 1. 15., Qui est Imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: Et ipse est capitulum corporis Ecclesie, pri mogenitus ex mortuis, &c. Hic etiam dubium est. An hæc intelligi debeant de Christo secundum divinitatem, an secundum humanitatem? Multi volunt, aliqua priori, alia posteriori modo intelligi optere. Quibus assentior. Nam Christus secundum divinitatem est imago Dei Patris. Et per ipsum, ac in ipso creata sunt omnia. At secundum humanitatem est caput Ecclesie, & primogenitus ex mortuis. Utroque sensu potest dici: *Primogenitus omnis creaturæ;* juxta varias Interpretum explicaciones, ut videre est in commentario illius loci.

12 De Adventu Christi sermo est , Hebr. 1. 6. „ Et „ cum iterum introducit pri- „ mogenitum in orbem tertæ , „ dicit : Adorent eum omnes „ Angeli Dei. Et hic quæstio est ; an sermo sit de primo ad- ventu , qui factus est in Nati- vitate ? An de secundo , qui fiet in die judicij ? Si specte- mus particulam , iterum , vi- detur esse sermo de secundo. Si alias circumstantias , de primo. Videantur Interpretes.

13 De Ecclesia scribit Apostolus ad Galat. 4. 26. „ Illa autem , quæ sursum est „ Jerusalēm , libera est , quæ „ est mater nostra. Scriptum „ est enim : Lætare sterilis , „ quæ non paris : erumpere , & „ clama , quæ non parturis , „ quia multi filij desertaæ , mai- „ gis quam ejus , quæ habet „ virum. At difficultas est ; an loquatur de Ecclesia Militante , an Triumphantē ? Quæ difficultas habet etiam alibi locum , ut Hebr. 12. 22. „ Ac- „ cēdatis ad montem , & civi- „ tatem Dei viventis , Jeru- „ salem cœlestem , & Ec- „ clesiam primitivorum. Et Ephes. 5. 25. „ Christus „ dilexit Ecclesiam , & seip- „ sum tradidit pro ea , ut „ illam sanctificaret , mun- „ dans lavacro aquæ in verbo „ vitæ , ut exhiberet ipse sibi

„ gloriosam Ecclesiam , non „ habentem maculam , aut ru- „ gam.

14 Ad hoc genus obscuri- „ tatis potest etiam revocari , „ quod quæ in Scriptura dicun- „ tur de Christo , aliquando in- „ telligantur de capite Ecclesiæ , „ quod est Christus : aliquando de corpore , seu membris Ec- „ clesiæ , quæ sunt fideles : ali- „ quando de utroque , ut notat Aug. lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 3. De capite Ecclesiæ in- „ telligitur illud Matth. 28. 20. „ Ecce ego vobiscum sum omni- „ bus diebus usque ad consum- „ mationem sæculi. Ubi Christus tanquam caput Ecclesiæ , pro- „ mittit Corpori , & membris illius perpetuam suam assis- „ tentiam , protectionem , & gobernationem.

15 De corpore , seu mem- „ bris Ecclesiæ intelligitur illud Actor. 9. 4. Saule , Saule , quid me persequeris ? Non enim Saulus persequebatur perso- „ nam Christi (quia Christus jam erat in Cœlo , ubi eum persequi non poterat) sed dis- „ cipulos Christi , qui erant membra Ecclesiæ .

16 De utroque intelligi- „ tur illud Isaix 61. 10. „ In- „ duit me vestimentis salutis , „ & indumento justitiae circum- „ dedit me , quasi sponsum de- „ coratum corona , & quasi „ spon-

„ sponsam ornatam monili-
„ bus suis. Ubi Christus no-
minatur sponsus, & sponsa,
idest, caput, & corpus. Et
Psal. 2. 2., Astiterunt Reges
„ terræ, & Principes convene-
„ rant in unum adversus Do-
„ minum, & adversus Christum
„ ejus. Quod in capite olim
impletum est, & nunc quotidie
impletur in membris.

17 Quinto, sèpè in Scripturis, ubi minime putam-
mus, subito fit transitus de
sensu litterali ad mysticum, de
carnalibus ad spiritualia, de
temporalibus ad æterna, de
Regibus Israel ad Regem
Christum: & è contrario. Hoc
maxime fit in Psalmis, &
Prophetis, ut videre est cap.
7. Isaïæ, ubi ab historia duo-
rum Regum (quorum alter
erat Rasin Rex Syriae, alter
Phacee Rex Israel) statim fit
transitus ad Beatam Virginem.
*Ecce, inquit, Virgo conce-
pit, & pariet filium, & vo-
cabitur nomen ejus Emmanuel.*
Et cap. 14. ubi à Rege Baby-
lonis fit transitus ad Luciferum.
Et Psalm. 71. ubi à Salomone fit transitus ad Chris-
tum: *Adorabunt eum omnes
R'ges terræ.* Et Joann. 6. ubi
à panibus hordeaceis fit transi-
tus ad panem Eucharisticum,
seu Sacramentalem. Et alibi
sèpè. Vide D. Hieronymum

Tom. III.

lib. 5. in Isaiam cap. 16.

18 Sexto: sèpè in histo-
rijs Scripturæ non servatur or-
do rerum gestarum: & sèpè
supputatio annorum non ap-
paret liquida: denique sèpè
citantur libri, qui quidem si
extarent, multum lucis ad-
ferrent lectori; sed quia non
extant relinquunt ambiguum,
& suspensum. Cujusmodi li-
bri sunt hi: Liber bellorum
Domini, (Num. 21. 14.)
Liber justorum (Josue 10. 13.)
Liber verborum diebus Salo-
monis (3. Reg. 11. 41.) Li-
ber sermonum dierum Regum
Juda, & Regum Israel (3.
Reg. 14. & deinceps) Liber
Samuelis videntis de rebus à
David gestis (1. Paralip. 29.
v. 29.) Liber Nathan Pro-
phetæ de iisdem rebus, ibi-
dem. Volumen Gad. videntis
ibidem. Liber Nathan Pro-
phetæ de rebus à Salomone
gestis, 2. Paralip. 9. 29. Li-
ber Ahia Silonitis de iisdem,
ibidem. Visio Addo Videntis
contra Jeroboam filium Na-
bat, ibidem. Historia Regum
Israel, conscripta à Jehu filio
Hanani, 2. Paralip. 20. 34.
Historia Oziæ Regis conscrip-
ti ab Isaia filio Amos, 2. Pa-
ralip. 26. 22. Sermones Ho-
zai de rebus Manasse, 2. Para-
lip. 33. 19. Lamentatio Jere-
miae in funere Josiæ Regis, 2.

Bbb

Pa-

Paralip. 35. 25. Volumen
Jeremiæ de eversione urbis , &
captivitate populi , Jerem. 36.
6. Liber Jeremiæ de vastatio-
ne Babilonis , Jerem. 51. 60.
Liber dierum Sacerdotij Joan-
nis Hircani , 1. Machabæor.
16. 24. Descriptiones Jere-
miæ Prophetæ , 2. Macha-
bæor. 2. 1. Liber Henoch , in
Epistola Judæ Apostoli.

19. Præter has causas obs-
curitatis sunt plures alia , quas
obiter attingam. 1. Quod ali-
quando concreantur sententia ,
inter quas , vel connexio non
est , vel non appareat. 2. Quid sæpè occurrant Hebraim qui
a paucis intelligi possint. 3.
Quod sæpè non videatur apte
responderi ad questionem pro-
positam. 4. Quod sæpè verba
ambigua sint , ut ægre disser-
ni queat , quo sensu accipi de-
beant. Ut 1. Corinth. 3. 11.
„Fundamentum aliud nemo
„potest ponere præter id,
„quod possum est , quod
„est Christus Jesus. Si quis
„autem super ædificat super
„fundamentum hoc , aurum,
„argentum , lapides pretio-
„sos , ligna , fœnum , stipe-
„lam , uniuscujusque opus
„manifestum erit. Dies enim
„Domini declarabit , quia in
„igne revelabitur. Et unius-
„cujusque opus , quale sit,
„ignis probabit. Si cuius opus

„manferit , quod super ædifi-
„cavit , mercedem accipiet.
„Si cuius opus arterit detri-
„mentum patietur: ipse autem
„salvus erit , sic tamen quasi
„per ignem.

20. Hic locus planè diffi-
cilius est. 1. Quia non satis
constat , quid intelligendum sit
per aurum , argentum , fœ-
num , stipe lam. 2. Quid per
diem Domini. 3. Quid per ig-
nem. 4. Quid sit ardere , &
derrimentum pati. Denique
quid sit , salvum fieri quasi per
ignem. Unde Augustinus in li-
bro de Fide , & Operibus ,
cap. 15. diserte scribit , hunc
esse unum ex iis , de quibus
loquitur Petrus in posteriori
Epistola , cap. 3. v. 16. tam ait:
*In Epistolis Pauli quedam esse
difficultia intellectu.*

21. Æquè obscurum est
illud 1. Corinth. 15. 29: *Quid
facient , qui baptizantur pro
mortuis , si omnino mortui
non resurgunt ? Ut quid &
baptizantur pro illis ? Non
enim facile est explicari , quid
hoc loco significet , Baptizari.
Item quid , pro mortuis bap-
tizari. De qua re existunt sex
diversæ opiniones apud Car-
dinalem Bellarminum lib. 1.
de Purgatorio , cap. 4.*

22. Similiter illud Hebr. 6.
v. 4: *Impossibile enim est , eos
qui semel sunt illuminati , gus-
ta-*

taverunt etiam donum cœlestis,
& participes facti sunt Spiritus
-Sancti, &c. & prolapsi
sunt, rursum renovari ad pœ-
nitentiam. Quæ verba obscu-
rissima sunt, & ex illis male
intellectis orta est hæresis No-
vatariorum, (tempore Cypriani)
qui dicebant, lapsis non
esse dandam pœnitentiam, nec
veniam: idèque Catharos, id-
est, puros, ac mundos se ap-
pellabant.

23 Atque hæc sufficient
de causis, ex quibus oritur
obscuritas Scripturæ, quoad
verum, ac legitimum ipsius
sensum. Nunc meritò queri
potest: Cūr Deus voluerit
Scripturam esse obscuram? Vel,
cūr Scriptura, quæ alioqui
ex parte rerum, ac mysterio-
rum, quæ tractat, valde obs-
cura est, adhuc obscurior fac-
ta sit ex modo tractandi, Deo
sic volente, ac disponente? Cur
non potius eodem volente, ac
disponente factum sit, ut mys-
teria, quæ ipsa per se obscura
sunt, tam clare proponerentur,
ut ab omnibus intelligi
possent? Variæ sunt rationes.
Ex ijs aliquas attingam.

24 Prima ratio. Deus si-
cūt in alijs rebus, ita etiam in
Ecclesia voluit servati ordinem,
ut alij docerent, alij dis-
cerent. At hic ordo non servar-
etur, si Scriptura esset tam

clara, ut ab omnibus intelligi,
& explanari posset. Quo spec-
tat illud Ephes. 4. 11: *Ipse*
*dedit quosdam quidem Aposto-
los, quoslan autem Propheta-
tas, alias vero Evangelistas,
alias autem Pastores, & Doc-
tores ad consummationem Santi-
ctorum in opus ministerij, in
adificationem Corporis Christi,
id est, Ecclesie. Et 1. Corin-
th. 12. 29: *Nunquid omnes*
Apostoli? *Nunquid omnes*
Prophetæ? *Nunquid omnes*
Doctores? *Nunquid omnes*
interpretantur? Quasi dicat:
minime. Aliorum est docere,
& interpretari, aliorum disce-
re, & auscultare. Quod ibi-
dem pulchra declaratur simi-
litudine, quæ ab humano cor-
pore sumpta est. Nam sicut in
humano corpore multa sunt
membra, & non omnia eundem
actum exercent; ita in
Ecclesia, quæ est Corpus Christi,
multi sunt Fideles, & non
omnes eandem à Deo gratiam,
& operationem habent. Nam
uni datur sermo sapientiæ, al-
teri operatio virtutum, alij
discretio spirituum, alij inter-
pretatio sermonum. Et ut ali-
bi loquitur idem Apost. Rom.
12. 3: *Unicuique sicut Deus*
divisit mensuram fidei. Uade
ibidem addit: *Dico omnibus,*
qui sunt inter vos, non plus
*sapere, quam oportet sapere.**

Quod perinde est, ac si dicat: sicut oculi non usurpant sibi officium audiendi; nec aures, videndi; nec brachia, ambulandi; nec pedes, comedendi; quia hoc illis à natura concessum non est: ita in Ecclesia non omnes debent usurpare officium docendi; nec omnes Scripturam interpretandi; nec omnes miracula operandi; quia hoc esset plus sapere, quam oportet sapere; sed quisque facit, aut facere debet, quod ipsi à Deo in divisione gratiarum datum est.

25 Contra hunc ordinem, ac divinam ordinationem pectant adversarij, qui omnibus, etiam laicis, ac mulierculis permittunt libertatem legendi, & interpretandi Scripturam, cum ad hoc officium à Deo minimè vocati, ac proinde nec idonei sint. Et eo res jam rediit, ut nullus sit caupo, aut sartor, chirurgus apud Lutheranos, & Calvinistas, qui non putet, suo matre Scripturam intelligere, aut interpretari se posse: ideoque alterius ope, vel instructione non indigere. Audiant illud Apostoli 1. Corinth. cap. 12. v. 21: *Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigo: Aut iterum caput pedibus: Non est sibi necessarij.*

26 Audiant & illud 1. Ti-

moth. 2. 11. *Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in vi- rum, sed esse in silentio.* Et 1. Cor. cap. 14. 34. *Mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permititur eis loqui, sed subditas esse. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent.* Quare hoc? Ut servetur ordo à Deo in Ecclesia constitutus. *Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes interpretantur?* Non. *Sed divisiones gratiarum sunt.* Unde mulierculæ, quæ multa gar- tiunt de Scripturis, & suam sententiam in controversijs fidei interponere non erubescunt, multissimè sibi arrogant, quod non habent. In qua re imitantur suam Hevam, quæ in Paradiso non potuit tace- re, sed tacente viro, caput dis- putare cum serpente, à quo statim vieta, & decepta est. (1. Timoth. 2. v. 14.) Atque ipsa deinde suum virum dece- pit. (Genes. 3. v. 6.) Multæ hoc tempore sunt filiae Hevæ, quæ idem faciunt.

27 Secunda ratio. Si Scrip- tura esset facilis, non tantum intelligeretur à fidelibus, qui sunt in Ecclesia; sed etiam ab infidelibus, qui sunt extra Ec- clesiam. Et sic paulatim ma- jestas, & authoritas ipsius la- be-

befactaretur. Hoc sensu accipi potest illud Matth. 7. 6. *No-lite dare Sanctum canibus, ne que mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculent eas pedibus suis*, ut interpretatur D. Thom. in 1. p. q. 1. art. 9. ad 2. & Augustinus (vel quisquis author ille sit) hom. 7. in Apocalypsim.

28 Tertia. Si Scriptura esset facilis, & perspicua, non solum apud infideles, sed etiam apud Christianos esset in minori estimatione, quam par est. Immo non paucis esset occasio superbiz, & arrogantiz. Nam si viderent omnia, quæ de altissimis mysterijs disputantur, plana, & obvia sibi esse, sine dubio magni se facerent, & suo ingenio, ac industria putarent omnia comprehendere se posse. Nunc contra fit. Vident tantam esse Scripturæ obscuritatem, et suis viribus superare eam non possint, ideoque, & aliorum instructione iadigere se sentiunt, & à Deum serio confugiant, ut ipsorum mentem illuminet, & mysteriorum arcana patefaciat: Hoc fecit David Ps. 118. 19. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Et ibid. v. 34. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* Et infra, v. 135. *Faciem tuam illumina super ser-*

vum tuum, & doce me justificationes tuas. Et merito; quia Scripturæ sensus non potest haberi, nisi ab eo, qui Scripturæ author est. Author Scripturæ est Spiritus-Sanctus, & ideo Scriptura vocatur Verbum Dei; ergo non nisi à Spiritu Sancto potest haberi illius sensus, quo spectat illud 2. Petri 1. 20. *Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Causa additur: *non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Atque hinc sit, ut homines elati, ac superbii, qui suo judicio prudentes sunt, & proprio ingenio multum tribuunt, non sequantur legitimum Scripturæ sensum; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et hoc est, quod ait Christus, Matth. 11. 25. *Confiteor tibi, Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Et Apostolus Rom. 1.

22. *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.*



QUÆST. IV.

**AN PRÆTER VERBUM
Dei scriptum, seu præter Sacra-
m Scripturam admittende
sint Traditiones Apostolico-
Divina, quæ aequalē cum
Sacra Scriptura authoritatem
babeant? Vel, ut alij propon-
nunt: An præter Verbum Dei
Scriptum, sit aliud Verbum
Dei non scriptum, sed
traditum?**

1. **P**ER Traditionem in-
telligitur doctrina,
que non habetur in Scriptura,
sed per vivam vocem à Christo,
& Apostolis, dictante Spi-
ritu Sancto, ad nostras fusa,
aut quasi per manus tradita
est. Ita Trident. sess. 4. Tra-
ditiones alia sunt divinae, alia
pure Apostolicæ, & alia Eccle-
siasticae propriæ. Divinae sunt
doctrina fidei, & morum non
scripta in libris Canonicis, sed
à Christo Domino (ob quod
etiam vocantur Dominicæ) do-
cente immediate. Apostolos
procedens, vel à Spiritu Sanc-
to ijsdem Apostolis dictata, &
ab eis viva voce Ecclesiæ tra-
dita, & in posteros ad nos us-
que transmissa, quæ semper in
Ecclesia habita est pro revela-
ta à Deo: ut quod, B. Maria
„Virgo facit semper Virgo.

„Quod quatuor eantūm sine
„Evangelia: quod parvū
„sunt baptizandi: quod bap-
„tizati ab hereticis rebapti-
„zandi non sunt: quod hęc
Scriptura sit divina, conti-
neat verbum Dei, & similia.

2. Apostolice proprie, sunt
doctrina circa ritus, quæ ab
Apostolis, ex instinctu Spiritu
Sancti, Primo viva voce pro-
fecta est, & ab ipsis ad nos us-
que per majores intermedios,
quasi de manu ad manum
transfusa; nec in eorum li-
bris, & Epistolis scripta con-
tinetur, ut est jejunium qua-
dragesimæ, quatuor tempo-
rum institutio: Observatio
dicti Dominicæ loco Sabbati,
variæque alia ad disciplinam,
consuetudines, & ritus per ip-
sos institutos, spectantes.

3. Ecclesiasticae in sensu
proprio illæ sunt, quæ nec à
Christo, nec ab Apostolis, sed
post Christi in Cœlos ascensum,
& Apostolorum ex hac vita
discessum, est inchoata, &
introducta ab authoritate Ec-
clesiæ, vel à praxi, & à Præ-
latis; ut consecratio altarium,
templorum, &c. Observatio Eu-
charistiae pro infirmis: aliquo-
rum jejuniorum, & festorum
observantia, abstinentia à car-
nibus, ovis, & laeticiis in ijs cer-
tis diebus: beneficiorum ins-
titutio, & alia consuetudines

Ecclesiæ , quæ jam vim legis obtinuerunt. Advertendum ramen est , quod traditio dicitur *doctrina non scripta* , non quia nullibi scripta sit ; nam reperitur in nonnullis Conclijs , & in operibus Sanctorum PP. Sed ita vocatur , quia expressè non continetur in libris Canonicis.

4 Hæc quæstio est celebris , & de illa abunde scripserunt quamplurimi ; nos vero secundo P. Beccanum , per quatuor sequentes paragraphos primo agemus de traditionibus veteris Testamenti. Secundo de traditionibus novi Testamenti. Tertio ostendam erorem , dissensiones , & mendacia adversariorum. Quarto diluam eorum objectiones.

§. I.

DE TRADITIONIBUS
veteris Testamenti.

5 J udæi præter Scripturam habebant etiam Traditiones. Et quidem duplices. Nam aliae erant Pharisæorum , quas Christus in Evangelio reprehendit : aliae Mosaicæ , quæ erant laudabiles , & ad salutem necessariae. Traditiones prioris generis erant hæc : *Prima* , quod ante sumptionem cibi lavanda es-

sent manus , Matth. 15. v. 1. *Secunda* , quod etiam inter comedendum illa lotio sepius esset repetenda , Marci 7. 3. *Tertia* , quod venientes è foro non deberent cibos capere nisi loti essent , Marci 7. 4. *Quarta* , quod cum peccatoribus non esset sumendus cibus , Matth. cap. 9. v. 11. *Quinta* , quod ne quidem permittendum esset , ut quis à peccatoribus tangeretur , Luca. 7. 39. *Sexta* , quod in Sabbatho non licet ægros sanare , Luca 6. 7. *Septima* , quod familiæ non possent spicas vellere , & comedere in Sabbatho , Matth. 12. 1. *Octava* , quod frequenter esset jejunandum , & orandum , Luca cap. 5. v. 33. *Nona* , quod omnium terum , etiam minimatum , decimæ offerenda essent Deo , Matth. 23. 23. *Decima* , quod qui juraret per templum , aut altare , non esset reus criminis ; qui autem juraret per aurum templi , vel per oblationes , quæ in altare siebant , esset reus , Matth. 23. *Undecima* , quod filii non tenerentur recipi parentes suos honorare , aut illis benefacere ; sed quod abunde sufficeret , munus aliquod Deo offerre. Matth. 15. 3.

6 Hæc fuerunt præcipuae Traditiones Pharisæorum , quantum ex Evangelio licet colligere:

gere : & quanquam aliquæ ea-
tum essent bonæ ex suo gene-
re , alia male , alia indifferen-
tes , vel inutiles ; Pharisæi ta-
men propter omnes reprehendebant à Christo , ob has
causas : Primo , quia ipsi ex
earum observatione querre-
bant inanem gloriam , & opini-
onem sanctitatis apud ho-
mines , cum nihil minus quam
sancti essent. Matth. 23. 25.
„ Omnia vero opera sua fa-
„ ciunt , ut videantur ab ho-
„ minibus. Hinc passim in
Evangelio vocantur hypocri-
ta , & sepulcra dealbata.

7 Secundo ; quia ex qua-
rundam observatione secta-
bantur etiam opes , ac divi-
tias , præsertim ex longis ora-
tionibus , quas in eum finem
recitabant. Matth. 23. 14.
„ Uæ vobis Scribæ , & Phari-
„ sei hypocritæ , quia comedet-
„ sis domos viduarum , ora-
„ tiones longas orantes. Et
Marci 12. 40. „ Cavete à
„ Scribis , qui devorant do-
„ mos viduarum sub obtenu-
„ prolixæ orationis. Ubi co-
medere , seu devorare domos
viduarum , nihil aliud est ,
quam spoliare , seu exhaustire.
Nam vidui veniebant ad Pha-
risæos , tanquam ad homines
sanctos , (quippe qui Sanctita-
tem simulabant) & eorum ora-
tiones pretio emebant.

8 Tertio ; quia supersti-
tiose minutiora quædam ser-
vabant , & alia majora negli-
gebant , ut paulo ante dictum
est. Dabant enim decimas re-
rum etiam vilissimarum ; &
interim negligeabant judicium
& misericordiam in judi-
candis causis , quæ ad ipsos
deferebantur. Et hoc sensu ac-
cipi potest illud Match. 23.
v.24: *Excolantes culicem, Ca-
mulum autem glutientes.*

9 Traditiones posterio-
ris generis (de quibus potis-
simam hic agimus) erant tres
præcipuae. *Prima* ; quod om-
nes , & singuli libri , qui in
Canone Judæorum consigna-
bantur , essent verè divini , &
a Deo inspirati. Hoc fide cre-
debant Judæi , & tamen nus-
quam in Veteri Testamento
scriptum est. *Secunda* ; quod
fæmellæ haberent aliquod re-
medium contra peccatum ori-
ginale , non minus quam mas-
culi ; qualecumque tandem
fuerit illud remedium. Nec
hoc ullibi in Veteri Testamen-
to scriptum est. *Tertia* ; quod
cruenta ipsorum sacrificia sig-
nificaverint mortem Christi.
Hoc enim erat dogma fidei ;
nec tamen in Veteri Testamen-
to scriptum est.

10 Duas posteriores Tra-
ditiones sic explicabo. Judæi si-
de credebant , fæmellas con-
cipi

cipi in peccato originali, non minus, quam masculos. Nihil certius. Ergo fide credebant illas salvari non posse, nisi per aliquod remedium a Deo institutum. Decebant autem scire in particulari, quod, & quale esset hoc remedium, alioqui omnes femellæ periissent sine remedio. At nusquam scriptum est in Veteri Testamento, quod, & quale fuerit hoc remedium in particulari. Ergo per solam traditionem id sciebant. Hæc autem traditio erat ad salutem necessaria; quia sine remedio non poterant salvari femellæ: qualecumque tandem fuerit illud remedium, sive fides parentum, sive aliquid aliud.

¶ 11. Similiter fide credebant, quædam cruenta sacrificia a Deo instituta esse pro expiatione peccatorum. Vel ergo putabant ejusmodi sacrificia per se, & propria virtute expiare peccata; vel virtute mortis, & passionis Christi, quæ per illa sacrificia significabatur. Si prius putabant, erant heretici: si posterius, erant fideles. Sed unde habebant hanc fidem, & firmam persuasionem? Non ex Scriptura; quia nusquam in Veteri Testamento id scriptum est. Ergo ex traditione. Hæc autem traditio erat necessaria ad

Tom. III.

salutem. Non quod necessè fuerit, singulos de populo credere, futuram Christi mortem per cruenta sacrificia præfigurari: sed quod necessè fuerit aliquos id credere, præsertim Sacerdotes, & Doctores, quibus incumbebat cura docendi, & instruendi alios. Alioqui tota Synagoga, in hoc quidem puncto, quod sane erat gravissimum, fuisset sine fide. Quod absurdum est. Vide D. Thomam in 2. 2.

12. Hinc sequitur, Judæos habuisse quædam per Scripturam, quædam per traditionem. Magis tamen usi sunt tradizione, quam Scriptura; non solum in iis rebus, quæ habebantur per solam traditionem; sed etiam in iis, quæ erant scripta. Quod patet ex sequentibus testimonij: Exod. 8: „Narrabis filio tuo in die illo dicens: Hoc est, quod fecit mihi Dominus, quando egresus sum de Ægypto. Et erit quasi signum in manu tua. Et Deut. 32. 7: „Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interrogata Patrem tuum, & annuntiabit tibi: Majores tuos, & dicent tibi. Et Jud. 6. 13: „Ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt Patri, tres nostri, atque dixerunt, de Ægypto eduxit nos Do-

Ccc

, mi-

„ minus? Et Psal. 43. „ Deus
„ auribus nostris audivimus:
„ Patres nostri anuntiaverunt
„ nobis opus, quod operatus
„ es in diebus eorum, & in
„ diebus antiquis. Et Psal. 77.
5: „ Quanta mandavit Patri-
„ bus nostris nota facere ea fi-
„ lijs suis; ut cognoscat gene-
„ ratio altera. Filij, qui na-
„ centur, & exurgent, narra-
„ bunt filijs suis.

13 Ex his testimonijis duo colliguntur. *Primo*; quod traditio fuerit Iudeis à Deo mandata, seu præcepta. *Secundo*; quod multa ex ijs, quæ jubebantur docere, vel discere per traditionem, apertè habebantur in Scriptura, & tamen non remittebantur ad Scripturam, sed ad traditionem. Cujus rei duplex est ratio. *Una*; quia eo tempore Scriptura nondum erat redacta in formam integri voluminis; sed dispersa in varijs chartis, & annalibus, commode ab unoquoque legi non posset. *Primus*, qui eam rededit in formam voluminis, fuit Esdras post Captivitatem Babyloniam. *Altera*; quia liber Deuteronomij, qui erat præcipiuus inter libros Veteris Testamenti non habebatur passim à populo; sed unum exemplar à Rege, alterum à Sacerdotibus custodiebatur in arca Domini,

qui septimo quoque anno (nempe anno remissionis) jubebantur illud populo prælegere, Deut. 31. v. 9. Et hi ipsi Sacerdotes fuerunt tamen negligentes in eo custodiendo, ut longo tempore amissum fuerit, & tandem ab Helcia Pontifice tempore Josiae Regis inventum, ac populo prælectum. (4. Reg. 22. 8.) Unde necessarium est, populum in plerisque usum fuisse Traditione, de qua in præcedentibus dictum est.

§. II.

DE TRADITIONIBUS novi Testamenti.

14 **D**Ehis tria dicti-
rus sum. 1. Generatim extare aliquas Traditiones Divinas, & Apostolicas, quæ parem cum Scriptura authoritatem habeant. 2. Speciatim aliquas earum ad fidem, alias ad mores, & externos ritus pertinere. Tertio, præter has, esse alias, non quidem Apostolicas, sed Ecclesiasticas, quæ tametsi parem authoritatem non habeant, merito tamen à Christianis servandæ sint. Hæc singula scorsim per totidem Conclusiones explicabo.

15 Prima Conclusio. Generatim loquendo extant quædam

dam Traditiones Apostolicae,
quæ expressæ in Scriptura non
habentur; sed tamen parem
cum Scriptura authoritatem
habent. Ita Concil. Trident.
fess. 4. & colligitur ex illo 2.
Thes. 2. 14: „ Itaque fratres,
„ state, & tenete traditiones,
„ quas didicistis, sive per ser-
„ monem, sive per Epistolam
„ nostram. In quem locum
Chrysost. ita scribit: „ Hinc
„ pater, quod non omnia per
„ Epistolam tradiderit, sed
„ multa etiam sine litteris.
„ Eadem vero fide digna sunt
„ tam illa, quam ista. Et Epi-
phanius hæresi 61: „ Opor-
„ tet, autem, & traditione
„ uti. Non enim omnia à di-
„ vina Scriptura possunt acci-
„ pi. Quia propter aliqua in
„ scriptis, aliqua in tradicio-
„ ne Sancti Apostoli tradide-
„ runt, quemadmodum dicit
„ S. Apostolus: sicut tradi-
„ vobis. Et Basilius in lib. de
Spiritū-Sancto, cap. 27: „ Dog-
„ mata, quæ in Ecclesia ser-
„ vantur, & prædicantur, par-
„ tim ex conscripta doctrina
„ habemus, partim ex Aposto-
„ lorum Traditione in mys-
„ terio ad nos delata recipi-
„ mus. Quæ utraque eandem
„ ad pietatem vim habent, &
„ nemo his contradicit, qui
„ vel mediorum saltem Eccle-
„ siasticorum iurium experien-

„ tiam habet. Et Damascen.
lib. 4. cap. 17: „ Plurima Apos-
„ toli sine scripto tradiderunt.
Altius etiam PP. paulo post
citabo.

16 Quæres: „ Quomodo
„ traditio possit habere pa-
„ rem vim, & autoritatem
„ cum Scriptura? Respondeo:
Sicut mandatum Principis
eandem vim, & autoritatem
habet apud subditos, sive
scripto, sive viva voce pro-
feratur; sic etiam Verbum Dei,
sive scriptum, sive traditum.
At, inquires; Traditio Aposto-
lica, de qua agimus, non est
Verbum Dei. Omnis est.
Nam sicut doctrina Apostolo-
rum, quæ illorum scriptis con-
tinetur, propterea vocatur
Verbum Dei; quia à Deo ins-
pirata est: sic etiam de doctri-
na Apostolorum, quæ viva
tantum voce tradita est, sine
scripto statuendum est. Quod
sic clarius ostendo. Sicut Doc-
trina Matthæi, Marci, Lucæ,
Joannis, Pauli, Petri, Jaco-
bi, & Judæ, quæ in Evange-
lijs, & Epistolis conscripta est
vocatur Verbum Dei, quia Deus
eam inspiravit. Sic etiam doc-
trina Andree, Philippi, Bar-
tholomæi, Matthiæ, & Bar-
nabæ, quam ipsi viva voce
prædicarunt, debet vocari Ver-
bum Dei; quia Deus similiter
eam inspiravit. Nec minor si-

des his Apostolis, qui non scrip-
serunt, quām illis, qui scrip-
serunt, adhibenda est.

17 Secunda conclusio. Specia-
tum loquendo, sunt certæ
quædam Traditiones Aposto-
licæ de dogmatibus fidei; quæ-
dam de moribus, seu ritibus
externis. Prior pars probatur;
quia sunt tria principia fidei
maximè necessaria, quæ non
habentur ex Scriptura, sed ex
Traditione. Primum est; quod
tota Scriptura veteris, ac no-
vi Testamenti simul sumpta sit
Verbum Dei. Alterum; quod
to ta illa Scriptura, præsertim
in iis, quæ ad fidem, & salu-
tem necessaria sunt, maneat
nobis salva, & incorrupta. Ter-
tium, quod habeamus verum,
ac legitimum illius sensum. Si
admittimus hæc principia fidei,
necessario admittimus Tra-
ditionem, per quam illa acce-
pimus. Si non admittimus,
vana est nostra fides.

18 Præter hæc tria, sunt
alia, quæ etiam per traditio-
nem habentur. Primum; quod
Symbolum fidei sit vere Cano-
nicum, & Apostolicum. De quo
Basilius loco citato: „Cmitto
„cætera, ipsam fidei profes-
„sionem, qua credimus in Pa-
„trem, Filium, & Spiritum
„Sanct. é quibus Scripturis
„habemus? Quasi dicat: Non
habemus ex Scriptura, sed ex

traditione. Hoc enim conatur
probare, multa esse dogmata,
quæ creditur, non quia scrip-
ta sunt, sed quia ab Apostolis
tradita.

19 Secundum; quod Spi-
ritus-Sanctus procedat à Patre,
& Filio. Hoc quidem constat:
ex Symbolo, in quo dicitur.
Qui à Patre, Filioque procedit.
Sed in Scriptura aperte non
habetur. Legimus quidem ex-
pressè in Script. quod proce-
dat à Patre, Joan. 15. 26.
„Cum autem venerit Paracli-
„tus, quem ego mittam vobis
„à Patre, Spiritum veritatis,
„qui à Patre procedit, ille
„testimonium perhibebit de
„me. Sed non legimus ex-
pressè, quod procedat à Fi-
lio. Et tamen articulus fidei
est, ab utroque procedere. Ha-
bemus igitur hoc per traditio-
nem.

20 Tertium, quod articu-
lus verus sit: *Filius à Patre
solo est, non factus, nec crea-
tus, sed genitus: Spiritus-Sanc-
tus à Patre, & Filio, non
factus, nec creatus, nec geni-
tus, sed procedens.* Qui etiam
articulus expressè habetur per
traditionem ex Symbolo Atha-
nasij, sed in Scriptura quoad
singulas particulæ demonstra-
ri non potest. Et tamen ad sa-
lutem necessarius est, ut ait
Athanasius in fine Symboli:

Hec

Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

21 Quartum, quod infantes sint baptizandi. Origenes in cap. 7. Epist. ad Rom. Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit, etiam parvulis Baptismum dare. Et Aug. lib. 10. de Genesi ad litteram, cap.

23. *Consuetudo Matri Ecclesie in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi Apostolica esset Traditione.*

22 Quintum; quod baptizati ab hereticis non sint rebaptizandi, contra errorem Cypriani. Augustinus lib. 2. de Baptism. contra Donatistas, cap. 7. *Quam consuetudinem (scilicet non repetendi Baptismum) credo ex Apostolica Traditione venientem.* Et lib. 5. cap. 25. *Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apostolorum Traditione exordium sumpsiæ credenda est.*

23 Sextum; quod in Baptismo pronuntiari debeat hæc forma verborum: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & nisi pronuntiatur, Baptismus non sit validus.* Hoc etiam admittunt adversarij: nec tamen aliunde, quam ex Traditione,

& perpetua Ecclesiæ praxi probari potest.

24 Septimum, quod certus, ac determinatus sit Sacramentorum numerus in Testamento novo. Hoc tam Catholici, quam adversarij credunt. Hoc interest, quod Catholicæ credunt illum numerum esse septenarium: plerique Lutherani ternarium: multi Calvinistæ binarium: at hic certus numerus quisquis tandem sit, in Scriptura definitus, aut expressus non est. Catholicæ fatentur se ex Traditione, & declaratione Ecclesiæ habere suum septenarium. Adversarij videant, unde habeant suum binarium, aut ternarium. Certè ex Scriptura non habent.

25 Octavum; quod B. Maria Mater Christi semper manserit Virgo etiam post partum, contra damnatam Helvidij heresin. Vide Hieronymum contra Helvidium, & August. lib. de Hæresibus, cap. 84. ubi sic ait: *Helvidiani exorti ab Helvidio, ita Virginitati Mariae contradicunt, ut eam post Christum alios etiam filios de viro suo Joseph peperisse contendant. Sed mirum, ni istos, prætermisso Helvidij nomine, Antidicomaritas Epiphanius appellavit.*

26 Dices. Aliqua ex his punctis probari possunt ex Scrip-

Scriptura; ut v. g. quod infantes sint baptizandi. Hoc enim probari potest ex illo Joann. 3. 5., Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in Regnum Dei. Similiter quod in baptismino pronuntiari debeant hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* manifestè colligitur ex illo Matth. 28. 16. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Denique, quod Spiritus S. procedat etiam à Filio, convinci potest ex verbis supracitatis: *Cum autem veniret Paracletus, quem ego mittam vobis.* Nam Filius non mittet Spiritum Sanctum per imperium, aut consilium, sed per processionem.

27 Respond. aliqua possunt probari ex Scriptura, quando constat de vero, & legitimo Scripturæ sensu. At sœpè non constat, quis sit verus, & legitimus sensus, nisi ex Traditione, & praxi Ecclesiæ. v. g. si constaret hæc verba: „ Nisi quis renatus fuerit, ex aqua, & Spiritu Sancto, non habere alium sensum, quam hunc: *Nisi quis baptizatus fuerit baptismino aquæ: jam optimè sequeatur, etiam infantes indige-*

re Baptismo. At hoc non constat, nisi ex traditione. Nec Calvinus, qui negat illum sensum esse istius loci, potest à Catholicis, aut Lutheranis confutari ex sola Scriptura, sed ex eo solum, quod sensus ille à majoribus nostris per continuam Traditionem ad nos perveniret.

28 Eodem modo si constaret, Christum, cum dixit: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* præcepisse Apostolis, ut pronuntiarent hæc verba: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* jam res esset salva. At hoc non constat ex nudis Scripturæ verbis. Nam sicut Christus dixit: *Baptizate eos in nomine Patris:* ita alibi dicit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et similiter Apost. 2. Corinth. 10. 31. *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et tamen necessè non est, ut is, qui petit aliquid à Patre in nomine Christi, pronuntiet hæc verba: *Ego hoc vel illud peto in nomine Christi:* neque ut is, qui comedit, aut bibit pronuntiet hæc verba: *Ego comedo, & bibo in gloriam Dei:* Sed satis est interna mente id cogitare. Quod ergo in primo casu de Baptismo

mo necessaria sit prolatione verborum, non item in his duobus; hoc solum habemus ex usu Ecclesiæ, qui per traditionem Apostolicam ad nos pervenit.

29 Denique, si ex verbis Scripturæ constat, missionem Spiritus-Sancti à Filio significare processionem ad intra, res salva esset. At Græca Ecclesia negat, afferens, significare missionem externam ad nos homines per donorum largitionem. Quod sic expllicant: Filius dat nobis fidem, spem, charitatem, & alia bona supernaturalia, quæ dicuntur dona Spiritus-Sancti; ac proinde, quando dat hujusmodi dona, censetur dare, seu mittere Spiritum-Sanctum ad nos, cui ista dona per accommodationem tribuuntur. Quod vero Latini rectius sentiant, quam Græci, constat ex definitione Conciliorum, quæ sensum Scripturæ juxta Traditionem Apostolicam interpretata sunt.

30 Et hæc sufficiant priori parte conclusionis. Posterior potest etiam varijs exemplis confirmari. Nam multi sunt ritus Ecclesiastici, qui ab Apostolis per solam Traditionem accepti sunt. Ac potissimum hi: Primus, ut exorcismus, & alia ceremonia adhibeantur in Baptismo.

(Tertullianus in lib de Corona Militis, c. 3. & Basilius in lib. de Spiritu S. cap. 27.) Secundus, ut trina iheros fiat in Baptismo: Basil. ibidem. Tertius, ut Christma singulis annis renoveretur: Fabius Papa, & Martyr. Epist. 2. ad Episcopos Orientis. Quartus, ut aqua vino misceatur in Calice Eucharistico: Cyprian.lib. 2. ep. 3. Quintus, ut Eucharistia sumatur à jejunis. Aug. ep. 118. Tertull. supra. Sextus, ut signum Crucis formetur in fronte. Basil. loco citato. Septimus, ut ad Orientem versi præcemur: Idem. Octavus, ut aqua benedicatur: Idem. De his, & similibus recte usurpari potest illud Tertulliani lib. citato cap. 4. Harum, & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem ex postules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.

31 Conclusio tertia. Præter supradictas Traditiones, quæ ab Apostolis ad nos pervenerunt, sunt alia quædam Ecclesiastica, quæ post tempora Apostolorum à Prælatis Ecclesiæ introductæ sunt. Et tametsi parem cum Apostolicis autoritatem non habeant, merito tamen à Christianis servari

vari debent. De utrisque loquitur Aug. Epist. 118. cum ait : *Illa autem, que non scripta, sed tradita custodimus, que quidem toto terrarum Orbe observantur, dantur intelligi ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas commendata, atque statuta retineri ; sicut quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in Cœlum, anniversaria solemnitate celebrantur. Et si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa, quemque se diffundit, Ecclesia. Nam per illam particulam, vel ab ipsis Apostolis, intelligit Traditiones Apostolicas. Et per illam, vel plenarijs Concilijs, intelligit Ecclesiasticas : De quibus subdit : Insolentissimæ insanæ est, disputare, an faciendum sit, quod tota per Orbem frequentat Ecclesia.*

32 Atque hæc est Catholicorum sententia de Traditionibus, tam Apostolicis, quam Ecclesiasticis, quæ ex Apostoli, & Sanctorum Patrum autoritate confirmata est. Videamus nunc, quid sentiant Adversarij, ut posse constet ex collatione utriusque partis, utri potius adhaerendum sit.

ADVERSA RIORUM Sententia.

33 **A**dversarij passim rejiciunt Traditiones, & nihil, nisi quod in Scriptura veteris, ac novi Testamenti continetur, volunt admittere. Peccant tamen quadrupliciter. 1. Quia in hac remittant antiquos hæreticos. 2. Ipsi inter se dissentiant. 3. Molta falso, ac mendaciter affingunt Catholicis. 4. Ineptissime ex quibusd m Scripturæ locis arguuntur contra Traditiones. Hæc sigillatim demonstranda sunt.

34 Primo igitur, sicut Catholicci in afferendis Traditionibus sequuntur communem consensem antiquorum Patrum, sic adversarij in iisdem rejiciendis sequuntur communem consensem antiquorum hæreticorum. Nam etiam antiqui hæretici provocabant ad Scripturam, & traditiones respuebant. Ac potissimum hi. Primo Ariani, qui disputantes de Divinitate Christi nihil volebant admittere, nisi Scripturam. Unde Maximinus Arrianorum Episcopus, disputatus cum Augustino dicebat : Si quid de di-

„ divinis Scripturis protuleris,
 „ quod commune est cum om-
 „ nibus , necessè est , ut audia-
 „ mus . Hæ vero voces , quæ ex-
 tra Scripturam sunt , nullo ca-
 su à nobis suscipiuntur . Re-
 fert Augustinus lib. 1. contra
 Maximum , in principio .

35 Secundo Macedonia-
 ni , & Eunomianæ , qui no-
 lebant admittere hanc loquu-
 tionem : *Gloria Patri , & Fi-
 lio , & Spiritui Sancto* , eo
 quod non haberetur in Scrip-
 tura . De quibus Basilius in lib.
 de Spiritu Sancto , cap. 25.
 circa finem : *At non desinunt
 isti sursum deorsum justare ,
 Dei cum Sancto-Spiritu glo-
 rificationem carere testimo-
 nio , carere Scriptura . Et ini-
 tio cap. 29: Sané contra id ,
 quod dicunt prepositionism ,
 cum , carere testimonio , nec
 in Scripturis extare , illud di-
 cimur : Si nihil aliud est ac-
 ceptum ab/que Scripturis , ne-
 hoc quidem recipiatur : Sin
 plurima ar:ana citra Scriptu-
 ram recepta sunt nobis , cum
 alijs plurimis , & hoc recipia-
 mus . Arbitror autem Apostoli-
 cum esse , etiam non scriptis
 Traditionibus adhærere .*

36 Tertio , Eutyches , qui
 negans in Christo duas natu-
 ras , dicebat : „ Ego à Sacris
 „ Scripturis non didici de dua-
 „ bus naturis . Cui respondit

Mamas Presbyter : „ Neque
 „ de Homusion à Sanctis Scrip-
 „ turis edocti sumus . Ita ha-
 betur in Generali Concilio
 Chalcedonensi , Act. 1. ubi ac-
 tio quinta Constantinopolita-
 ni Concilij relata est . Quarto
 Pelagiani , qui dicebant : „ Cre-
 „ damus igitur , quod legi-
 „ mus ; & quod non legimus
 „ nefas credamus astruere:
 „ quod de cunctis etiam di-
 „ xisse sufficiat . Ut refert Au-
 gustinus in lib. de Natura , &
 Gratia , cap. 39.

37 His , & similibus hæ-
 reticis olim ab Ecclesia dam-
 natis similes sunt nostri Luthe-
 rani , & Calvinistæ , qui eo-
 dem , quo illi , spiritu afflati ,
 repudiant Apostolicas , & Ec-
 clesiasticas Traditiones , & ad
 solam Scripturam contentiose
 provocant ; quam tamen , ut
 supra dixi refectis aliquot par-
 tibus , mutilarunt , & novis
 versionibus , ac interpretatio-
 nibus corruerunt .

DISSENSIO.

38 SED neque inter
 se consentiunt . Nam aliqui sine ulla excep-
 tione , rejiciunt omnes omni-
 ño Traditiones , sive ad fidem ,
 sive ad externum Dei cultum
 pertinentes . Et nihil aliud vo-
 lunt esse credendum , aut fa-

cendum, quād quod in Scriptura credendum, aut faciendum præcipitur. Ita Calvinus lib. 4. Instit. cap. 8. num. 8. Alij quasdam saltem admittunt Traditiones, ut Kemnitius in Examine Concilij Tridentini, sess. 4. in secundo genere Traditionum.

39 Alij denique utuntur distinctione. Ajunt admitti posse Traditiones de rebus adiaphoris, seu indifferentibus; non autem de rebus ad salutem necessarijs. Nam in his sufficienter nobis prospectum esse per Scripturam, quippe quæ perfecte tradat ea omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, ita ut Traditione minimè sit opus. Sed qui hoc dicunt, augent dissensionem, & manifestè repugnant Lutherò, & Kemnitio. Nam Kemnitius fatetur, Letheranos reverenter accipere traditionem illam, qua nobis in manus datur Sacra Scriptura. At Scriptura Sacra secundum ipsos ad salutem necessaria est: Ergo admittunt aliquam Traditionem de re ad salutem necessaria.

40 Similiter Lutherus docet, infantes non justificari per Baptismum, sed per actualem fidem, quæ ipsis infunditur vi exorcismi, ante baptismum, & sine hac fide

non posse eos salvati, aut baptismum suscipere. Unde sequitur, salutem infantium, ex sententia Lutheri, pendere ab actuali ipsorum fide, & fidem ab Exorcismo, & consequenter Exorcismum esse necessarium ad salutem infantium. Exorcismus autem habetur ex Traditione, non ex Scriptura, ut constat: ergo secundum Lutherum admittenda est aliqua traditio de re ad salutem necessaria.

M E N D A C I A.

41 **V** Ideamus nunc quid falso nobis assingant adversarij. Ac primo, ut invidiam nobis concilient, ajunt nos docere, Scripturam sine Traditionibus humanis insufficientem esse, ac imperfectam. Falsum est. Non docemus hoc de Traditionibus humanis. Distingui-
mus enim duplices Traditiones cum Augustino, ut dixi: Alteras Apostolicas, quæ parrem cum Scriptura autoritatem habent. Alteras Ecclesiasticas; quæ tantam autoritatem non habent. Dicimus ergo Scripturam per se non sufficere, nisi accedant Traditiones Apostolicæ, quæ non censentur humanae, sed divinæ. Ratio duplex est. Prior; quia Scrip-

Scriptura non sufficit, nisi constet de legitimo illius sensu. At sæpe non constat nisi ex Apostolica Traditione, ut supra dictum est. Posterior; quia multa creduntur à Christianis, quæ non habentur ex Scriptura, sed ex Apostolica Traditione. Exempla jam ante allata sunt.

42 Secundo ajunt, nos docere, quod per traditiones humanas mereamur gratiam justificationis, & remissionem peccatorum: & quod hujusmodi Traditiones agnoscamus pro nostro Mediatore, & Juf-
tificatore. Ita Philippus Melanchton in Apologia Confessionis Augustanæ, art. 15. de Traditionibus humanis. Hoc etiam falsum est; quia aperte docemus, nullomodo nos mereri justificationem, aut remissionem peccatorum, sed eam gratis nobis conferri per merita Christi, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 8. ubi sic habet: *Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem precedunt, sive fides, sive opera, ipsæ an justificationis gratiam promeretur.*

43 Tertio ajunt, nos docere, quod omnes nostræ Traditiones sint Apostolicae. Ita Calvinus lib. 4. Instit. cap. 8. §. 19: *Romanenses*, inquit,

Magistri extorquere volunt, ut nulla sit apud eos cæremo- nia, qua non Apostolica cen- seatur. Et hoc falsum. Agnos- cimus enim, ut sæpe diximus, duplices Traditiones. Alteras ab Apostolis acceptas. Alteras, post tempora Apostolo- rum a Prælatis Ecclesiæ intro- ductas. Deinde, pugnat hæc Calvinii calumnia cum Melan- chtone. Nam Melanchton om- nes nostras Traditiones vo- cat humanas; Calvinus omnes Apostolicas. Neutrum con- cedimus. Vide alia Kemnitij mendacia apud Cardinalem Bellarm. lib. 4. de Verbo Dei, cap. 3. Reliquum est, ut di- luantur objectiones adver- sariorum, quibus conantur Tra- ditiones subvertere.

f. IV.

PRIMA OBJECTIO.

44 **P**rima sumitur ex illo Deuter. 4. 2: *Non addetis ad Verbum, quod loquor vobis, nec auferetis ex ea.* Hinc colligunt Adversarij, omnes Traditiones repudian- das esse, & Catholicos pecca- re, qui illas admittunt. Qua- re? Quia nihil ad Verbum Dei scriptum addendum est. Ineptissimè. Primo; quia dum volunt oppugnare Catholicos,

oppugnant ipsos Apostolos, à quibus Traditiones accepimus. Et nominatim Paulum qui dixit: *Tenete Traditiones, quas accepistis.* Oppugnant Augustinum, & alios Patres, qui Traditiones amplexi sunt. Oppugnant se ipsos, quia & ipsi, ut loquitur Kemnitius, Traditionem de Scriptura, de Exorcismo, & plures alias reverenter accipiunt: Si ergo Catholici peccant admittendo Traditiones, peccant etiam Apostoli, Patres, Lutherani ipsi. Aut si hi innocentes sunt, cur illi damnantur?

45 Deinde, non intelligunt sensum allati Testimonij ex Deuteronomio. Sensus colligitur ex ipso contextu, qui sic habet: *Et nunc Israel audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te, ut faciens ea vivas, & ingrediens possideas terram, quam Dominus Deus Patrum vestrorum datus est vobis.* Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: *Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Quasi dicat. Ego do vobis præcepta ceremonialia, & judicialia, quæ debetis integre, & perfecte servare. Hoc enim significat illa phrasis: *Non addetis, nec auferetis.* Quod quidem alijs verbis, sed tamen eodem sensu

explicatur alibi cum diecir: *Non declinabis ab eis, vel ad dexteram, vel ad sinistram.* Ut Deut. 17. 20. *Discat time-re Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias ejus, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram.* Et cap. 28. 14. *Si audieris man-data Domini Dei tui, quæ ego præcipio tibi hodie, & non declinaveris ab eis, neque ad dexteram, neque ad sinistram,* &c. Et Iosuæ 1. 7. *Conforta-re, & esto robustus valde, ut custodias, & facias omnem le-gem, quam præcepit tibi Moyses servus meus: nec declines ab ea ad dexteram, vel ad si-nistram.*

46 Igitur hæc tria idem valent. 1. Integre, & perfecte servare præcepta Mosaica. 2. Non declinare ab eis, vel ad dextram, vel ad sinistram. 3. Nihil in eorum observatio-ne, vel addere, vel detrahere. Quod non sic intelligendum est, quasi non liceret addere nova præcepta (alioqui non licuisset addere præcepta Evangelica de Fide Trinitatis, de Baptismo, de Eucharistia) sed quod præcepta Mosaica in sui observatione non sint corrum-penda, vel additione, vel de-tractione, sed integre custo-dienda, v.g. Erat præceptum Mosaicum: *Mulier si suscep-to*

semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, & die octavo circumcidetur infantulus. Levit. 12. v. 12. Ad hoc præceptum non licebat aliquid addere, vel auferre, idest, non licebat, nec ante, nec post diem octavum, circumcidere infantulum. Nec immunditia matris poterat paucioribus, vel pluribus diebus durare, quam septem. Eadem est ratio de alijs præceptis, ut videbimus in sequenti objectione.

47 Hinc patet testimoniūm Deuteronomii, quod tantopere urgent adversarij nihil ad rem facere; nisi velint sic argumentari: Judæi debebant perfectè, & integre servare præcepta Mosaica: Ergo Christiani non debent admittere Traditiones Apostolicas, sed sola Scriptura esse contenti. Quæ sane consequentia absurdā, & ridicula est, ut omnes vident. Ut tamen res fiat clarior, quæ ab adversarijs: An ipsi potest hoc testimoniūm pertinere ad solos Ju-dæos, an etiam ad Christianos? Si pertinet ad solos Ju-dæos, cur adducitur contra Christianos? Aut cur volunt Lutherani, & Calvinistæ, ut nos ad illud servandum obligemur? Si etiam pertinet ad Christianos, cur aduersarij non servant præcepta Mosai-

ca? Cùr non cœcumcidunt se? Cùr alias cæremorias legales intermittunt? Cùr denique, sicut contra nos urgent illam particulam: *Non addetis, non similiter contra se urgent alteram: Non auferetis?* Hic hærent.

SECUNDA OBJECTIO.

48 **S**Ecunda sumitur ex illo Deut. 12. 32. *Quod tibi præcipio, hoc tantum facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas.* Hinc iterum colligunt adversarij, omnes Traditiones, & præcepta humana esse irrita, & contemnenda. Quare? Quia hoc tantum faciendum est, quod Deus præcepit: Ergo, quod homines præcipiunt, faciendam non est. Non minus inepte, quam supra. Primo; quia si omnia præcepta humana sunt irrita, & contemnenda, quid dicemus de Judæis, qui accuratè servarunt præceptum de festo Encæniorum, quod non erat divinum, sed humānum? Quid de Rechabitis, qui accuratisimè servarunt præceptum parentis sui Jonadab de perpetua abstinentia à vi-no? (Jerem. 35. 6.) Quid de Apostolis, qui in Concilio Je-rosolymitano præceperunt abstinentiam à sanguine, & suf-
fo-

focato? (Act. 5. 29.) Quid de Paulo, qui distinguit inter sua, & Christi præcepta? (I. Cor. 7. 12.) Quid de Magistratibus, qui fingunt mandata humana ad conservandam pacem, & justitiam in Republica? Quid denique, de ipsis Adversarijs, qui in Synodis, & conventiculis suis condant leges, & statuta Ecclesiastica, quæ ab omnibus observari volunt?

49 Secundo, sensus illius loci non est ille, quem fingunt Adversarij, sed longe alius. Nam sicut in præcedenti testimonio agebatur generatim de præceptis Mosaicis integre observandis, ita hic agitur speciatim de uno præcepto ceremoniali, nempe, de præcepto sacrificij integre observando. Textus sic habet: *Quando disperdiderit Dominus Deus tuus gentes, ad quas ingredieris possidendas, & possideris eas, atque habitaberis in terra eorum, cave, ne imiteris eas, & requiras ceremonias eorum, dicens, sicut coluerunt gentes p[ro]t[er]e Deos suos, ita & ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes, quas aversatur Dominus, fecerunt Dijs suis, offerentes filios, & filias, & comburentes igni. Quæ præcipio tibi, hæc tantum facio Dominus, nec addas quicquam, nec minuas.*

50 Sensus est: Quando veneris in terram Palestinam, ad quam tendis, & obtuleris Domino Deo tuo sacrificium, non imitaberis gentiles, qui falsis Dijs offerunt suos filios, & filias per ignem; sed hoc tantum offeres, quod ego tibi præcipio. Nempe ex animalibus, oves, capras, hædos, boves, vitulos, columbas, pasceres, turtures. Ex fructibus terræ, panem, similam, salem, thus, manipulum spicatum virentium, & triticum: Ex liquoribus, sanguinem, vinum, oleum, aquam. *Hoc tantum facio, idest, offerto Dominu[m]. Nec addas quicquam ex sacrificijs gentilium. Nec minuas ex eis, quæ jam enumerata sunt.*

51 Quid hinc concludat Adversarij: Non video; nisi sic inferant: Iudei debebant ea tantum offerre in sacrificium, quæ a Deo erant determinata: Ergo Christiani non debent servare præcepta humana, sive Civilia, sive Ecclesiastica. *Spectatum admissemus teneat s[ecundu]s amici?*

TERTIA OBJECTIO.

52 **T**ertia sumitur ex illo Galat. 1. 8. „Liceret nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præ-

, ter-

„terquamquod evangelizavi-
„mus vobis , anathema sit.
Et infra „ Si quis evangeliza-
„verit vobis præter id , quod
„accepistiſ , anathema sit.
Ergo,iniquiſtūt adversarij, præ-
ter Evangelium non licet ad-
mittere Traditiones. Respond.
1. Hæc objectio retorqueri
potest in adversarios hoc mo-
do : Si quis evangelizaverit
vobis præter id , quod Aposto-
lus evangelizavit , anathe-
ma sit : Adversarij evangeli-
zant aliquid præter id , quod
Apostolus evangelizavit , quia
oppugnant Traditiones , con-
tra id , quod Apostolus dixit;
Tenete Traditiones : Ergo
anathema sit.

53 Respond. 2. Ex scopo
Apostoli aſtimandum est , an
damnitur hoc loco Tra-
ditiones , neene. Scopus Apos-
toli est hic : Galatae docti
erant à Paulo , cæremoniæ
legis Mosaicæ abrogatas esse,
& neminem posse per hujus-
modi cæremoniæ justificari,
sed per fidem in Christum
(cap. 2. 16.) Ab hac doctri-
na fuerunt posteà abducti per
quosdam falsos Apostolos , qui
docebant , eos non posse sal-
vari per fidem in Christum ,
niſi ſimil circumcidereſtūt ,
& alias cæremoniæ Mosaicas
obſervarent (cap. 1. 6. & c. 3.
1. & c. 4. 9. & c. 5. 1.) Con-

tra hujusmodi falſos Apoſto-
los agit Paulus , cum ait : *Si
quis evangelizaverit vobis
præter id , quod accepistiſ ,
anathema sit.* Quasi dicat: Ac-
cepistiſ a me , hominem justifi-
cari per fidem in Christum ,
non autem per obſervantiam
legis Mosaicæ. Si quis aliter
vos instruit , anathema sit.

54 At hinc non ſequitur,
Traditiones Apoſtolicas eſſe
rejiciendas , ſed potius con-
ſervandas ; quia non ſunt
præter , aut contra id , quod
Paulus evangelizavit Galatis
de justificatione , ſed potius
ſunt id , quod ipſe Thessalo-
nicenisbus evangelizavit , cum
dixit : *Tenete Traditiones ,
quas didicistiſ.*

QUARTA OBJECTIO.

55 **Q**uarto ſumitur ex
illo Apoc. 22. 18.
*Conteftor omni au-
dienti verba prophetæ libri
hujus : si quis appofuerit ad
hæc , apponet Deus ſuper il-
lum plagas scriptas in libro
iſto. Et ſi quis diminuerit de
verbis libri Prophetæ hujus ,
auferet Deus partem ejus de
libro vitæ.* Ergo non licet
apponere Traditiones. Res-
pondeo : Hoc teſtimoniuſ
condemnat Lutheranos , qui
non ſolum diminuunt de ver-
bis

bis prophetarum hujus, sed totum librum suspectum habent. nec eum pro Canonico, sed pro apocrypho agnoscunt. Non tamen condemnat Traditiones, quia non prohibet, ne praeter prophetiam Apocalypticam admittatur aliquid aliud, (alioqui non licet addere Prophetias Isaiae, Jeremie, & aliorum Prophetarum veteris Testamenti, nec item Evangelia, Epistolas, Symbolum fidei) sed solum prohibet ne verba Prophetiarum Apocalypticarum ab aliquo depraventur: Quod duobus modis fieri posse insinuat: Primo, additione; ut si quis apponat aliquid ad Prophetiam Apocalypticam, quasi pars illius sit, quæ revera pars non est. Secundo, diminutione; ut si aliquid detrahatur, quasi ad illam non pertineat, quod recte vera ad eam pertinet. Neutrum faciunt Catholici.

56 Exemplo rem declarabo. Prædictit Joannes cap. II. fore aliquando, ut veniant duo Prophetæ, amici facies, qui prophetabant diebus 1260. & habeant potestatem claudendi Cœlum, ne pluat diebas prophetarum ipsorum, & potestatem convertendi aquas in sanguinem, &c. Ad hanc prophetiam nihil addunt Catholici, quod ad eam

non pertineat, sed derelinquent integrum, sicut à Joanne prescripta est. At contra faciunt adversarij, qui dicunt hos duos Prophetas fuisse Lutherum, & Calvinum. Nam qui hoc dicunt, necessario diminuerint de verbis prophetarum hujus, cum constet Lutherum, & Calvinum non fuisse amicos facies, nec habuisse potestatem claudendi Cœlum; & quæ ibidem sequuntur.

QUINTA OBJECTIO.

57 **Q** uinta sumitur ex illo 2. Timoth. 3. 16. „ Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corriri, ad erudiendum, in iustitia, ut perfectus sit homo D. i., ad omne opus bonum instructus. Ex quo loco dupliciter argumentantur adversarij. Aliqui sic: omnis Scriptura est utilis ad docendum, & arguendum: Ergo supervacaneæ sunt Traditiones. Perinde ac si dicas: omnis cibus est utilis ad nutriendum: Ergo supervacaneus est potus. Vel, omnis eleemosyna est utilis ad salutem (Luc. cap. II. v. 41. & Dan. 4. 24.) Ergo supervacanea

canæ oratio; supervacanea sacramenta. Miseret meliorum hominum.

58 Alij sic: Omnis Scriptura est utilis, idest, sufficiens: Ergo supervacaneæ Traditiones. Sed quæ hæc interpretatio est? An idem sunt, utilem esse, & sufficientem esse? Si idem sunt, jam illud 1. Timoth. 4. v. 8. *Pietas ad omnia utilis est;* licebit sic interpretari: Pietas ad omnia sufficiens est: Ergo reliqua omnia supervacanea sunt. Et similiter illud 2. Timoth. 4. 11. „Marcum assume, & adduc „tecum: Est enim mihi utilis „ad ministerium, idest, sufficiens: Ergo Timotheus, Titus, Onesimus, & alij supervacanei sunt. Quis non videt, si hæc licentia interpretandi Scripturam semel admittatur, totam corrumpi, & adulterari posse?

59 Sed ut clarius res ipsa percipiatur, textus Apostoli considerandus est. Igitur Apostolus in citato capite horretatur Timotheum Episcopum, ut suos subditos instruat in fide, & bonis operibus, & redarguat adversarios, qui corrupti mente, & reprobi circa fidem, resistunt veritati. Et ut ostendat eum id posse præstare, subdit: „Tu vero „permane in ijs, quæ didi-

„, cisti, & credita sunt tibi, „, sciens à quo didiceris: & „, quia ab infantia tua sacras „, litteras nosti, quæ te pos- „, sunt instruere ad salutem, „, per fidem, quæ est in Christo, „, to Jesu. Omnis enim Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, & cætera. Ubi Per sacras litteras, quas ait, Timotheum ab infantia novisse, intelligit Scripturam veteris Testamenti. Nam eo tempore, quo Timotheus erat infans, nondum extabat Scriptura novi Testamenti.

60 Apostolus ergo in illo textu argumentator: Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendos subditos, & redarguendos adversarios: At Scriptura veteris Testamenti, quam ab infantia didicisti, est divinitus inspirata: Ergo est utilis ad docendos subditos, & redarguendos adversarios. Cum ergo cognitione illius Scripturæ instrutus sis, magnum ex ea præsidium habes ad præstandum, quod dixi.

61 Ex odem principio licebit sic concludere. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, & arguendum: At Scriptura novi Testamenti est divinitus inspirata: Ergo est utilis ad

Eee do-

Tom. III.

docendum , & arguendum. Qui ergo cognitione hujus Scripturæ instruetus est , magnum ex ea præsidium habet ad utrumque præstandum.

62 Porro ex utroque cursu patet , has tres propositiones veras esse , secundum Apostolum . 1. Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum , & arguendum. 2. Scriptura veteris Testamenti utilis est ad docendum , & arguendum. 3. Scriptura novi Testamenti utilis est ad docendum , & arguendum. Sicut ergo non sequitur : Scriptura veteris Testamenti utilis est : Ergo Scriptura novi Testamenti est supervacanea. Nec contra : Scriptura novi Testamenti est utilis : Ergo Scriptura veteris Testamenti est supervacanea. Sic etiam non sequitur : Utraque Scriptura est utilis : Ergo Traditiones est supervacanea. Alioqui supervacaneum esset , quod dicit Apostolus ; *Tenete Traditiones.*

SEXTA OBJECTIO.

63 **S**exta sumitur ex illo Matth. 15. 6: *Irritum fecisti mandatum Dei propter Traditionem vestram.* Et Coloss. cap. 2. v. 8. *Videte ne quis vos decipiatur per*

Philosophiam , & inanem fal-laciam secundum Traditionem hominum. Et i. Petri cap. 1. v. 18: *Redempti estis de vana vestra conversatione Paternæ Traditionis.* Hinc colligunt adversarij , omnes Traditiones à Christo , & Apostolis damnatas esse. At non recte. Nam Christus , & Apostoli solum loquuntur , vel de Traditionibus Judæorum , quibus Pharisæi male utebantur , ut supra explicatum est. Vel de Traditionibus Gentilium , quæ Fidei Christianæ repugnabant. At tales non sunt , quas hoc loco nos defendimus. Nos defendimus , divinas , & Apostolicas , quæ supra enumeratae sunt.

QUÆST. V.

AN SACRA SCRIPTURA sit Judex controversiarum Fidei , & morum?

1 **T**radunt Protestantes , ut non semel diximus , omnia ad salutem necessaria clarè , & perspicue doceri in Scriptura ; ac proinde statuunt , solam illam esse Judicem , omnemque decisio-nem controversiarum Fidei , & Religionis ex illa sola peten-dam esse ; quia per se est suffi-ciens ad omnes controversias

finiendas. Contrarium docent omnes Catholici. Hæc quæstio etiam est gravissima; ob quod cum P. Beccano (qui in hac re clarius, & melius omnibus scripsit) per sex paragraphos clare demonstravimus, solam Scripturam, non posse esse Judicem controversiarum. Prima probatio formatur ex officio Judicis, quod Scriptura non competit. Secunda, ex parte ipsius Scripturae, in qua duo spectanda sunt, littera, & sensus: *Littera occidit*, teste Apostolo: sensus sèpè obscurus est, ut supra diximus; unde opus est alio Judice, ac interprete. Tertia probatio formatur ex parte controversiarum, de quarum Judice est quæstio; nam aliquæ controversiae sunt, de quibus in Scriptura nulla fit mentio, unde ex Scriptura dirimi nequeunt. Quarta ex usu, & praxi veteris Testamenti, ubi non Scriptura, sed Pontifex pro Judice agnoscebatur. Quinta ex simili usu, & praxi novi Testamenti. Sexta ex Analogia Judicis controversiarum civilium, & politicarum; nam Judex ejusmodi controversiarum non est lex scripta, sed Princeps, aut consistorium Principis. Deinde solventur argumenta.

§. I.

Probatur igitur i. Catholicorum sententia: qui est Judex inter duos litigantes, debet ita pronuntiare sententiam, ut uterque litigantium clare intelligat, quænam sit sententia Judicis: Et alter eorum fateatur illam pro se, alter contra se latara esse. Alioqui, nisi id fiat, non cessabunt à lite, sed uterque suam causam prosequetur: At scriptura non potest hoc præstare: Ergo Scriptura non potest esse Judex controversiarum. Major per se clara est. Minorem prob. quia Lutherani, & Calvinistæ multis jam annis litigant de his punctis. 1. De Baptismo parvolorum. 2. De reali presencia Christi in Eucharistia. 3. De prædestinatione. 4. De persona Christi. 5. De exorcismo. Et tamen Scriptura, quam volent esse Judicem, non potest dirimere, aut finire has ipsas controversias. Nec hactenus auditum est ita pronuntiassesse sententiam, ut vel Lutherani, vel Calvinistæ fassi sint, contra se pronuntiatam esse. Hoc constat ex eventu: nam utriusque pergunt in studio, & ardore litigandi: quod sine dubio non facerent, si pu-

tarent sententiam clare semel esse latam. Tunc enim vel ul-
tro cessarent à suscepta con-
tentione , & sententiæ acquies-
cerent: vel certè si existima-
rent injustè secum actum esse,
ad alium Judicem provoca-
gent. Neutrum fit.

3 Ut magis appareat vis
hujus argumenti , duo consi-
deranda sunt. Unum , quòd
tām Lutherani , quām Calvi-
nistæ palam fateantur , se non
alium Judicem , quam solam
Scripturam agnoscere: Et hanc
ipsam Scripturam esse claram ,
perspicuam , & ad omnes con-
troversias lopiendas per se suf-
ficiētem : nec ullam falsita-
tem subesse illi posse. Alter-
um , quod nihilominus utri-
que nihil aliud efficiant litigando apud hunc Judicem ,
quam ut quotidie crescant eo-
rum lites , & ipsi erga se mu-
tuō infestiores evadant. Ex
quibus alterutrum sequi ne-
cessē est: vel Scripturam hac-
tenus non pronuntiassē clara-
ram , perspicuam , & sufficien-
tem sententiam : vel certè , si
pronuntiavit , Lutheranos , &
Calvinistas pervicaces esse , qui
claræ , perspicuæ , & sufficienti-
sententiæ non volunt ac-
quiescere. Alterutrum
ipſi eligant.

§. II.

4 P robatur 2. In Scrip-
tura duo spectan-
da sunt , littera , & sensus , si-
cut in homine corpus , & ani-
ma. De illis , ut aliqui inter-
pretantur , locutus est Aposto-
lus 2. Cor. 3. v. 6. cùm ait:
„ Littera occidit , Spiritus au-
„ tem vivificat. Quasi dicat:
si sequareis verum Scripturæ
sensum , qui est quasi spiritus ,
& anima vivificans , proderit
tibi ad salutem. Si autem ne-
glecto vero , ac legitimo sen-
su , hæreas tantum in externa
littera præsceret sèpè errabis.
Quam interpretationem sequi-
tur August. Serm. 70. de Temp.
„ Frequenter (inquit) admoni-
„ nui charitatem vestram , fra-
„ tres dilectissimi , ut his lec-
„ tionibus , quæ diebus istis
„ in Ecclesia recitantur , non
„ hoc tantum attendere debea-
„ mus , quod ex littera sonate
„ cognoscimus , sed , remoto
„ velamine litteræ , vivifican-
„ tem spiritum fideliter requi-
„ ramus. Sic enim dicit Apof-
„ tolus : Littera occidit , spi-
„ ritus autem vivificat. Deni-
„ que infelices Judæi , & plus
„ infelices hæretici , qui dum
„ solum litteræ aspiciunt so-
„ num , quasi corpus sine ani-
„ ma , ita sine vivificantे spi-
„ ritu

„ritu mortui remanserunt. Similia habet lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 5.

5 Hoc posito, duo probanda sunt. Uaum est, quod Scriptura, si litteram spectes, non possit esse Judex controversiarum. Alterum, quod neque si sensum spectes, possit esse Judex. Probatur 1. pars: Ille non potest esse infallibilis Judex controversiarum, qui dicit hominem in errorem, & hæresim: at Scriptura, si nudam illius litteram spectemus, dicit hominem in errorem, & hæresim: g. non potest esse infallibilis Judex controversiarum. Major per se nota est, quia propterea querimus infallibilem Judicem, ne erremus: g. qui dicit nos in errorem, non est infallibilis Judex. Major patet ex Apostolo, quia Scriptura secundum litteram occidit, id est, in lapsum, & errorem dicit. Sic olim occidit Judæos, qui omnia, quæ in Moysè, & Prophetis prædicta erant de Christo, intelligebant secundum externam litteram, & sensum interius latentem non percipiebant. Et hoc est quod ait Apost. 2. Cor. 3. v. 15: *Uisque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, vel amen positum est super cor eorum;* id est, adhuc Judæi non intelligunt

Moysem, quem quotidie legunt, quia non penetrant internum ipsius sensum, sed externa littera contenti sunt. Vel clarius; non agnoscunt Christum, qui in Moysè sub externis ceremonijs, ac sacrificijs tanquam sub velamine, occultatus est. Adhuc hærent in solo velamine, & non considerant, quid sub illo lateat reconditum.

6 Quod etiam objicit illis Christus, Joan. 5. v. 39. „Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Quasi dicat: Si vultis certo cognoscere, me esse Messiam à Deo promissum, de quo Moyse, & Prophetæ scripsierunt, non tantum debetis legere Scripturas quoad externam litteram, sed multo magis scrutari internum sensum, & spiritum, qui sub externa littera, quasi sub umbra, aut figura, delitescit. Hoc haec tenus non fecistis. Tametsi enim persuasum vobis sit, in Scripturis sitam esse vitam æternam, tamen nescitis, in qua parte sita sit. Non est sita in externa littera, in externis ceremonijs, & figuris, ut vos putatis; sed in Spiritu, & sensu, in mysterio.

rio. Ibi me quærite, & invenietis. Nec solos Judæos, sed etiam hæreticos littera occidit: nam multi in suis erroribus propterea perierunt, quod reliquo Scripturæ sensu, quem sequitur Sancta, & Catholica Ecclesia, alium sensum secundum externam litteram amplexi sunt. Quod aliquot exemplis obiter demonstrabimus.

7 Sabelliani dicebant, non esse tres personas divinas, sed unam tantum, quæ tamen haberet tria nomina, propter diversa officia, seu operationes. Eadem enim personam vocari Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, sed diverso respectu: Patrem, quatenus est author omnium creaturarum; Filium, quatenus assumpsit humanam naturam ex Virgine; Spiritum Sanctum, quatenus sanctificat nos per suam gratiam. Ex eorum sententia sequebatur, Patrem esse mortuum, & passum: nam si una tantum est persona, quæ dicitur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sane si illa persona mortua, & passa est, necesse est Patrem mortuum, & passum esse. Hinc (teste Aug. in lib. de Hæresib. cap. 41.) Patri pasiani appellati sunt. Unde hic tantus error? Ex littera occidente. Nam secundum externam litteram intellige-

bant illud Joann. 10. 30. *Ego, & Pater unus sumus.* Ex quo inferebat, Patrem, Filium (& consequenter Spiritum S.) esse unum quoad personam; cum tamen secundum sensum Ecclesiæ sint unum quoad essentiam; & duo quoad personam.

8 Arriani dicebant Christum non esse Deum, sed inferiorem Deo. Unde hoc? quia reliquo sensu Ecclesiæ, secundum litteram explicabant verba Christi, Joan. 14. 28. *Pater major me est*, idest absolute major. At Ecclesiæ sensus est, Christum secundum humanitatem esse minorem Deo Patre: secundum divinitatem aequalem. Et priori modo intelligendum esse illud: *Pater major me est*: posteriori illud: *Ego, & Pater unus sumus.* Et sic optimè cohædere. Vide Athanasium orat. 2. cont. Arrianos. Hilarium lib. 5. & 11. de Trinit. Augustin. lib. 3. contr. Maximum, cap. 24. & 25. & lib. de Trinit. cap. 7.

9 Macedeniani negabant, Spiritum Sanctum esse Deum. Ex quo principio? Ex littera occidente: nam secundum litteram accipiebant illud Apost. 1. Cor. 2. v. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Unde sic concludebant: qui scrutatur, querit; qui querit, dubitat; qui du-

bitat, ignorat; qui ignorat, Deus non est: g. *Spiritus Sanctus non est Deus. At Ecclesia locum sic interpretatur: Spiritus omnia scrutatur*, idest, omnia penetrat, & comprehendit. Quo sensu dicitur etiam Deus Pater omnia scrutari 1. *Paralip. 28. v.9. Omnia corda scrutatur Deus.* Et *Psalm. 7. v. 10. Scrutans corda, & renes Deus.* Et *Jerem. 17. v. 10. Ego Dominus scrutans corda.* Videte Theodoretum, Theophylactum, D. Thomam, & alios, in commentario illius loci.

10 Manichæi asserabant, *vetus Testamentum novo contrarium esse. Quare? quia rem totam estimabant secundum externam litteram, quam si species, alterum alteri videtur repugnare.* Nam *vetus dicit, Gen. 1. Deum creasse omnia.* Novum dicit, *Joann. 1. v. 3. Verbum creasse omnia.* Rursum *vetus dicit, hominem factum esse ad imaginem Dei. Gen. 1. 27.* Novum dicit, *hominem esse ex diabolo;* *Joann. 8. 44.* Item *vetus dicit, Genes. 2. 2. Deum die septimo quievisse ab omni opere.* Novum dicit, *Joan. 5. 17. Deum usque modo operari.* Contra hos agit D. Aug. in lib. contr. Adimantum *Manichæi discipulum, & ex sensu Catholicæ Ecclesiæ con-*

ciliat inter se loca, qua secundum litteram videntur sibi adversari. Non enim repugnat, Deum fecisse omnia; & tamen fecisse per verbum, veluti per suam artem, seu ideam. Nec repugnat hominem factum esse ad imaginem Dei, quoad natum; & tamen esse ex diabolo, quoad malitiam. Denique non repugnat, Deum quievisse die septimo ab opere creationis mundi; & tamen semper operari in gubernando, & conservando mundo.

11 Pelagiani negabant peccatum originale, asserentes peccatum Adami nocuisse ipsi soli, non autem posteris. Ex quo fundamento? Ex littera occidente: quia scriptum est *Ezech. 18. v. 20. Filius non portabit iniquitatem Patris.* At sensus illius loci secundum mentem Ecclesiæ Catholicæ, hic est: *Filius, qui non est particeps peccati Patris, non portabit iniquitatem Patris:* si autem particeps est, portabit. Videatur Aug. in lib. post collocat. cap. 7. Nunc autem constat, posteros fuisse participes peccati primi Parentis, juxta illud Rom. cap. 5. v. 12. *In quo omnes peccaverunt.* Sed quomodo omnes peccaverunt in Adamo? Hoc alibi explicatum est. Hic obiter dico, omnes in eo peccasse, quia Deus iniit

in iuit pactum cum Adamo, tanquam cum capite, & communni radice, seu principio totius posteritatis, ut, si ipse servaret praeceptum de non gustando fructu prohibito, tam ipse, quam posteri manereat in paradiſo: si non servaret, tam ipſe, quam posteri eſſent rei, ac veluti transgredores ex paradiſo ejicerentur. Quod fac- tum eſt.

12 Fuerunt etiam anti- quiores haeretici, qui negabant, Carnis Resurrectionem, quia scriptum eſt Joan. 6. v. 63. *Spiritus eſt, qui vivificat: caro non prodeſt quicquam.* Ex quo loco secundum extēnam littēram intellecto ſic argumentabāntur. Quorūm caro, ſi nihil prodeſt, eſſet resurrectura? (refert Tertullianus in lib. de Resurrecſt. Carnis, cap. 37.) Ex eodem loco Calvinista faciunt hanc ſimilem conſequentiā: Quorūm Christus daret nobis ſuam carnem in Sacramento Eucharistiæ, ſi nihil prodeſt? Utrique decepti ſunt ex littēra occidente. Alioqui licet etiam concludere hoc modo: Si caro non prodeſt quicquam, cūr Christus eam aſſumpſit? Cūr Verbum caro factum eſt? Cūr pro nobis cruci eam affixit? Atque haec ſufficiant de prioris partis probatione, in qua cum authoritate Apostoli,

tum varijs exempliſ demonſtratum eſt, Scripturam, ſi littēram extēnam ſpectemus, non poſſe eſſe infallibilem Judicem controverſiarum, quia littēra occidit, & varioſ errorē, ac haerēſes parit.

13 Probatur 2. pars: (Nec Scripturam, ſi ſenſum ſpectemus poſſe eſſe Judicem.) Scripturam, quoad verum, & legitimum ſenſum, ſapē eſt obſcurā, & diſſicilis intellectu: ac proinde ſapē oritur controverſia de vero, & legitimo ipsius ſenſu. Omnis autem controverſia requirit aliquem Judicem. Debet ergo aliquis eſſe Judex, qui definiat, hunc eſſe legitimum ſenſum, illum non eſſe. At hic Judex non potest eſſe ipsa Scriptura, de cuius mente, & ſententia controverſia movetur: g. aliquis aliud diſtinguit a Scriptura. In hoc diſcurſu ſunt tria præcipua. Primum eſt, Scripturam, quoad ſenſum, ſapē eſſe obſcuram, & diſſicilem intellectu. Hoc probatum eſt ſupra. Alterum, ex hac obſcuritate necessariō naſci multas controverſias. Hoc non indiget alia probatione, quam quotidiana experientia. Conſtat enim, omnibus ſeculis, a tempore Apoſtolorum ad nos usque, ſemper ortas fuiffe aliquas controverſias de legitimo Scriptura ſenſu. Et ut taceam de

de iis, quæ tempore Arii, Macedonij, Donati, & aliorum veterum hæreticorum excitatae sunt, certè nostro hoc tempore prope infinitæ occurunt. Tertium est, Judicem harum controversiarum non posse esse Scripturam. Quod probo duplici argumento.

14 Primum sumitur ex dictis, in huic modum: *Judex* debet clare pronuntiare sententiam, ut ab utraque parte litigante intelligi possit; *Alioqui* frustra illam pronuntiaret: At *Scriptura*, quando sensus ipsius obscurus est, non potest clare pronuntiare sententiam, ut ab utraque parte litigante intelligi possit; Si enim in tali causa clare pronuntiaret: sententiam, jam sensus ipsius non esset obscurus, sed clarus, quod est contra suppositionem: g. in tali casu non potest esse *Judex*. Dices: Tamen si sensus Scripturæ in uno loco aliquando obscurus sit, tamen in alio potest esse clarus; ac proinde *Scripturam* per illum locum, qui clarus est, potest ferre sententiam de alio, qui obscurus est. Respond. Hoc quidem obtendant adversarij, sed frustra. Nam primò, si ita est, cur ipsi per hanc viam non finiunt controversias, quas inter se habent? Cùt, inquam, *Lutherani*, & *Calvinistæ*, cùm

altercantur de aliquo Scripturæ loco, qui obscurus est, non recurrent ad alium, qui clarus est? Aut, si id faciunt, cur nullus altercandi apud illos est finis? Hic hærent. Deinde aliud est, verba Scripturæ esse clara: aliud, sensum Scripturæ esse clarum. Nam claritas verborum pendet ex cognitione grammaticæ: claritas autem sensus ex intentione, & consilio Spiritus-Sancti. At sapè fit, ut aliquis habeat sufficientem cognitionem grammaticæ, & tamen nesciat intentionem Spiritus S. Ergo in tali casu verba Scripturæ poterunt esse clara; non tamen sensus verborum, qui à Spiritu-Sancto intenditur, erit clarus.

15 Hoc ostenditur exemplo. Verba Christi in Evangelio sunt hac: *Hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*. Quæ verba, si nativam illorum significationem spectes, sunt clara, & perspicua, & ab omnibus non modo Christianis, sed etiam Judæis, Turcis, & Ethnicis intelligi possunt. At de sensu illorum, qui à Spiritu-Sancto intentus est, infinitæ propè apud Christianos controversiae sunt. Simile est de illis verbis apud Joannem: *Maria Magdalena venit ad monumentum, cum adhuc te-*

nebris essent. Itemque de illis apud Marcum: *Venit ad monumentum, orto jam Sole.* Quid clarius, & rotundiūs dici potuit? Et tamen, quia priora videntur pugnare cum posterioribus, merito dubitari solet, quis germanus illorum sensus sit, & quomodo Conciliari inter se possint, ac debeant. Addo, non raro etiam fieri, ut idem locus Scripturæ, quem una pars litigantium putat clarum, & perspicuum esse, ab altera censeatur esse obscurum, ac intrincatum. Quid in tali casu factō opus est? Aut quis Judex adhibendus? Scriptura certè pro Judice adhiberi non potest: nam de illius sensu, ac sententia controversia est. Cum alij claram, alij obscuram esse contendant: & ab alijs in hanc, ab alijs in illam partem distrahatur. Quid ergo Consilij? Sine dubio alias Judex querendus est.

16. Lis, v. g. inter nos, & Calvinistas est de vero, ac locali descentiū Christi ad inferos, quem illi negant, nos astruimus. Et utimur duplī testimonio. Altero ex Symbolo fidei: *Descendit ad inferos.* Altero ex cap. 2. Act.

v. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* Utrumque dicimus clarum, & pers-

picuum esse. Calvinistæ de utroque negant; & obscurissima sua interpretatione utrumque faciunt obscurissimum. Ac prius quidem interpretantur hoc sensu: *Descendit ad inferos,* id est, pertulit in cruce diros cruciatus damnati, ac perdit hominis, ut coactus fuerit urgente angustia exclamare: *Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Posterior autem hoc sensu: Non derelinques animam meam in inferno, id est, non derelinques cadaver meum in sepulchro. (Ita Beza in comit. illius loci.) Quid hic agendum? Aut quem Judicem compellabimus? Si Scripturam consulimus, nihil aliud ipsa dicet, quam quod anteā dixit. Nullum iota, nullum apicem additura est. De eo autem, quod anteā dixit, controversia est: g. per id, quod anteā dixit, controversia finiti non potest. Si ergo post ortam controversiam Scriptura nihil novi dicit, sed manet in antiquis terminis, certè per illam finiri lis non potest, sed necessè est, vel aliom Judicem adire, vel alteram partem litigantem sponte cedere, vel denique utramque in lite perseverare.

17. Posterioris argumentum. Multa sunt testimonia Scripturaræ, quorum verus, ac le-

legitimus sensus haberi non potest, nisi ex Traditione, & auctoritate Ecclesiæ, ut probatum est supra. Ergo si oriatur controversia circa ejusmodi testimonia, sola Scriptura non potest esse Judex, sed necessarie est confugere ad Traditionem, & auctoritatem Ecclesiæ. V. g. Christus dicit Matth. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.* Sensus verus, & legitimus est, quod in baptismo pronuntiari debeant hæc verba. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* Et quod baptismus sine tali verborum pronuntiatione non sit validus. In hoc consentiunt nobiscum adversarij. At si aliquis negaret hunc esse sensum, & contendet nou opus esse pronuntiare hæc verba: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* sed omnino sufficere, si quis inter baptizandum habeat internam voluntatem, & intentionem baptizandi in nomine Sanctissimæ Trinitatis, quomodo illum confutaremus? An ex solis Scripturæ verbis? Nihil minus. Nam illa verba, *baptizantes eos in nomine Patris, &c.* non dicunt vocalem Trinitatis invocationem adhiberi oportere.

Unde ergo constat oportere? Ex praxi, & Traditione Ecclesiæ. Si hanc respuis, non habebis ullum præsidium contra adversarium, qui negaret vocalem prolationem necessariam esse.

18 Aliud exemplum. Christus dicit Joana. 3. v. 5. „Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu-Sancto, non potest introire in Regnum Dei. Hic locus, secundum verum, ac legitimum sensum, intelligitur de necessitate baptismi aquæ, ut nobilem factentur Lutherani. At Galvinistæ hoc negant: quomodo ergo refelli poterunt a Lutheranis? Non certe ex verbis citatis. Nam tametsi nominetur ibi aqua, non tamen additur expressè, quod debeat intelligi vera aqua. Nam & alibi nominatur ignis, ut Luc. 3. 16. *Ipse vos baptizavit in spiritu, & igne;* & tamen non intelligitur verus ignis. Unde ergo constabit in priori loco veram aquam intelligi oportere? aut unde Lutherani contra Calvinistas id probabunt. Non aliunde, quam ex praxi, & traditione Ecclesiæ.

19 Aliud, Christus in ultima cœna non solum instituit Eucharistiam, sed etiam locationem pedam adhibuit. Et quidem in institutione Eucha-

rificia dixit: *Comedite, Bibite: in lotione autem pedum: Et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Hic adversarij dicunt priora verba continere præceptum; posteriora non item. Ac proinde fideles divino præcepto obligari ad sumendum Eucharistiam sub utraque specie; non tamen ad lotionem pedum. Nunc quero, unde hoc ipsis constet? aut quo prætextu existimant se teneri quidem ad sumptionem utriusque speciei; sed tamen liberos esse à lotione pedum? Non possunt prætexere Scripturæ verba. Nam illam contrarium potius præferrunt. Hæc enim *comedite, & bibite*, non plus videntur significare quam si Paterfamilias dicat suis hospitibus: *Comedite, bibite, lati estote.* At si paterfamilias ita loqueretur, non censeretur illos velle sub præcepto obligare: cum ergo Christus eodem modo locutus sit, unde constabit, eum voluisse novo præcepto obligare omnes fideles ad utramque speciem? Hæc autem verba: *Vos debetis alter alterius lavare pedes*, videntur significare præceptum, non minus, quam si Dominus dicat servo: Tu debes mensam parare. Unde igitur sciunt se his verbis non obligari ad lavandos pedes, cum tamen hæc

verba obligationem præfereant? Ex sola praxi, & Traditione Ecclesiæ. Nam Ecclesia nunquam usurpavit hanc lotionem, tanquam necessariam; quod tamen fecisset, si divino præcepto putasset se ad illam obligari. Omitto similia exempla, quæ pañsim occurserunt.

20 Ex dictis concludimus: Scripturam potest dupliciter spectari. 1. Quoad externam litteram. 2. Quoad internum sensum, qui à Spiritu-Sancto intentus est. Neutro modo potest esse Judex controversiarum. Non priori; quia externa littera sapè dicit nos ad errorem. Nec posteriori; quia sensus Scripturæ sapè obscurus, & ambiguus est, ita ut opus sit alio Judice, qui definit hunc esse legitimum, & à Spiritu-Sancto intentum, illum non esse.

§. III.

21 **P**robatur 3. Multæ sunt controversiae circa fidem, & Religionem, quarum vel nulla fit mentio in Scriptura, vel certè non sufficiens ad hoc, ut Scriptura de illis sententiam ferre possit: Ergo in ijs dirimendis alias Judex querendus est. Ejusmodi autem controversiae sunt ha.

ha. Prima: *An libri Tobia, Judith, Sapientiae, Ecclesiastici, & Machabæorum sint Canonici, & divini, nec nè? Negant Lutherani, & Calvinistæ: Nos affirmamus. At quis erit Judex, qui litem hanc dirimat? Scriptura esse non potest. Nec Lutherani, & Calvinistæ, (quod bene notandum est) ad Scripturam provocant; sed ad Canonom, & Traditionem Judæorum. Ajunt libros istos in Canone Hebræorum, qui extat apud Hieronymum, non reperiri: ideoque pro Canonicis, ac Divinis haberi non posse. Farentur igitur, alium in hac causa Judicem, quam Scripturam, esse oportere. Et quem illum? Traditionem Judæorum. Mira res! Pluris Judæos, quas Christianos faciunt. Et cum ipsi Christiani esse velint, Christi, & Apostolorum Traditionibus infestissimi sunt, & Judæorum Traditionem in pretio habent. Cur non dicunt cum Augustino lib. 18. de Civit. Dei, cap. 36. *Machabæorum libros non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet?**

22 Secunda, *quot sint Sacra menta novæ legis?* Adversarij dicunt esse duo; Baptismum, & Eucharistiam: Catholici, septem. Quid autem Scrip-

tura? Nihil de hoc numero definit: ac proinde Judex in hac controversia esse non potest. Unde ergo Catholici habent Septenarium, si ex Scriptura non habent? Ex traditione, & consensu Ecclesiae. Unde adversarij binarium? Hoc ipsi viderint. Certè ex Scriptura non habent. Aut si putant se habere, speciatim præstant hæc tria: Primo, ostendunt ex Scriptura, nomen Sacramenti tribui Baptismo, & Eucharistia, non item Confirmationi, Ordini, Pœnitentia, Matrimonio, Extremæ-Utationi. Secundo, ex eadem Scriptura definiunt Sacramentum. Tertiò demonstrant definitionem convenire Baptismo, & Eucharistia, non autem reliquis. Hæc si præstiterint, salva res est. At nunquam præstabunt. Ac primo, ubi invenient locum Scripturæ, in quo nomen Sacramenti tribuitur Baptismo, & Eucharistia? Nusquam. At nos inveniamus ubi tribuitur Matrimonio. Sic enim scribit Apostolus, Ephes. 5. v. 31. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adhærebit uxori sua, & erunt duo in carne una. Sacramen tum hoc magnum est: Ego au tem dico in Christo, & in Ecclesia.* Quasi dicat: quod homo relinquat parentes suos,

&

& adhæreat uxori , hoc est magnum Sacramentum ; quia est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia ; idest , representat conjugium Christi , & Ecclesie .

23 Secundò , ubi inventant definitionem Sacramenti in Scriptura ? Lutherus quidem in lib. de Captivit. Babylon. cap. ult. sic definit : *Sacramentum est promissio signo externo annexa*. Melanc. in Apolog. Confess. Augustana , art. 13. sic : *Sacramentum est ritus , qui habet mandatum Dei , & cui addita est promissio gratiae* , id est , gratia & reconciliatio , seu remissionis peccatorum , ut ipse explicat in locis communibus , tit. de Num. Sacramentorum. Calvinus lib. 4. Instit. cap. 14. §. 1. sic : *Sacramentum est symbolum externum , quo benevolentia erga nos sae promissionem conscientijs nostris Dominus obsignat ad sustinuendam fidem nostrae imbecillitatem*. At haec definitiones non habentur in Scriptura ; immò nec inter se convenient , ut patet.

24 Tertiò , quidquid sit de definitionibus jam allatis , quas adversarij commenti sunt ; quomodo ex Scriptura poterant demonstrare , eas convenire Baptismo , & Eucharistia .

tia ? Non video . Experiāmus tamen . Una definitio est haec : *Sacramentum est ritus , qui habet mandatum Dei , & cui addita est promissio remissionis peccatorum*. Probat adversarij ex Scriptura , hanc definitionem convenire Eucharistia . Probat , inquam , ex Scriptura , Eucharistiam habere annexam promissionem remissionis peccatorum . Vel , quod idem est , Deum in Scriptura promittere nobis remissionem peccatorum , si ad hoc Sacramentum accedamus . Nunquam poterunt . Non enim hoc Sacramentum à Deo institutum est , ut homini remittat peccata , vel ut ex impio , & peccatore faciat justum , & sanctum ; sed ut justitiam , & sanctitatem , quæ in illo est , foveat , conservet , & augear . Immò tantum abest , ut remittat peccata , ut etiam ob sit peccatori , si cum conscientia peccati accedit . Hinc Apostol . 1. Corin. 11. v. 28 : *Probet autem seipsum homo , & sic de pane illo edat , & de calice bibat . Qui enim manducat , & bibit indigne , judicium sibi manducat , & bibit* . Et Christus in ultima Cœna non voluit Apostolis porrigit Eucharistiam , nisi præmissa pedum lotione . Nimirum ut significaret , neminem nisi lotum , pu-

rum , & immaculatum à culpa mortali ad mensam Christi admittendum esse. Et ratio sumitur ex ipsa natura hujus Sacramenti. Quid enim aliud est Eucharistia , quam cibus , & potus spiritualis , quo anima reficitur , & vegetatur? Joann. 6. v.56. *Caro mea verè est cibus , & sanguis meus verè est potus , &c.* Sicut ergo cibus , & potus corporalis non prodest corpori mortuo , sed vitam habenti : sic etiam , servata proportione , de Eucharistia dicendum est.

25 Tertia controversia.
 „ An Exorcismus , & aliae cæremoniæ in Ecclesia Catholica usitatæ possint adhiberi in baptismō? Lutherani eas admittunt , Calvinistæ rejiciunt. Neutrī tamen ex Scriptura suam sententiam possunt confirmare. Non quidem Lutherani , quia Scriptura nusquam dicit , ejusmodi cæremonias usurpandas , sed ex sola Traditione Ecclesiæ id habemus. De qua scribit August. lib. 2. de Nupt. & Concubil. cap. 29., Antiquissima , inquit , Ecclesiæ Traditione exorcizantur , & exsufflantur parvuli , ut in Regnum Christi à porestate tembrarum transferantur. Nec Calvinistæ , nisi forte hoc modo : Nullæ cæremoniæ usur-

pandas sunt in Ecclesia , nisi de quibus extat expressum mandatum in Scriptura : At nullum extat mandatum de cæremonijs , quas Catholici usurpant in Baptismo: Ergo tales cæremoniæ non sunt usurpandæ. Sed major propositio est falsa , & ipsis Calvinistis contraria est : nam C. Ivinista usurpat multas cæremonias in Baptismo , de quibus nullum extat mandatum in Scriptura. Cujusmodi sunt hæc. 1. Ut infans in Ecclesia coram universo populo baptizetur , idque vel die Dominico , vel aliquo alio , quo populus ad concionem venire solitus est. 2. Ut illi , qui afferunt infantem ad baptismum , interrogentur , an spondeant , se infantem , cum adoleverit , in fide , & moribus instructos. 3. Ut nomen imponatur infanti baptizando. 4. Ut formula Baptismi recitetur lingua patria. 5. Ut recitetur Symbolum , Oratio Dominica , & aliae preces. Has cæremonias præscribit Calvinus in libello de formula Sacramentorum ministrandorum. At ubi , obsecro , de his extat mandatum in Scriptura? Nusquam. Vel igitur condemnet has cæremonias necessæ est , vel fateatur , noui omnes damnandas esse , quæ in Scriptura mandatum non habent.

26 Quarta controversia. An infantes accipient actualem fidem in baptismo , an vero in Exorcismo? Hec controversia versatur inter Lutheranos. Et quidem Lutherus disserte docet , eos credere vi Exorcismi. At Philippus, Kemnitius , & alij , vi Baptismi. Quis erit Judex in hac lite? Si Scriptura est , quare non finit litem?

27 Quinta controversia. An baptizari ab hereticis sint rebaptizandi? Affirmavit olim Cyprianus Episcopus Carthaginensis,cum quibusdam alijs. Negabat Augustinus cum reliquis. Sed nec hi , nec illi poterant ex sola Scriptura hanc litem decidere. Nam Augustinus , qui veriorem partem amplectebatur , non aliunde, quam ex Apostolica Traditione , & praxi Ecclesiarum se tuebatur. Sic scribit lib. 2. de Bapt. contra Donatistas , cap. 7. *Quam consuetudinem (scilicet non repetendi baptismum) Credo ex Apostolica Traditione venientem.* Et lib. 5. c. 23. *Consuetudo illa, quae opponebatur Cypriano , ab Apostolorum Traditione Exordium sumpsisse credenda est.* Huic consuetudini celsit Cyprianus, quia videbat se omni praesidio Scripturæ destitutum esse. Sunt & aliæ similes controversiae,

quæ ex sola Scriptura decidi non possunt , sed alio Judice opus habent. Eas obiter insinuabo. Sunt autem haec . 1. An baptismus una mersione , aut tripla conferri debeat? 2. An Christiani loco Sabbati debant colere diem Dominicum ? 3. An B. Maria manserit Virgo post partum ? 4. An Petrus Apostolus fuerit Romana Ecclesia Episcopus? 5. An Symbolum fidei sit vere Canonicum , & Apostolicum? 6. An in veteri Testamento fuerit aliquod exterum remedium pro feminis contra peccatum originale , &c.

g. IV.

28 Robatur 4. Catholicorum sententia. Nam certum est , in veteri Testamento omnes controversias legales , quæ erant majoris momenti , à Summo Sacerdote , seu Pontifice , tanquam à Supremo in terris Judice, non autem à Scriptura dirimi , ac definiri potuisse. Hoc testatur Josephus lib. 2. contra Apionem , cum ait: „ Ponitifex ante alios Sacerdotes „ Deo sacrificat , leges custodi- „ dit , dijudicat controversias , „ convictos delicti punit : cui „ qui non obedit , is poenas „ luit , tanquam in Deum „ im-

„ impius. Et manifeste colligitur ex illo Deut. 17. v. 8. *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram.* & *Judicum intraportas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicij veritatem. Et facies quodcumque dicxerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequarisque sententiam eorum, nec de linabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.*

29 Porro, quod Scriptura ipsa per se nec fuerit, nec potuerit esse Judex hujusmodi controversiarum, facile probari potest. Nam Scriptura, quæ tunc extabat, præsertim primis aliquot sæculis, non erat feré alia, quam lex Mosaica, seu volumen fœderis, ac Deuteronomij. De hoc autem volumine tria sunt certa. Primo, primarium ipsius exemplar,

Tom. III.

plar, quod Autographum vocant, fuisse conscriptum à Moysè, & à Sacerdotibus positum in arca fœderis Domini, ibique asservatum, ut esset authenticum instrumentum, ex quo certo, ac legitimè constare posset, quænam esset Dei voluntas, & dispositio: Deut. 31. v. 24. Secundò, interpretationem illius, in re dubia, commissam fuisse Sacerdotibus, ac potissimum Summo Sacerdoti, seu Pontifici: Deut. 17. v. 8. & Aggæi 2. v. 12. & Malach. 2. v. 7. Tertiò, hoc ipsum exemplar authenticum semel tantum in septenario, quando erat annus remissionis, debuisse à Sacerdotibus prælegi universo populo in solemnitate Tabernaculorum: Deut. 30. v. 10. Hinc sequitur primò, populum non habuisse primarium, & authenticum exemplar legis Mosaiæ, sed solos Sacerdotes. Si ergo extra solemnitatem Tabernaculorum, quo cumque alio tempore septennij orta fuisse aliqua controversia legalis, populus non potuisse consulere authenticum exemplar, quod non habebat, sed debuisse adire Sacerdotem, & ab eo, tanquam ordinario Judice, petere sententiam definitivam. Secundò sequitur, etiam si populus habuisset exemplar,

Ggg plar,

plar, non tamen potuisset ex eo controversiam ullam dirimere; Non enim populi, sed Sacerdotis, & maximè Pontificis erat legem Mosaicam, ex qua nascebantur controversiarum interpretari.

30 Sed quæres, quare interpretatio legis, & consequenter decisio controversiarum legalium pertinuerit potius ad Pontificem, quam ad alios? Ratio dubitandi est, quia poterat fieri, ut non minus alij essent periti in lege, quam Pontifex: immo etiam magis. Respond. Si spectemus industriam humanam, certum est, non minus alios, quam Pontificem, potuisse legem intelligere, & interpretari. Si autem spectemus assidentiam Spiritus Sancti, quæ sanè potissimum in hoc negotio spectandum est, ea Pontifici potius, quam alijs, fuit communicata. Exemplum habemus in Moysè. Nam Deus concessit illi majorem assidentiam, quam Septuaginta Senioribus, qui illi in hoc officio subserviebant. Hoc colligitur ex illo Num. 11. v. 17. *Dixit Dominus ad Moysen: Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi.* Ubi per spiritum intelligi debet aliquod donum gratiæ, quod requiri-

tur in iis, qui recte volunt alios gubernare, & eorum controversias dirimere. Est ergo hic sensus: *Auferam de spiritu tuo, & tradam eis,* idest, dabo illis donum gratiæ, sed infra illud donum, quod tu habes. Tibi, qui supremus Jūdex es, plū dari oportuit, quam illis, qui tibi subjecti sunt.

31 Quæres 2. *An Pontifex in decisione controversiarum fuerit Jūdex infallibilis?* Respond. Omnidò fuit infallibilis. Quod tripliciter probo. Primò, ex discriminé; quod erat inter Summ. Pontificem, & alios inferiores Judices. Nam quando oricbatur aliqua controversia difficultior, in cuius decisione inferiores Judices, vel dissentiebant, vel veritatem attingere non poterant, volebat Deus, ut partes litigantes deferrent eam ad Pontificem, in superiori Concilio præsidentem, cum hac promissione, quod ab eo accepturi essent judicij veritatem: Deut. 17. v. 9. At si Pontifex in tali casu fuisset fallibilis, non accepissent ab eo Judicij veritatem, nec promissio Dei fuisset impleta: Ergo dicendum est, in tali casu falli non potuisse. Secundò, ex mandato Dei. Nam Deus sub pena mortis mandabat omni-

nibus , ut acquiescerent sententiæ Pontificis , Deut. 17. 12. At certum est, non mandasse , ut acquiescerent sententiæ falsæ , præsertim in negotio fidei , ac religionis : Ergo certum est, sententiam Pontificis, præsertim in negotio fidei , ac religionis , non potuisse esse falsam , sed ex peculiari Dei assistentia infallibilem . Tertiò , ex parte litigantium . Nam si Pontifex , quando publicè in Concilio pronuntiabat sententiam , potuisset falli , vel à legitimo Scripturæ sensu aberrare , nunquam litigantes , qui illum consulebant , fuissent securi . Cùr ergo sub pœna capitis tenabantur sequi illius decisionem ? Cùr altera pars cum tanto onere , debebat subjacere sententiæ contra se latæ , quam poterant suspicari falsam , & iniquam esse ? Denique , cùr totus populus in negotio religionis jubebatur id sequi , quod Pontifex judicabat sequi oportere , si Pontifex errare poterat ?

§. V.

32 P robatur 5. ex usu , & praxi novi Testamen-
ti. Tempore Apostolorum fuit
orta controversia de circumci-

sione: An , scilicet , novi Christiani , qui tunc fidem Evangelij recipiebant , non possent salvari , nisi etiam circumcidarentur , & legalia servarent ? Quæ controversia potissimum intelligebatur de gentilibas ad fidem conversis . Erat autem duplex de hac re sententia . Una quorundam , qui ex Judæis facti erant Christiani , qui dicebant , gentiles per fidem Christi non posse salvari , nisi circumcidarentur , & cæremonias legis Moysæ observarent . Altera Pauli , & Barnabæ qui asserabant non opus esse circumcisione , & observatione legalium . Actor . 15. v. 1. At quomodo decisæ , & finita est hæc controversia ? An ad solam Scripturam , tanquam ad communem Judicem delata est ? Nihil minus . Sed potius ex consensu utriusque partis delecti sunt aliqui , qui Jerosolymam irent ad Apostolos , ut ipsi in solemnni Concilio de tota re cognoscerent , & definitivam sententiam pronuntiarent . Quod & factum est . Nam ex una parte designati sunt Paulus , & Barnabas : ex altera alij : qui simul Jerosolymam profecti Apostolos , & seniores adierunt . Hi , coacto Concilio , & invocato Spiritu Sancto , responderunt his verbis : Visum



est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Quæ verba per modum Epistola Misa sunt ad gentiles Christianos, de quibus agebatur. Et sensus est. Non volumus vobis imponere onus circumcisionis, & legalium, quod grave est: sed abstinet ab his, quæ jam dicta sunt, quod grave non est.

33 Hic duo, quæ ad rem faciunt, notanda sunt. Primum est, quod haec controversia de circumcisione, & legalibus sufficienter potuisse determinari per Paulum, & Barnabam, qui ambo erant & Apostoli, & Prophetæ, & Doctores; Act. 13. v.1. Ambo à Spiritu Sancto speciatim delecti, ut Evangelium gentibus prædicarent; Act. 13. v.2. Et jam re ipsa illud prædicaverant in multis locis, ac Provincijs, Act. 14. v.26. Neuter tamen voluit hoc officium usurpare, ut suo exemplo doorent, hujusmodi controversias, quæ fidem, ac religionem concernunt, ad Ordinarios Ecclesiæ Prælatos, vel ad Concilia Prælatorum deferri oportere.

34 Alterum est, quod in Concilio Apostolorum, in quo controversia illa proposita, & definita est, nullum Scripturæ testimonium, quod directe ad circumcisionem pertineret, alatum sit: cum tamen in utramque partem non de futura fuissent testimonia, si ex illis solis oportuisset litem finire, ac terminare. Nam pro circumcisione adduci potuisset illud Gen. 17. 10. „Hoc est pactum meum, quod observabitis, inter me, & vos, & semen tuum post te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem præputij vestri, ut sit in signum foederis inter me, & vos, &c. Tam vernaculus, quam emptius circumcidetur, & qui cumque non fuerit de stirpe vestra: Eritque pactum meum in carne vestra in fœdus aeternum. At si pactum est aeternum, ut hic dicitur, semper servari necessè est, etiam in lege Evangelica, nec solùm à Judæis, sed etiam ab alijs, qui non sunt de stirpe Judæorum. Contra vero occurrebat illud Deuteron. 30. v.6. Circumcidet Dominus tuus cor tuum, & cor seminis tui. Ubi insinuatur circumcisionem carnis non duraturam in novo Testamento, sed ei successuram cir-

circumcisionem cordis. Sicut etiam Jerem. 4. v. 4. *Circumcidimini Domino, & auferite præputium cordium vestrorum.* Quasi dicat. Non requiro circumcisionem carnis, sed cordis, quæ consistit in interna contritione, & dolore de peccatis. Hæc, & similia utrinque adduci poterant ex Scriptura. At factum non est: sed Apostoli in Concilio congregati, ex directione, & assistentia divina, quam Christus promiserat illis, & eorum successoribus, sententiam protulerunt.

35 Post tempora Apostolorum alia, atque alia controversiae diversis locis, ac ætatis tibus exortæ sunt, quas similiter à Pontifice Romano, vel à Concilio ab eo approbato decisas, ac diremptas esse ex Historijs Ecclesiasticis notum est. Et qui illorum sententiaz noluerunt acquiescere, pro hereticis habiti, & damnati sunt. Producam exempla aliquot illustriora, quæ primum occurserunt. *Prima* controversia fuit, an Pascha deberet celebrari cum Judæis decima quarta primi mensis, ut volebant multi in Asia, qui propterea Quartodecimani appellati sunt. An vero tantum die Dominicæ, sicut nunc fit? Hæc tandem post multa Concilia Episcopo-

rum decisa, ac finita est à Vicatore Papa, ann. 189. *Secunda:* An Ecclesia posset illos absolvere à peccatis, qui post baptismum lapsi essent? Negavit Novatianus. Sed damnatus est in Concilio Romano sub Cornelio Papa, ann. 255. *Tertia:* An in Deo sint tres personæ realiter distinctæ? Negavit Sabellius, afferens, unam tantum esse personam, quæ habet tria officia, Creationis, Redemptionis, & Sanctificationis. Sed damnatus est in Concilio Alexand. tempore Sylvestri Papæ, ann. 319. juxta Baronium.

36 *Quarta:* An Christus sit putus homo, sicut cæteri mortales, & nihil amplius habeat in natura, & hypostasi, quâm nos habemus? Affirmavit Paulus Samosateus: sed damnatus est in Synodo Antiochenæ tempore Dionysij Papæ, ann. 266. juxta Baron. *Quinta:* An Christus sit Verbum Patris æternum, & ejusdem cum Patre substantia? Negavit Arius, afferens esse Verbum Verbi, non ab aeterno, sed in tempore à Deo ex nihilo creatum, & alterius à Deo substantia: ac proinde Deum non semper Patrem fuisse, sed tempus aliquando extitisse, cum non esset Pater. Sed damnatus est in generali Concilio Nicæno.

no I. sub Sylvestro Papa, & Constantino Imperatore, ann. 325. Videantur duæ Epist. Alexandri Episcopi Alexandrinî, quarum una extat apud Socratem, lib. I. cap. 3. altera apud Theodoretum, lib. I. cap. 4. *Sexta*: An in Christo sint duæ personæ ; sicut sunt duæ naturæ divina, & humana? Affirmavit Nestorius Episcopus Constantinopolitanus. Sed damnatus est in generali Concilio Ephesino, sub Cælestino Papa, & Theodosio Imperatore, ann. 454. & prius à Cyrillo in Concilio Alexandrino, ann. 431. Vide Baron. *Septima*: An in Christo sint duæ naturæ ? Euthyches, & Dioscorus dixerunt, ante unionem hypostaticam fuisse duas naturas, divinam, & humanam : post unionem duas in unam coaluisse, & unam factam esse. Sed damnati sunt in generali Concil. Chalcedonensi, sub Leone Papa, & Marciano Imperat. ann. 454.

37 *Octava*: An in Christo sit una tantum voluntas? Macarius, Antiochenus Patriarcha, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus, & quidam alij, tametsi agnoscerent in Christo duas naturas, dixerunt tamen unam tantum esse voluntatem, nempè divi-

nam, ut refert D. Thom. in 3. part. q. 18. art. 1. Ideoque Monothelitæ appellati sunt. Eorum sententia damnata est in generali Concil. Constantinopolitano III. sub Agathone Papa, & Constantino IV. Imperatore, ann. 679. *Nona*: An Spiritus Sanctus sit Deus? Negarunt Macedoniani. Hi damnati sunt in generali Concil. Constantinopolitano I. sub Damaso Papa, & Theodosio Imperat. ann. 383.

38 *Decima*: An baptismus repeti, seu reiterari possit? Quæ controversia duplum potest intelligi. Primo: An baptismus, si semel validè colatus sit, repeti possit? Affirmavit Marcion, teste Epiphanius hæresi 42, ubi de Marcione sic scribit: „Cum currupisset in civitate sua Virginem, & aufugisset, atque in magna delicto inventus esset, excogitavit præstigiator sibi ipsi secundum lavacrum, asserens licere usque ad tria lavaca, hoc est, tres baptismos dare in remissionem peccatorum : quod si quis lapsus esset post primum, pœnitentia acta, accipiat secundum; & tertium similiiter, si in delicto post secundum comperiatur. Secundo, an baptismus, qui ab hæ-

hæreticis collatus est , repeti possit ? Affirmarunt Donatisti ; qui baptizatos à Catholicis rebaptizabant , teste Aug. in lib de Hæresibus , c. 69. eo quod Catholicos haberent pro hæreticis , & baptismum ab hæreticis collatum putarent esse invalidum. Hi damnati sunt in Conc. Romano , sub Melchiade Papa , ann. 313. apud Baron.

39 Undecima : An homo sine gratia Dei per solas naturæ vites possit implere legem , si velit ? Affirmarunt Pelagius , & Coelestius. Sed damnati sunt in Concilio Carthaginensi , & Milevitano , sub Innocentio I. ann. 416. juxta Baronij computum. Duodecima ; An parvuli nascantur in peccato originali , & ad illud peccatum abolendum indigent Baptismo ? Negarunt ijdem Authores Pelagius , & Coelestius , teste Aug. in lib. de Hæres. c. 88. ubi de illis sic habet : *Parvulos etiam negant , secundum Adam carnaliter natos contagium mortis antiquæ prima nativitate contrahere. Sic enim eos sine ullo peccati originalis vinculo affirunt nasci , ut prorsus non sit , quod eis oporteat secunda nativitate dimitti : sed eos propterea baptizari , ut regeneratione adoptati admittan-*

tur ad Regnum Dei , de bono in melius translati , non ista renovatione ab aliquo malo obligationis veteris absoluti. Hic error damnatus est in Conc. Milevitano , cap. 2. & postea à Zosimo Papa , ut testatur idem Aug. in lib. de Pec- cato origin. c. 6. & sequentibus.

40 In his , & similibus controversijs tria consideranda sunt. Primo , quod altera pars litigantium clare , & perspicue damnata sit. Secundo , quod hæc condemnatio facta sit ab Ecclesia Catholica , tanquam a Judice : quæ aliquando tulit sententiam per Pontificem , qui est caput , seu Pastor Ecclesiæ : aliquando per Concilia , quæ repræsentant Ecclesiam. Tertio , quod Lutherani , & Calvinistæ agnoscant hanc damnationem legitime factam esse. Fatentur enim Novatianum , Sabellium , Samolatenum , Arium , Nestorium , Euthychen , & Dioscorum , Monothelitas , Macedonianos , Donatistas , Pelagianos meritò damnatos esse , & pro hæreticis haberi oportere. Nec aliunde , quam ex Catholica Ecclesiæ decisio ne. Quod si sola Scriptura esset Judex , & Ecclesia suam sententiam non interposuisset , in hodiernum usque diem durarent istæ controversiæ , nec adhuc

adhuc clare, & palam omnibus constaret, supradictos Authores pro hæreticis habendos esse. Nunc, cum ab Ecclesia damnati sint, res certa, & indubitata est.

41 Dices: Quid si Ecclesia errasset in ferenda sententia? Respond. Hoc tantumdem est, ac si dicas: Quid si Christus, Apostoli, ac Prophetæ mentiti essent? Nam illi testati sunt, Ecclesiam errare, aut deficere non posse. Est enim, ut loquitur Christus, *Fundata supra petram, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. 16. v. 18. *Est columnæ, & firmamentum veritatis.* 1. Timoth. 3. 15. *Faspis est propugnaculum ejus,* Isai. 54. v. 4. 12. & 17. *Nunquam confundetur neque erubescet.* Et omnis lingua resistens illi in iudicio condemnabitur.

42 Sed instat Gardius Lutheranus, Ecclesiam dupliciter sumi posse. 1. Pro tota Ecclesia collectivè sumpta, quantum constat ex omnibus fidelibus, qui toto orbe dispersi sunt. 2. Pro Concilio Episcoporum, quod repræsentat Ecclesiam. At igitur, Ecclesiam priori modo sumptam errare non posse; posteriori non solum posse, sed etiam errasse. Quod probat dupli-

ter. 1. Authoritate Bellarmi- ni, qui fatetur Concilia, tam generalia, quam particularia errare posse, quando non accedit confirmatio Pontificis. 2. Exemplo variorum Conciliorum, quæ re ipsa errarunt. Adducit autem duo genera Conciliorum: alia, quæ errarunt ex concessione Catholicon: alia, quæ absolute errarunt. Prioris generis sunt hæc. 1. Ariminense, Seleucium, & Ephesinum. 2. fatente Bellarmino. 2. Constantinopolitanum I. & Calcedonense, decernendo, Episcopum Constantinopolitanum debere esse parem, & æqualem Romano Pontifici. 3. Constantiense, & Basiliense definiendo Concilium esse supra Papam. Posterioris sunt hæc. 1. Neocæsariense, decernendo, Presbyterum non debere interesse secundis nuptijs. 2. Carthaginense IV. statuens, Episcopum non debere legere libros gentilium, nec rei familiaris curam gerere. 3. Toletanum I. definiens eum, qui pro uxore habet concubinam, à communione repellendum non esse. 4. Nicœnum II. sanciens cultum, & adorationem Imaginum. 5. Constantiense, adiimens laicis communionem Calicis. 6. Tridentinum, statuens plurima decreta contra

Scrip-

Scripturam, & consensum Patrum, ut Kemnitius ad oculum demonstravit.

43 Certe oleum, & operam perdit Gardius. Primo, quia nos fatemur concilia errare posse, nisi a Pontifice sint approbata. Et hanc scit nostram esse sententiam. Cùr ergo tot exempla accumulat, ut id probet, quod nos ultradamus? Duplici, ut opinor, de causa id facit. 1. Ut simpliciores Lutherani concipient magnam opinionem de Gardio, quasi is illustrarit, & examinaverit omnia Concilia, qua hæc enus in Ecclesia celebrata sunt. Si scirent, illum ex Bellarmino Catholico, & Hannio Lutherano transcripisse, non tanti eum estimarent. 2. Ut etiam Catholicis, præsertim rudioribus, possit persuadere, non temere tot Concilia ab ipso citata esse. Sed non obtinebit quod vult. Notæ sunt Prædicantium imposturæ, ut facile caveri, & contemni queant.

44 Deinde multa ex ijs, qua dixit, falsa sunt. Ac primo falsum est, Concilium Constantinopolitanum primum decreuisse, Episcopum Constantinopolitanum debere esse parem, & aqualem Episcopo Romano. Nusquam hoc invenio in Concilio. Invenio quidam, cap. 5. hæc verba:

Tom. III.

Constantinopolitane Civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum, propter quod sit nova Roma. Sed aliud est esse parem, & aqualem Episcopo Romano, aliud esse proximum post Episcopum Romanum. Hoc posterior invenio. Prius non item.

45 Secundo falsum est errasse Concilium Carthaginense quartum, statuendo, Episcopum non debere legere libros gentilium, nec rei familiaris curam gerere. Nullus hic error est, sed præceptum, vel consilium Ecclesiasticum. Potest enim Ecclesia suadere, vel etiam legitimis ex causis mandare, ut Episcopi abstinent a lectione librorum Gentilium, & vacent lectioni Scripturarum, & SS. Patrum. Similiter, ut non implicent se curis, & negotijs secularibus, sed occupentur officio Pastorali, quod ipsis incumbit. Et hoc est conforme Scriptura, 1. Timott'. 4. 16. *Attende tibi, & doctrine: insta in illis.* Et 2. Timoth. cap. 2. v. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Et Acta cap. 6. v. 2. *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.*

46 Tertio falsum est errasse Concilium Tolitanum I. definiens eum, qui pro uxore

Hhh ha-

habet concubinam , à communiōne repellendum non es-
se. Non est error Concilij, sed imperitia Gardij, Concilium Can. 17. sic habet : *Si quis habens uxorem fidem , & concubinam habeat, non communicet. Ceterum is, qui non habet uxorem , & pro uxore concubinam habet , à communiōne non repellatur : tantum ut unius mulieris , aut uxoris , aut concubinae (ut ei placuerit) sit conjunctio- ne contentus. Alias vivens abiciatur , donec desinat , & ad pœnitentiam reverta- tur. Ubi per concubinam non intelligitur fornicaria, quæ ex- tra matrimonium vivit , ut putat Gardius , qui Canōnem non examinavit , sed uxor, quæ sine externa solemnitate viro conjuncta est , ut patet ex Jure Canonico apud Gratianum dist. 34. can. 3. ubi sic dicitur : *Concubina autem hic intelligitur , quæ cestib⁹ legalibus instrumentis unita est , & conjungali affectu ad- ciscitur. Hanc conjugem facit affectus : concubina vero lex nominat. Et Gloss. ibid. Acci- pitur hic concubina , quæ cog- noscitur uxoris affectus , sed non fuit ducta cum solemnitate. Et talem lex concubinam votat. Itaque is , qui non du- xit uxorm cum solemnitate , sed tamen habet concubinam,**

quam affectu maritali accepit sine solemnitate , non propte- reā repellendus est à communiōne. Nihil erroris hic est. Eodem sensu loquitur Isido- rus de distantia novi , & ve- teris Testamenti , com ait: Christiano non dicam pluri- mas , sed nec duas simul habe- re licitum est , nisi unam tan- tum aut uxorē , aut certe lo- co uxorē (si conjux deest) con- cubinam. Refertur apud Gratian. loc. cit. cap. 5. Vi- deatur Aug. lib. de bono con- jugal. cap. 5. i. si falsop. ob-

47 Quarto , falsum est , errasse Concilium Nicænum II. sinciendo cultum , & adoratiōnem Imaginum : Itemque Constantiense , adimendo laicis communionem Calicis. Gardius quidem dicit errasse , sed non probat. Eodem jure liceat nos dicere , Gardium errare. Sed extant de utroque punto doctissimæ controver- siae jam pridem à nostris conscriptæ , & divulgatae. Eas op- pugnet ipse , si vir est.

48 Quinto , falsum est , Concilium Tridentinum san- xisse plurima decretal contra Scripturam , & consensum Patrum. Nec aliunde hoc pro- bat Gardius ; quam authoriti- tate Kemnitij Lutherani , qui propter apertissima mendacia , quibus secent ipsius libri contra Concilium Tri- den-

dentinum, merito infamis est.

49 Robatur 6. ex analogia iuris Civilium, & Politicarum.

Inter res fidei, ac religionis ex una parte, & inter res civiles, & politicas ex altera potest spectari multiplex analogia. 1. Sicut in politicis, ac civilibus saepe oriuntur lites, ac controversiae, quæ requirunt aliquem Judicem, qui sententiam ferat inter partes litigantes, sic etiam in fidei, ac religione. 2. Sicut in controversijs civilibus distinguntur hac tria, Judex, Lex scripta, & consuetudo; sic etiam in controversijs fidei hæc tria, Judex, Scriptura utriusque Testamenti, & Traditio. 3. Sicut Princeps, vel Magistratus sacerdotalis fungitur officio Judicis in decisione controversiarum ci-vilium; sic etiam Princeps Ecclesiæ, vel Synodus Ecclesiastica fungitur officio Judicis in decisione controversiarum fidei. 4. Sicut lex scripta est quasi norma quadam, seu regula, quam sequitur Judex sacerdotalis in decidendis controversijs civilibus; sic etiam Scriptura utriusque Testamenti est quasi norma quadam,

seu regula i, quam sequitur Judex Ecclesiasticus in decidendis controversijs fidei. 5. Sicut sola lex scripta non est sufficiens, & integra norma omnium controversiarum ci-vilium, sed lex scripta, & consuetudo simul; sic etiam sola Scriptura utriusque Tes-tamenti non est sufficiens, & integra norma omnium con-troversiarum fidei, sed Scriptura, & traditio simul.

50. Hæc clara sunt. Nihilominus, ne quis dubitet, singula breviter explicavimus: Ac primò, quod Princeps, vel Magistratus sacerdotalis fungatur officio Judicis in contro-versijs civilibus, non eget longa probatione. Hoc enim testatur quotidiana experientia in omnibus Regnis, ac Provincijs. Nam ubique conten-tiones, & causæ civiles deferunt ad Principem, vel Magistratum sacerdotalem, quem partes litigantes agnoscunt pro legitimo suo Judice. Quod etiam ex utroque iure, tam Civili, quam Canonico notissimum est. Nam in utroque extant tituli: *De officio Juri-
cis ordinarij, & delegati.* Nec ullus in hac re tam peregrinus haud stupidus est, ut per Judicem ordinarium, aut delegatum intelligat Legem scrip-tam, cum constet illum esse

ordinarium , qui ordinariam habet jurisdictionem , & potestatem : illum vero delegatum , qui accepta ab ordinario potestate , vicem illius gerit.

51 Deinde , quod lex scripta non possit esse Judex , facile probari potest . Et quidem in his tribus casibus . Primò , quando ipsa obscura , aut ambigua est : Tunc enī opus est alio Judice , seu interprete qui mentem illius explicet . Secundò , quando una lex videtur alteri repugnare , quod frequentissimè contingit : Tunc etiam Judex adhibendus est , qui eas inter se conciliet . Terterò , quando verba legis , quæ generalia sunt , restringenda essent in aliquo casu , & tamen restricta non sunt . Quod tunc fit , quando occurrit aliquis casus particularis , quem Legislator , cùm legem conderet , non prævidit eventurum : et si prævidisset , non voluisset illum sub lege sua comprehendere . In tali igitur casu contra legis verba judicandum est . Et quis erit tunc Judex ? Non lex ipsa . Nam illa seipsum non destruit , aut judicat . Alius ergo distinctus à lege .

52 Postremo , quod sola lex scripta non possit esse sufficiens norma pro decisione quarumcumque controversiarum

civilium , sed præter legem scriptam admittenda sit etiam consuetudo , certissimum est apud Jurisconsultos . Ac potissimum in duplice casu . Primo , quando movetur aliqua controversia , de qua nulla extat lex scripta . Tunc enim consuetudo , si adsit , vim legis obtinet , juxta illud : Ea , que longa consuetudine comprobata sunt , ac per annos plurimos observata , velut tacita civium conventione , non minus , quam ea , quæ scripta sunt , jure servantur . L. 35. ff. de Legib . Secundò , quando extat quidem lex scripta , sed ambigitur de mente , ac sensu illius , nec aliunde , quam ex consuetudine , & traditione de ea constare potestate potest . Tunc enim locum habet illud : Optima legum interpres est consuetudo , L. 37. ibid . Itemque illud : Imperator noster Severus rescripsit , in ambiguitatibus , quæ ex legibus proficiuntur , consuetudinem , aut rerum perpetuo similiter judicatarum autoritatem vim legis obtinere deberet , L. 38. ibid .

53 Dices . Quid si occurrat aliqua controversia , quæ nec ex lege scripta , nec ex consuetudine definiti possit ? quæ tunc erit norma , quam Judex sequi debet ? Respond . Tunc

Tunc ex naturali æquitate debet rem componere. Hoc tunc potissimum fit, quando occurrit aliquis casus, qui comprehenditur quidem sub verbis legis, non tamen sub mente Legislatoris, ut dictum est. Tunc enim Judex ex aquo, & bono debet sententiam pronuntiare. Idem fieri potest in controversijs fidei, aut religionis. Nam si occurreret aliqua controversia, quæ neque aperte ex Scriptura, neque ex Traditione decidi possit, recurrentum esset ad auxilium Spiritus Sancti, qui tametsi in omni casu implorantibus adesse solet, in hoc tamen speciatim doceret nos omnem veritatem, ut Christus promisit. Et hoc remedio usi sunt Apostoli in Concilio Jerosolymitano, ubi agebatur de circumcisione, & observatione legalium.

OBJECTIONES ADVERSARIORUM DILUUNTUR.

54 **P**rima sumitur ex illo I^oai.8.v.20. *Ad legem magis, & ad testimonium.* Hinc colligunt, Judæos in veteri Testamento, quandocumque oriebatur aliqua controversia, ex mandato Dei missos fuisse ad legem, & testimonium, id est ad Scripturam,

tanquam ad Judicem. Sed valde errant. Primò, quia jam supra ostensum est. Judicem controversiarum in veteri Testamento non fuisse Scripturam, sed Pontificem. Secundò, quia illa verba, *Ad legem, & ad testimonium*, multo aliter accipienda sunt, quam putant adversarij, ut patet ex præcedentibus, quæ sic habent: *Cum dixerint ad vos: Quarite à pythonibus, & à divinis, & qui strident inchantmentibus suis: Nunquid non populus à Deo suo requiret pro vivis, ac mortuis? Ad legem magis, & ad testimonium.* Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Ubi diserte agitur contra illos, qui de futuris eventibus solent consulere Pythonissas, & Ariolos, & remittuntur partim ad legem, quæ id prohibebat, (Deuter. 18. v. 9.) *Quando ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue, ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inveneris in te, qui pythones consulat, aut divinos, aut querat a mortuis veritatem: partim ad testimonium Prophetatum, qui à Deo constituti erant, ut futura prædicerent.* 3. Reg. 22. v. 7. *Dixit autem Iosephat,* *Non est hic Propheta Dominus quis?*

qui spiam, ut interrogemus per eum?

55 Igitur sensus illorum verborum, *i ad legem magis, & ad testimonium*, est hic: si vultis fieri certiores de futuris eventibus, non debetis consulere Pythonissas sicut fecit Saul, 1. Reg. 27. 7. quia hoc Deus per legem suam fieri prohibuit, ad quam vos remitto: sed consulite Propheta Domini quorum officium est de futuris praeuentiis. Quid hoc facit ad Judicem controversiarum? Nihil penitus. Nisi adversarij velint hoc modo ratiocinari: De futuris eventibus non licet consulere Pythonissas: Ergo sola Scriptura est Judex controversiarum. Ineptissime. Et tamen, quod miseris, præcipui illorum Rabbiis sic ineptiunt. De quibus bene præmonuit nos Christus: *Sinite illos, cœci sunt, & duces cœrorum.*

56 Sed duo contra hanc solutionem opponit Gardius. Primo, in tota Scriptura nullum locum monstrari posse, ubi vox *Testimonij* significet testimonium Prophetarum futura prædicentium. At nos monstrabimus locum, Act. 10. v. 43: „Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes

„ qui credunt in eum. Deinde opponit legem, & testimonium pro eodem accipi, neimpè; pro Scriptura. Et contineri generale mandatum, quo omnes, in quibuscumque rebus dubijs obligati sunt recurrere ad solam Scripturam. Non ita est. Tametsi enim verum sit, legem, & testimonium aliquando sumi pro eodem, quod non negamus: tamen hoc loco distincta sunt. Et per legem intelligitur Lex illa particularis, de qua dixit: „Quan- „ do ingressus foeris terram, „ quam Dominus tuus dabit „ tibi, cave, ne imitari velis „ abominationes illarum gen- „ tium: nec inveniatur in „ te, qui pythones consu- „ lat, aut divinos, aut qua- „ rat à mortuis veritatem. Et per testimonium intelligi- tur responsum Sacerdotum, & Prophetarum, quod viva vo- ce soliti erant dare, quando in rebus dubijs à populo, vel Rege consulebantur.

57 Hoc dupliciter proba- mus. Primo, quia si lex, & testimonium loco cit. sumere- tur pro Scriptura, & manda- tum esset, ut Judæi in rebus dubijs recurrerent ad solam Scripturam, ut Gardius inter- pretatur; jam omnes illi pec- cassent contra hoc mandatum, qui in rebus dubijs consule- bant

bant Prophetas, & Sacerdotes, ut David, Josaphat, & alij plures in Scriptura laudati. Immò Deus dedisset duo contraria mandata: Unum, quo juvabantur in rebus dubijs consulere solam Scripturam, ut vult Gardius. Alterum, quo juvabantur consulere Sacerdotes, & Prophetas, Deuter. 17. 8. & cap. 18. v. 15. Hæc absurdia sunt: Ergo & illud ex quo sequitur.

58 Secundò, quia si Judæi de iis omnibus, de quibus gentiles consulebant Pythones, & Ariolos, debuissent consulere legem, & testimoniuni, idest, solam Scripturam, ut Gardius contendit, debuissent etiam consulere solam Scripturam de futuris eventibus, de quibus vel maxime gentiles consulebant Pythones, & Ariolos: At Scriptura nihil determinate poterat pronuntiare de futuris eventibus: Ergo frustra illam consuluerint. Deus autem nihil frustra mandat fieri. Dabo exemplum, quo res illustretur. Josaphat Rex Iuda volebat scire, quis esset futurus eventus, si obsideret Ramoth Galaad? An, scilicet, posset eam expugnare, nec nè? Quid ergo fecit? Consuluit Prophetam, ut viua voce responsum ab eo acciperet: 3. Reg. 22:

v. 5. Idem in simili casu fecerunt David, & alij. Et recte. Frusta ergo urgent adversarij ad solam Scripturam remissos esse.

59 Secunda objectio sumitur ex illo Joan. 5. v. 39. Scrutamini Scripturas. Ecce, inquiunt, adversarij, Christus remittit nos ad Scripturam, tanquam ad Judicem controversiarum. Hoc certè non dicerent, si intelligerent mentem Christi. Christus in illo cap. disputat cum Judæis, qui negabant ipsum esse Filium Dei. Ipse autem probat se esse, quatuor testimonij. Primò, testimonio Joann. Baptistæ, *Vos, inquit, misistis ad Joannem, & testimonium perhibuit veritati.* Erat autem hoc ipsius testimonium: *Ecce agnus Dei, ecco qui tollit peccata mundi.* Et iterum: *Ego testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei,* Joan. 1. v. 34. Secundò, Testimonio miraculorum, quæ patrabat. *Ego, inquit, habeo testimonium maius joanne.* Opera enim, quæ dedit mibi Pater ut perficiam ea, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me. Tertiò, testimonio Dei Patris. *Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me;* nempe cum dixit de Cœlo: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene-*

nè complacui, ipsum audite.
Matth. 3. vers. 17. & Luc. 9. v.
35. Quarto, testimonio Scripturarum veteris Testamenti.
Scrutamini, ait, Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam eternam habere, & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me:
& non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Quasi dicat:
Si non vultis recipere tria priora testimonia, quæ tamen efficacissima sunt; (alioqui illa non produxissem) saltem non potestis rejicere testimonium Scripturarum, de quibus tantopere gloriamini. Ille ipse, si attente scrutamini, perhibent testimonium de me, quod sim Messias à Deo promissus. Quare ergo non creditis?

60 Hinc concludimus. Adversarios ex hoc loco seipso potius, quam nos oppugnare. Nam ipsi contendunt, solam Scripturam esse Judicem controversiarum: Et Christum ad solam Scripturam nos remittere. At contrarium verum est. nam Christus in controversia, quam habebat cum Iudeis: *An ipse esset Filius Dei?* Non remisit illos ad solam Scripturam, sed primo ad Testimonium Joannis Baptiste: deinde ad testimonium miraculorum, quæ ostendebant ipsum esse Deum: postea ad testimonium Dei Patris, qui voce de Cœlo

delapsa idem confirmabat: Denique, ut omnia experiretur, ad testimonium Scripturarum.

61 Nos Catholicæ in hac re Christum imitamur. Nam in controversijs, quas habemus cum adversarijs, non solum utimur testimonio Scripturæ, sed etiam SS. Patrum, Matris Ecclesiæ, & miraculorum, quæ sæpè fiunt pro confirmatione nostræ fidei. Adversarij autem, quasi Christo prudentiores essent, nihil volunt audire, nisi ex solis Scripturis. In quo similis sunt Iudeis, contra quos Christus agit. Nam Iudei repudiato quoconque alio testimonio, solam Scripturam admittebant. Et hanc ipsam neque tunc inteligeant, ut testatur Apostolus 2. Cor. 3. v. 14. cum ait: *Obscurati sunt sensus eorum.* Et infra: *Usque in hodiernum diem :: cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Idem adversarijs nostris, qui in hac causa Nepotes illorum sunt, accommodari potest.

62 Tertia sumitur ex illo Acto. 17. v. 11. *Quotidiè scrutantes Scripturas, si haec ita se haberent.* Hic iterum clamant adversarij, Berœenses non temere credidisse, quæ ab Apostolis dicebantur, sed omnia examinasse juxta normam Scrip-

Scripturæ: Aequum igitur esse, ut nos illorum exemplum imitemur, & solam Scripturam pro norma, ac Judice agnoscamus. Sed frustra. Quod facile constabit, si constet de re ipsa, de qua tunc agebatur. Ea fuit hujusmodi: Apostolus Paulus, ut expressè habetur in eodem capite, primam quidem Thessalonicæ, deinde apud Berœenses, disserebat ex Scripturis, adaperiens, & insinuans, quia Christum oportuit pati, & resurgere à mortuis: & quia hic est Jesus Christus, quem ego annuntio vob's. Quid vero Berœenses? sequitur ibidem: Suscepérunt verbum cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent.

63 Igitur hic est sensus illius loci: Berœenses cum audirent, Paulum citare quædam testimonia Scripturæ veteris Testamenti, quibus adstruebat Christi mortem, & resurrectionem, scrutabantur, an ijs ipsis testimonijs consentanea essent, quæ à Paulo dicebantur. Non quidem eo animo, quasi dubitarent de morte, & resurrectione Christi, quippé quæ jam satis confirmata erat ab Apostolo per virtutem miraculorum, 1. Thessal. 1. v. 5. sed ut magis in fide confirmarentur, si viderent ea, quæ

Tom. III.

Paulus prædicabat, multo ante per Prophetas fuisse prævisa, & præsignificata.

64 Ex hoc sensu, quid, obsecro, concludunt adversarij? Nihil ad rem, de qua agitur. Nisi forte sic velint concludere: Berœenses scrutabantur testimonia Scripturæ à Paulo citata: g. sola Scriptura est Judex controversiarum. Quod perinde est, ac si dicas: Lutherani scrutantur testimonia Augustini à Bellarmino citata: Ergo solus Augustinus est Judex controversiarum. Vel sic: Rustici scrutantur testimonia Lutheri, à prædicante citata: g. solus Lutherus est Judex controversiarum. Vel sic: Kemnitius in examine Concilij Tridentini scrutatur Traditiones à Catholicis allegatas: g. sola traditio est Judex controversiarum. Vel denique sic: Discipuli scrutabantur testimonia Ciceronis à Præceptore citata: g. solus Cicero est author latitatis. Apage cum istis consequentijs. Et tamen apud adversarios, quia meliores non habentur, in pretio sunt.

65 Plerique simpliciores sic objiciunt. Judex controversiarum in rebus fidei debet esse infallibilis, qui errare non possit; quia si ipse erraret, reliqui etiam errarent, qui illius sententiam sequerentur:

iii

Jam

Jam vero constat ex una parte, Scripturam esse infallibilem, cum sit Verbum Dei, quod errare non potest: Ex altera, homines non esse infallibles, sed mendaces, & errori obnoxios, juxta illud Rom. 3. 4. *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* Ergo Scriptura potest esse infallibilis Judex, homines, cum sint mendaces, non possunt: At Pontifex est homo, & Ecclesia nihil aliud est, quam collectio hominum: g. Pontifex, & Ecclesia sunt mendaces, & errare possunt. Nemo igitur est tutus, ac securus in negotio fidei, qui illorum sententiam sequitur. Hæc objectio, si quid roboris, ac momenti habet, non minus valet contra adversarios, quam contra nos. Nam si omnis homo mendax est, & errare potest, necessariò sequitur, Moysen, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Lutherum quoque, & Calvinum, itemque omnes Prædicantes Luthe ranos, & Calvinianos mendaces esse, & errare posse, quia homines sunt. Nihil igitur illis credendum, aut fidendum esse; sed omnia quæ ab illis dicuntur, suspecta, & incerta haberí oportere. Ubi ergo fides?


66 Nec refert si dicant, se non hominis, sed Dei Verbum

annuntiate. Nam si mendaces sunt, etiam in hoc puncto mentiri possunt. Nihil ergo certi est. Sed absit, ut nos ita loquamur, aut sentiamus. Longe aliter res habet. Ac primo quidem facemur, Scripturam certam, ac infallibilem esse, quia Verbum Dei est: sed addimus, cum sàpè obscura sit, non facile unicuique constare posse de legitimo illius sensu: Itaque alio Judice opus esse, qui infallibiliter decernat, quis legitimus Scripturæ sensus sit. Hic autem Judex non potest esse quilibet homo privatus, quia alioqui tot essent diversi Judices, quot diversa capita, & sententiae: & sic nulla controversia finiretur; quisque enim diceret, se bene intelligere, & sentire; reliquos verò malè: g. nécessè est, ut sit aliquis publicus Judex, qui cum autoritate decernendi, definiendi, & coegendi etiam per pœnas, si opus fuerit, inter partes litigantes potestatem habeat.

67 Advertendum tamen est, quod homines dupliciter spectari possunt; primò, quatenus sunt filii Adam, & obnoxij corruptionibus naturæ. Et sic abs dubio proni sunt ad mendaciam, & falsitatem, ut patet Genes. 8. v. 21. Et Psalm. 38. v. 6. Secundò, quatenus à Spi-

Spiritu-Sancto ditiguntur, & gubernantur ad aliorum instructionem: & sic infallibilis sunt, & sine mendacio. Talis in veteri Testamento fuit Moyses, & alij Prophetæ: & tales in Novo Testamento fuerunt Apostoli, Joan. 15. v. 16. *Mittam vobis à Petre Spiritum veritatis.* Et cap. 16. v. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ubi est omnis veritas, nullum est mendacium. Talis denique est nunc, & semper fuit Ecclesia Catholica cum suo Capite Summo Pontifice, propter perpetuam directionem, & assidentiam Spiritus-Sancti; est enim *edificata supra firmam petram, & portæ inferri non prævalebunt adversus eam,* Matth. 16. v. 18. *Est columnæ, & firmamentum veritatis,* 1. Timoth. 3. v. 15.

Est igitur Judex infallibilis per suum Caput, pro quo sit.



QUÆST. VI.

AN PONTIFEX ROMANUS sit Judex infallibilis controversiarum fidei, & morum?

1 **E**X hucusque dictis planè constat, esse necessarium in Ecclesia Christi aliquem notum Judicem controversiarum; etiamque aperte est demonstratum, hanc non esse solam Sacram Scripturam, nec privatum cuiusque spiritum: nunc autem ex professo probandum sumimus, talem Judicem esse solum Romanum Pontificem, sive in Concilio, sive absque illo, loquentem tamen ex Cathedra; & non esse cœtum omnium fidelium, ut aliqui heretici prætendunt; neque esse Principes sæculares; aut Reges terræ, ut somniavit Henricus VIII. & Jacobus Angliae Reges, contra quos erit quæstio sequens. Pro præsenti autem quæstione sit nostra, & omnium Catholicorum,

2 **C**onclusio. *Solus Romanus Pontifex est regula vivæ, ultima, & omnino certa ad dirimenda dubia de doctrina fidei, & morum; vel alijs verbis, est Judex infallibilis controversiarum, in materia*

Religionis. Ita omnes Catholici aduersus hæreticorum turbam. Probatur 1. Illa est regula viva, ultima, & omnino certa ad dirimenda dubia de doctrinâ fidei, & morum, cui Christus suam assidentiam promisit, & dedit ne in definiendis rebus fidei erraret: sed soli Romano Pontifici eam assidentiam promisit, ac dedit: g. &c. Major, & à Sectarijs admittitur. Minor verò patet, tum ex illo Luca 22. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirmas fratres tuos.* Tum ex alio Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prevalebunt adversus eam.* Ex quibus constat à Christo Ecclesiam, ne deficeret, fuisse fundatam super fundamentum indefectibile; Romanoque Pontifici privilegium dedisse, ut dubios confirmaret in fide, & ab errore revocaret.

3 Item. Qui primatum in tota Ecclesia tenet, jus pariter habet docendi eos omnes, quibus à Christo præpositus est, ac solvendi dubia, quæ circa doctrinam de fide, & moribus nasci possunt, præcipiendique, ut ubique terrarum observentur decreta fidei,

& morum definitiones; immò, & per censuras, etiam per excommunicationem compellendi singulos fideles, ipsos quoque Episcopos, ut sanam fidem profiteantur; & ad Evangelij, & Canonum normam mores suos componant: sed solus Pontifex primatum in tota Ecclesia tenet, per dicta sup. Ergo & ius dirimenti controversias, quæ fidem, & mores respiciunt; quod ius in Romano Pontifice venerata semper est Ecclesia Catholica, ad quem propterea omnes controversiae in Religionis materia semper pro decisione sunt, & fuerunt delatae.

4 Ita orta controversia, an Gentiles ad fidem conversi deberent necessariò circumcidiri, asserebant, qui ex Iudeis facti erant Christiani, docentes Gentiles per fidem Christi non posse salvari, nisi circumcididerentur, & cærenonias veteris legis observarent. Negabant Paulus, & Barnabas, sustinentes opus non esse circumcisione, & observatione legalium. Contentio sedari non potuit, sed missa utrumque legatione ad Petrum, Joannem, & Jacobum (qui ut dicitur ad Galat. 2. Jerosolymis tunc aderant) controversia decissa, & finita est à Petro de-

definiente , & decidente , quo
audito , tacuit omnis multitu-
do , ut ait textus , & de-
ciso Missa fuit ad Gentiles
Christianos illis verbis : „
Visum est Spiritui-Sancto , &
„ nobis , ut abstineatis vos ab
„ immolatis simulachrorum,
„ & sanguine , & suffocato,
„ & fornicatione. Post tem-
pora Apostolorum plures , &
plures controversiae diversis
locis , & æstatibus excitatæ
sunt , quas omnes pariter à
Romano Pontifice extra con-
cilia , vel præsidente in Con-
cilijs , vel Concilia confir-
mantæ decissas esse notum
est ex Ecclesiastica Historia.
Quarum nonnulla hic produ-
cam exempla.

5 Itaque , exorta contro-
versia : An Pascha deberet
cum Judæis celebrari luna
quintadecima Martij ? Victor
Papa item finivit , renovans
decretem editum à Pio I. Quo
statutum est celebrandum esse
primò die Domisico occur-
rente post ipsam 14. Lu-
nam. Item , à Cornelio Papa
in Concilio Romano sub ann.
154. damnata est opinio No-
vatianorum negantium in Ec-
clesia potestatem absolvendi ,
& reconciliandi lapsos post
baptismum , quaavis peccati-
entes. Item , in controversia;
an ab hæreticis in forma Ec-

clesiæ baptizati , essent rebap-
tizandi ? Stephanus Papa I.
scribens D. Cypriano pro
parte negativa decretum edi-
dit : Nihil innovandum , præ-
ter quod traditum est. Scien-
dum hic est , quod Donatistæ
baptizatos à Catholicis rebap-
tizabant , teste Augustino de
Hæresib. hær. 69. eò quòd Ca-
tholicos haberent pro hæreti-
cis , & baptismum ab hæreticis
collatum putarent esse invali-
dum.

6 Omitto recensere , Arium
negantem Verbum esse Pa tri
consubstantiale: Nestorium ad-
mittentem in Christo duas per-
sonas , sicut sunt duæ naturæ:
Eutychetem asserentem in eo-
dem unicam esse naturam , si-
cut una est persona : Mace-
donium blasphemantem Spiriti-
um-Sanctum non esse Deum:
Monothelitas duas voluntates
in Christo non esse contenden-
tes , aliosvè hujus furfuris vi-
ros , à Romanis Pontificibus
damnatos. Esto enim fuerint
in Concilijs generalibus pro-
scripti , adhuc tamen dicuntur
per Romanos Pontifices à
communione Ecclesiæ ablega-
ti. Siquidem ab ipsorum con-
firmatione Concilia robur ac-
ceperunt , nec , nisi cum su-
bordinatione ad caput , cuius
est influere in membra , Pa-
tres in Concilijs suam senten-
tiam

tiam dixerunt : prope terè illa
eorum ultima non fuit absque
Judicio Romani Pontificis.
Omitto , inquam , illos referre ;
quippè ea de re , ac de recur-
su Ecclesiarum particularium
in dubijs Religionis ad Aposto-
tolicam Sedem , agit expro-
fesso Porter *Systema decretor.*
Lauræ Syllabum decretor.
Juxta seriem Pontificum ad-
versus plures errores repor-
tat in *tom. 3. de fide , 1. part.*
disp. 5. art. 5. & Bzovius in
suo *Rōmāno Pontifice , cap. 23.*
indiculum elavorabit . Idcirco
nonnulla subiectam à Pontifi-
cibus in Concilijs , & extra ,
subsequentibus temporibus
adverlus varios errores decre-
ta , remittendo lectorum quan-
tum ad cetera , ad allegatos ,
aliosve .

7 Quare Joannes XXII .
„ Extravag. Vas electionis de
„ hæret. int. com. damnavit
sequentes propositiones . 1 .
„ Quod confessi Fratribus ha-
„ bentibus licentiam genera-
„ lem audiendi confessiones ,
„ tenentur eadem peccata , quæ
„ confessi fuerant , iterum
„ confiteri proprio Sacerdoti .
„ 2 . Quod , stante decreto ,
„ omnes otriusque sexus , Ro-
„ manus Pontifex non potest
„ facere , quod Parochiani
„ non tenentur omnia pecca-
„ ta sua semel in anno pro-

„ prio Sacerdoti confiteri ,
„ quem dicit esse Parroquia-
„ lem Curatum ; immò nec
„ Deus potest hoc facere . 3 .
„ Quod Papa non potest dare
„ potestatem generalem au-
„ diendi confessionem : imò
„ nec Deus , quin confessus
„ habenti licentiam teneatur
„ eadem confiteri proprio Sa-
„ cerdoti . In Constitut. *Glo-
riosam* 3. Bullar. tom. 1. plu-
res reprobavit blasphemias
Fraticellorum , seu Pseudo-
Fratrum S. Francisci . Benedic-
tus XI. *Constit.* *Benedictus*
Deus 4. ibi definit ; „ Quod
„ animæ fidelium defuncto-
„ rum , in quibus nihil pur-
„ gabile est , quando dece-
„ dunt , vel si purgatio-
„ ne egent , statim ac ea per-
„ acta , Deum ante judicium
„ generale vident , visione
„ faciali , & intuitiva . Item ,
„ quod est æterna . Item , quod
„ decedentes in peccato mor-
„ tali , mox post mortem , ad
„ inferna descendunt , ubi
„ penitentialibus crucian-
„ tur , & in die Judicij cum
„ suis corporibus compare-
„ bunt ante Tribunal Christi .
„ Martinus V. *constit.* inter
„ cunctas 1. d. Bullar. dam-
„ navit 45. articulos Joannis
Wicleff , & alios 30. Joan.
Haf.

8 Eugenius IV. *Constit.*

Latentur 17. edita in Conc.
Florentino ibi. Primum Romanum Pontificis in Universo Orbe, nonnullosque alios articulos Catholicæ Fidei, in quibus Græci dissidebant, ipsis ad concordiam vocatis, definit. Et quā plurimā alia, secuta unione Armenorum cum Catholica Ecclesia, declaravit, ut in Constit. *Exultate 19.* ibi. Et in concordia Jacobitarum cum Romana Ecclesia alia explicavit, Catholicam Fidem concernentia, idem Constit. *Cantate 23.* Sixtus IV. Constit. *Licet 17.* ibi proscriptis erroribus Petri de Osma, quorum primus fuit. „Quod confessio peccatorum est, juris tantum Ecclesiastici, non divini. Secundus, quod peccata mortalia quoad culam, & poenam alterius sexculi, absque confessione, sola contritione remittuntur; & quod prava cogitationes, sola displicentia delentur. Tertius, quod confessio sit secreta, necessariò non exigatur. Quartus, quod poenitentes absolvi non debant, nisi prius poenitentia peracta. Quintus, quod Romanus Pontifex nec possit poenam Purgatoriū remittere, nec dispensare in decretis Ecclesiasticis. Sextus, quod Sacramentum Poeni-

, tentiæ, quantum ad collationem gratiæ, est juris naturæ, non vero legis novæ, aut veteris.

9 Leo X. Const. *Pastor 20.* edita in Concilio Lateran. ibi §. 7. damnavit Pragmaticam Sanctionem, jam prius à Ludovico XI. Francorum Regge ad instantiam Pij II. abrogatam, ut potè enormiter lassivam summam authoritatis Romani Pontificis in universa Ecclesia, teste Coriolano in Breviar. ad ann. 1439. Etenim Pragmatica Sanctio aliud non erat, quā breve Summarium eorum, quæ adversus potestatem, & dignitatem Romani Pontificis acta fuerant in Conciliabulo Basileensi editum, & approbatum de mandato Caroli VII. in Conciliabulo Bituricensi apud Gallos, & in Parlamento publicatum, ut ex Bail. tom. 2. *Sum. Conc. secl. 14. tit. Conciliabulum Bituricense.* Inter cetera verò continebat I. Pontifici imponebatur, ut quolibet decennio congregaret Concilium Generale; & in casu negligentia potestas in Episcopos transfundetur. Item, quod decreta Concilij Basileensis essent perpetua, nec ab ipso Pontifice possent tolli, & infirmari. Idem Leo Const. *Exurge 40.* ibi proscriptis 41. erroribus Lutheris;

ri; quem, & sequaces Constit.
Decet 41. damnavit, & Ec-
clesiæ communione privavit.
Paulus IV. Constit. *Cum quo-
rundam* 4. ibi declarat hæreti-
cos uegantes : „ Trinitatem
„ personarum in divinis in
„ unitate Divinæ Essentie. Aut
„ divinitatem Jesu Christi, aut
„ ejus conceptionem de Spiritu
„ tu Santo, in utero Beatis
„ simæ semper Virginis Ma-
„ riæ, aut ejus mortem, ut
„ nos à peccatis, & æterna
„ morte redimeret : aut B.
„ Virginem non esse veram
„ Dei Matrem, nec fuisse sem-
„ per Virginem ante partum,
„ in partu, & post partum.

10 S. Pius V. Const. *Ex
omnibus* apud Porter. cit. de-
cim. sext. sæcul. decret. Pij V.
9. Reprobavit 79. propositiones Michaelis Buij. Item, Con-
stit. *In eam* 146. Bullar. tom. 2.
declarat, quæ cambia sint illi-
cita, eaque prohibet. Sixtus V.
Constit. *Cœli, & Terra* 17.
ibi damnat Astrologiam Judi-
ciariam: Et Constit. *Detecta-
bilis* 45. ibi contractus socie-
tatis continentis, vel securi-
tatem capitalis, aut aliter us-
rariam pravitatem. Clemens
VIII. Constit. *Sanctissimus* 87.
Bullar. tom. 3. damnavit sen-
tentiam docentem, licere con-
fiteri per litteras confessario
absenti, & ab eodem absente

absolutionem obtinere. Item,
Constit. *Cum Sacrorum*, quæ
Biblijs præponitur, probat Bi-
bliam jam emendataim, & Sa-
cram Scripturam, in eo codi-
ce castigato, Ecclesiæ ad cre-
dendum proponit. Urbanus
VIII. Constit. *In eminenti* 289.
Bullar. tom. 5. prohibuit li-
brum, cui titulus *Augustinus
Cornelij Jansenij olim Ipren-
sis Episcopi*, aliosque libros
prout expressæ in Constitutio-
ne; confirmavitque cum in-
sertione d. Constitutionem S.
Pij adversus errores Bajj, ac
aliam ea de re Gregorij XIII.
alteramque Pauli V. qua inter-
dixit, ne ederentur libri trac-
tantes de auxilijs, sine expre-
sa licentia Sedis Apostolice.

11 Innocentius X. à plu-
ribus Episcopis Galliæ roga-
tus illis verbis : „ Majores
„ causas ad Sedem Apostoli-
„ casi referre solemnis Eccle-
„ siæ mos est, quem fides Pe-
„ tri nunquam deficiens per-
„ petuò retineri pro jure suo
„ postulat, &c. Constit. *Cum
occasione* 31. Bullar. tom. 4. ut
hæreticas proscriptis quinque
propositiones Jansenij ex d.
libro excerptas, & in Constitu-
tione expressas. Item, per
decretum Congregationis S.
Officij sub 24. Jan. 1647. ut
hæreticam damnavit opinio-
nem afferentem, Paulum non
fuisse

fuisse subjectum Petro, sed in Primatu æqualem. Alexander VII. Constit. *Ad sanctam 28. Bullar. tom. 5.* definitivit, & declaravit, prædictas quinque Jansenij propositiones reperi- ri in dicto libro Jansenij, & in sensu ab eodem Jansenio in- tento damnatas fuisse. Item, duobus alijs decretis ibi 1665. & 1666. respectivè damnat quadraginta quinque proposi- tiones materiam moralem spe- cantes. Innocentius XI. sub die 2. Martij 1679. proscrip- fit 65. propositiones circa eamdem materiam: Et sub die 28. Augusti 1687. Constit. *Ad abolendam*, damnavit 68. pro- positiones à Michaele de Mo- linos prætextu orationis quietis assertas. Alexander VIII. sub die 24. Augusti 1690. duas alias propositiones prescrispsit, aliasque 31. sub 7. Decemb. ejusdem anni. Et Constit. *In- ter multiplices*, edita eodem anno 3. Augusti, irritavit, cas- favit, & annullavit quatuor propositiones, statutas à Cle- ro Gallico in comitijs cele- bratis Parisijs ann. 1682. In- nocentius XII. Constit. *Cum alijs*, edita 12. Martij 1699. damnavit 23. propositiones Archiepiscopi Cameracensis.

12 Tandem Clemens XI. Constit. *Vineam Domini*, sub 17. Kal. Augusti 1705. decre- Tom. III.

vit, ac declaravit: *Obedien- tiae, que preinsertis Apostoli- cis Constitutionibus (Innocen- ti X. & Alex. VII. editis ad- versus propositiones Jansenij)* debetur, obsequioso silentio non satisfieri (nonnulli enim asse- rebant ad obediendum non re- quiriri ut sensum Janseniani li- bri in quinque propositioni- bus damnatam, quis interius, ut hæreticum damnet; sed sa- tis esse, si ea de re obsequio- sum silentium teneatur) sed damnatum in quinque præfa- tis propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præferrunt, ab omni- bus Christi fidelibus, ut hære- ticum, non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari de- bere: nec alia mente, animo, aut credulitate formulæ (ab Alex. VII. editæ de juramento præstanto ab omnibus, se sin- cero animo rejicere, ac dam- nare propositiones ex libro Jansenio excerptas, & in sensu ab eodem authore intento) subscribi licet posse. Item, sub die 25. Septemb. 1710. de- crevit, & declaravit esse ab omnibus observanda responsa in causa Rituum, seu Cære- moniarum Sinenium, à Sac. Congregatione S. Officij alias data, & à Sanctitate sua die 20. Novemb. 1704. confirma- ta, & approbata: facta sub

excommunicatione , alijsque pœnis prohibitione , ut nullus exprofesso , vel incidenter sine Sancta Sedis licentia , de ritibus Sinicis tractet ; prohibens ex tunc libros omnes , & folia , quæ in futurum , adversus datae prohibitionis tenorem , edi contigerit . In hujusmodi , similibusque controversijs , finem dubijs , & litigijs imposuerunt Romani Pontifices . Quorum judicio audito , Ecclesia acquievit , sequendo vocem sui Pastoris , credendoque Regulam vivam , & certam , in controversijs Religionis spectantibus , Romanum Pontificem : ergo &c.

13 Probatur 2. Patrum auctoritatibus . Augustinus non semel ostendit Pontificem esse regulam vivam , & certam ad dirimendas controversias fidei . Hinc epist . 190. ad Optatum cap . 6. resolvit decreta Apostolice Sedis adeò certa esse , ut nulli de illis dubitare liceat , ibi : *In verbis Apostolice Sedis , tam antiqua , atque fundata , certa , & clara est Catholica Fides , ut nefas sit dubitare Christianis .* Et lib . 6. contra Julianum cap . 4. duo ostendit : Primum , quod Romanus Pontifex non potest à vera doctrina aberrare . Secundum , quod sola auctoritas Romani Pontificis sufficit

ad hæreticorum errores damnandos ibi : *Si Romana Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentium audire voluisses (alloquitur d. Julianum Pelagianum) jam tunc periculojam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses . Quid enim potuit ille vir Sanctus Africanus respondere Concilijs , nisi quod antiquitus Apostolica Sedes , & Romana cum ceteris tenet perseveranter Ecclesiæ ?*

14 Insuper , sermone 131. de Verb . Evang . Joann . 6. cap . 10. duo affirmat : Unum : quod dubia fidei ad Sedem Apostolicam sunt referenda . Alterum verò , quod posito Sedis Apostolicæ judicio , absque alio Concilio , causa finita est . *Jam enim , ait , de hac causa (proscribendi dogma Pelagianorum) duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam , inde etiam rescripta (condemnationis) venerunt . Causa finita est , utinam aliquando finiatur error .* Et lib . 2. operis imperf . contra Julianum num . 103. respondens Juliano petenti , ut dogma Pelagij examinaretur . *Quid abduc quæris examen , quod jam factum est , apud Apostolicam Sedem ?* Insuper : Pelagianis poscentibus Synodum ecumenicam , in qua expende-

deretur eorum doctrina, responderet Augustinus, id non esse necessarium: quod quidem S. Doctor ex eo confirmavit, quod absque Synodi plures antiquiores hæreses extinctæ fuissent. *Aut vero* (ait lib. 4. contra duas Epist. Pelagianor. ad Bonifacium Pontificem) *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla heresis aliquando, nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissimè inventiantur, propter quas demandandas necessitas talis extiterit?*

15 Dicunt; D. Augustinus lib. 2. de Baptism. cap. 4. scribit, necessarium fuisse Concilium generale, ut quæstio de hæreticorum baptismate dirimeretur: g. Concilium, & non Pontifex est Judex dirimenti controversies. Respond. neg. antecedens. Ibi Augustinus non ponit Concilij necessitatem ad finiendam litem de iteratione baptismi ab hæreticis asserta; sed solum, ut magis Donatistas, vocantes sibi Cyprianum in præsidium, urgeret; quasi diceret, Cyprianus cessit decreto Stephani, qui etiam plenario Concilio obtemperasset, si tunc quæstionis hujus veritas Concilio eliquata esset; & vos defini-

tioi adeò plenario à Concilio editæ tanta pertinacia resistitis? Deinde Concilium fuit à Pontifice Sylvestro confirmatum, sine cuius approbatione caruisset vigore ad obligandam totam Ecclesiam, sine qua de ejus infallibilitate non constaret, ex alibi dicendis; adeoque in ejus confirmatione in ultimata decisio referatur.

16 Item Cyprianus Epist. 55. statuit unum supremum Sacerdotem, ac Summum Judicem in universa Ecclesia, vice Christi fungentem, esse, cui obtemperandum est; idcirco ait: „Non aliunde hæreses „obortas esse, aut nata schis- „mata, quam inde, quod Sa- „cerdoti Dei non obtempe- „ratur, nec unus in Ecclesia „ad tempus Sacerdos, & ad „tempus Judex vice Christi „cogitatur; cui, si secundum „magisteria divina obtempe- „raret fraternitas universa, „nemo adversus Sacerdotum „Collegium quidquam mo- „veret. Et lib. de Unit. Eccles. inquit: „Qui Petri Cathedra- „dram deserit, in Ecclesia „non est: ac si diceret. Si quis „Pontifici definiendi res fidei, „non obtemperat ab Ecclesia „recedit. Item, D. Hieronymus de Petri Cathedra scribens ad Damasum Papam, & petens ab

eo; an tres hypostases, an vero unam tantum in Trinitate admittere deberet? Sic loquitur: „Ego nullum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest, Cathedrae Petri communione consocior: si quis Cathedra Petri jungitur, meus est. Qui tecum non colligit, spargit. Qui Christi non est, Antichristi est. Si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus.

17 Ex quibus constat Sanctorum PP. mentem fuisse in controversijs Religionem spectantibus ad Sanctam Sedem recurrentem esse, & certe ejusdem iudicio parendum. Hinc est, quod Majores nostri in causis dubiis, Romanum Pontificem consulere consueverunt; apud quos maximi momenti ejusdem rescripta fuerunt; qui etiam non raro suam fidem, quam profitebantur, tuiti sunt sua cum Episcopo Romano consensione, dicente Hieronymo in Epist. ad Marcum Presbyterum Celestem: „Aut si eis (hereticis) placet, hereticum mecum Occidente, hereticum cum Aegypto, hoc est, cum Damaso, Petroque condemnent. Et inde plures ad Petri Cathedram accesserunt, ut

hic, vel eorum doctrina probaretur, vel instruerentur in dubiis, vel dicta confirmarentur; prout fuit Generalium Conciliorum praxis, quam & nonnullæ Synodi Provinciales receperunt, ut liquet ex Epistola Innocentij I. ad Patres Concilij Carthaginensis adversus Pelagianos, quæ est 181. „Inter eas Augustini. Ubi Sanctus Pontifex Patres, ad ipsum statuta pro confirmatione referentes, alloquitur: „Qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium. scientes, quid Apostolicæ Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideraverint, ius Apostolum (Petrum) beatatur, à quo ipse Episcopus copatus, & tota authoritas nominis hujus emerget. Quem sequentes, tam mala damnare novimus, quam probare laudanda. Idemque legitur in alia ejusdem Innocentij Epistola inter Augustinianas 182. comprobantis acta Concilij Milevitani adversus Pelagianos, ibi: „Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, id est, sui nominis, & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum Mundum possit omnibus Ecclesijs in commune prodesse.

18 Probatur 3. Petro, & in Petro cuilibet Romano Pontifici, dictum est à Christo Joann. ult. *Pasce oves meas: pasce agnos meos*: Sed illud *pasce* intelligitur præcipue de doctrina, qua oves rationales pascuntur: g. ad Petrum, & quemlibet ejus successorem spectat dirimere, ac judicare de controversijs fidei, ut, veritate manifestata, pastione vera doctrinæ oves nutriat, & confortet: Minor patet, tūm ex illo Jeremias 3. v. 15. *Dabo vobis Pastores juxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*. Tūm ex hoc, quod illud *pasce sumi minimē posset, quod pascat concionibus, siquidem impossibile est*, Romanum Pontificem omnibus agnis, & ovibus, toto orbe dispersis, concionari: alias nunquam præceptum impleret: g. per ly *pasce* intelligitur, ut doceat, retribuat, definiat, quid circa doctrinam fidei tenendum sit.

19 Hinc D. Paulus (qui non ab hominibus, sed à Christo D. Apostolus electus fuerat, & ab eodem sapientia authore sufficienter de Evangelio instructus, ut loquitur ad Galat. cap. I.) Jerosolymam ad Petri magisterium venit, apud quem quindecim diebus mansit, ad quem denuo quatuordecim annis elapsis, accessit, ut ibi cap.

2. testatur: *Iterum ascendi Jerosolimam cum Barnabæ: & contuli cum illis* (Petro, & Jacobo, ut cit. cap. I. v. 19.) *Evangelium*, quod prædico in gentibus seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne forte in vanum currerem, aut cucurisset. Unde Paulus suum Evangelium contulit cum Petro, ut à Petro confirmaretur; etenim sine Petri confirmatione Ecclesia Paulo non credidisset, dicente Hieronymo Epist. ad Augustinum (inter illas Augustini 65. n. 8.) „Exposui „eis Evangelium, quod præ „dico inter gentes: ostendens „se non habuisse securitatem „Evangelij prædicandi, nisi „Petri, & qui cum eo erant, „fuisset sententia roboratum. Et Aug. lib. 28. contra Faustum, cap. 4. ait: „Apostolus „Paulus post Ascensionem „Domini de Cœlo vocatus, si „non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non credebat, ret.

20 Dices: Ergo non solum Petrus fuit Judex ad discernendam veram doctrinam, sed etiam ceteri Apostoli: non enim cum solo Petro Paulus suum contulit Evangelium, ut

pater, tum ex textu Scripturæ, tum ex Hieronymo, & Augustino: g. nec solus Pontifex, sed cum eo Episcopi in Concilio congregati erunt Judex controversiarum. Respond. Utroque conseq. negatur. Ideo enim Paulus Jerosolymam, & non alibi ascendit; quia ibi erat Petrus, caput Ecclesie, ad quem de jure spectabat cognoscere, & approbare suam prædicationem. Ideò autem non solum cum Petro confirmante, sed etiam cum Jacobo, & Joanne agnoscentibus conformitatem doctrinæ, verbum, quod prædicabat, consultit, ut Petro Judice, & testibus alijs, pseudo Apostolorum insolentiam cohiberet, dum evulgabant doctrinam Pauli conformem non esse doctrinæ Vicarij Christi, & per ceteros Apostolos annuntiatæ, ut ita retraherent homines ad credendum Paulo, amplectendamque fidem Christi, & ita vacuum, & cassum redderent ejus laborem convertendi gentes ad Christum. Quare Judex ultimus fuit Petrus; sicut in Conciliis est Romanus Pontifex, ceteris Patribus, judicantibus cum subordinatione ad illius sententiam.

21 Arg. I. Judicium Pape non est certum, & irrefrangible; ergo Pontifex non est

Judex infallibilis controversiarum, quæ in materia Religionis suboriuntur. Antecedens patet. Quoniam, quæ Pontifex Romanus statuit, non sunt immutabilia, & invariabilia; nam aliqua definita à D. Petro in Concilio Jerosolymitano, non sunt in usu apud nos; ut patet Act. 15. de abstinentia à sanguine, & suffocato: g. non est Judex infallibilis. Respondeatur, neg. antec. Nec probatio aliquid concludit adversus conclusionem; quia illud præceptum non extendebatur ad universos Christianos, sed ad solos Antiochenos, & ad fideles Syriæ, & Ciliciæ, ad quos fuit directa Epistola Synodica, quippe inter eos orta fuit controversia, quæ occasionem dedit Concilio. Hinc, causa conservanda pacis inter eos, fuit eis interdictus, licet ad tempus, Idolothororum esus.

22 Idem dicimus de præcepto abstinendi à sanguine, & suffocato, quod fuit impostum, ut, nullo remanente usu legalium, gentiles, & Judæi in unum Christum lapidem angularem necterentur, ut sic facilis Christianorum Judæorum, & Gentilium, simul habitantium, animi conglutinati, in unum populum coalescerent; plerumque enim Eccl-

Eclesia mitius longe se habet cum recenter conversis , seu Neophytis , quam cum adultis in fide ; Ex cap. quædam 35. quæst. 2. Postea vero , cessante causa infirmitatis Judæorum , præceptum illud tempore , impositum ad evitandum illorum scandalum cessavit , ut ait D. Aug. lib. 32. contr. Faustum , cap. 13. Unde habemus , quod sententia Petri fuit omnino certa , & infallibilis pro tempere , quo id præceperat. Habemus insuper , quod præceptum non fuit impositum propter necessitatem salutis ; sed propter solam œconomiaæ necessitatem , & in finem allegatum.

23 Arg. 2. Posita hac regula in Ecclesia , seu Judice , laeditur honor Christi , qui solus est audiendus , juxta illud Matth. 16. *Hic est filius meus dilectus , ipsum audite :* Ergo , &c. Respond. neg. antec. Nam Christus honoratur , cum impletur , quod ei placet : Christo autem placet , ut ejus Vicarius audiatur ; ideo eum Ecclesiæ Pastorem constituit , & commissit , ut pasceret suas oves. Si ipse solus esset audiendus , cur dixit : *Quis vos audit , me audit ?* Et cur Apostolis præcepit : *Doce te omnes gente ?* Christus igitur est audiendus , ut princi-

palis loquens ; sed non excluditur , quod audiendus sit ipsius Vicarius ; nam qui hunc audit , Christum audit ; sicut audit Règem , qui Proregi , in quo authoritas Regis dignoscitur , aures prebet , ipsique obtemperat.

24 Dices : Ergo , ubi aliqua difficultas oritur circa Scripturam , audiendus est Pontifex , dubium decidens ? Conceditur consequentia. Atqui hoc est facere Scripturam subiectam Pontifici , quod esse non potest : cum potestas Pontificis sit Scripturæ subiecta: g. &c. Resp. neg. minorem subsumptam. Non subjicitur Scripturam potestati Papæ , sed dicimus solùm ad Papam pertinere explicare Scripturam , & de ejus vero sensu judicare , juxta Traditionem. Quod non est Scripturam subjicere Pontifici , sed ignorantiam , & malitiam pravè exponentium Scripturam autoritati Papæ supponere. Subjicitur Papæ Scriptura , quia ipsa cum Traditionibus est norma , secundum quam debet judicare.

25 Arg. 3. Tridentinum sess. 4. in decret. de canon. Scripturis ; statuit ad Ecclesiæ pertinentem judicare de vero Sacra Scripturæ sensu : ipsa enim est columnæ , & firmamentum veritatis , i. ad Timoth.

motth. 3. & less. 24. can. 3.
de matrim. damnat, asseren-
tes Ecclesiam non potuisse
constituere impedimenta ma-
trimonium dirimentia. Qui-
bus sanè significatur toti cor-
pori Ecclesiae formaliter, &
subjectivè traditam esse à
Christo jurisdictionem. Siquidem
ad prædicta præstanda est
in agente necessaria authori-
tas; nomine verò Ecclesiae
absolutè sumptæ venit cætus
fidelium, prout laicos, &
Clericos continet, ut dixit
Launtius.

26 Respond. Ibi Tridentinum per Ecclesiam non accipit universam fidelium multi-
tudinem: non enim ad sceminas, & laicos pertinet verum
sensum Scripturæ distinguere,
& legitimas interpretationes
date. Ideò intelligit, vel
Concilium Generale à Papa
confirmatum, vel Papam ex-
tra Concilium, de germano
Scripturæ sensu judicantem.
Utroque enim ex ipsis sensu
constat, supremam potestatem
in Ecclesia esse penes Roma-
num Pontificem, sine cuius
confirmatione Concilia robur
non habent, cap. *Regula 17.*
dist. ipsa vero posita, eorum
decreta ad fidem spectantia
inalterabilia sunt, ac irrefor-
mabilia, cap. *Sicut 15.* dist.
In eodem sensu contra Lan-

nojum accipitur Ecclesia in
Canone allegato. Quo circā
constat ibi Patres loqui per
figuram Synecdoches, in qua
ponitur totum pro parte prin-
cipali, ut sensus sit, *Ecclesia*,
hoc est, vel *Papa solus*, vel
Papa cum Concilio. Ad Papam
enim spectat condere leges
pro universa Ecclesia, cujus
ipse supremus Rector à Chris-
to constitutus est; & quæ ipse
agit tanquam caput, per ip-
sum Ecclesiae tribuuntur.

27 Ad textum Apostoli
dicitur, quod Ecclesia sumpta
pro fidelium congregazione to-
ta errare non potest, quod ei
convenit ratione Pontificis,
qui habet infallibilitatem acti-
vam, & definiēt; etenim
ne corpus erraret, data est
firmitas capiti, juxta textum
in constit. *Redemptorem Joan.*
XXII. Bull. tom. 1., Ego ro-
,, gavi pro te, Petre, ut non
,, deficiat fides tua: dumque
,, pro Petro Christus rogat,
,, pro ejus Ecclesia intercedit.
Ad id, quod subditur, Eccle-
siam absolutè sumptam impor-
tare coetum fidelium; note-
tur, quod Ecclesia aliquando
supponit simpliciter, & sàpè
personaliter. In ipsis: „ Eccle-
„ sia est per totum Orbem dis-
„ fusa: Credo Sanctam Ec-
„ clesiam: super hanc petram
„ ædificabo Ecclesiam meam,
„ &c.

&c. Ecclesia supponit simpli-
citer , hoc est , pro collectio-
ne fidelium cum Romano Pon-
tifice communicante. Cùm ve-
rò dicitur, Ecclesia condit leges
pro Ecclesia ; definit res fidei,
& morum , supponit persona-
liter , pro Pontifice nimirum
(qui in tota illa collectione
capitis locum tenet) vel pro
Concilio a Pontifice confir-
mato.

28 Instabis: cum ageretur
de substituendo aliquo ex dis-
cipulis in locum proditoris
Judex adhibuit D. Petrus ad
consultationem cæteros Aposto-
los , & universalem Eccle-
siam , seu omnes de Ecclesia ,
quæ tunc temporis erant : g.
non solus Pontifex regit Ec-
clesiam , nec solus est Judex
controversiarum. Confirmar-
tur ; quando aliquod grave
dubium in materia Religionis
oritur in Ecclesia , Pontifices ,
ad ipsum ditimendum , con-
gregant Concilia , vel ad mi-
nus adhibent consilium Car-
dinalium , & Theologorum:
g. non solus Pontifex regit Ec-
clesiam , nec solus est Judex
controversiarum. Respond.
neg. conseq. Quia solus Pe-
trus , autoritate sibi à Chris-
to tradita , potuit Mathiam
eligere , ut ait Chrysostomus
hom. 3. in A&ib. sed ad so-
lemnitatem actus , ad nominan-

dum admisit etiam alios Apo-
stolos coram plebe , ut ista el-
set testis sanctitatis , & meri-
ti eligendi ; non enim dicitur , nominatio à plebe facta ,
sed coram plebe , ut notavit
Tirinus in dicto loco.

39 Ad confirmationem ,
respond. ut jam sèpè dixi-
mus , quod plura à solis Pon-
tificibus fuerunt definita extra
concilia : Ergo quando con-
gregarunt concilia , non id
egerunt de necessitate , & ad
validitatem definitionis ; (quo-
niam ipsi , independenter ab
ovibus , habent plenitudinem
potestatis ad pascendam , &
dirigendam Ecclesiam) sed id
factum est ad melius esse : Vel ,
ut hæreses , & schismata sua-
vius per consensus tot Præla-
torum extinguerentur , & fa-
cilius in Diœcesibus definita
inotescerent. Quinimo ipsa
concilia firmitatem non ob-
tinent nisi à Papa confirmen-
tur , ut sèpè diximus ; & quæ
Patres definiunt , ad judicium
Romani Pontificis confirmanta
referunt , à quo Episcopi
jurisdictionem recipiunt , ut
etiam sèpè diximus.

30 Quod verò Pontifices
Consilio nonnullorum utan-
tar , non arguit æqualitatem
jurisdictionis ; siquidem con-
silium non jurisdictionem , sed
solam directionem importat;

quia, quod Rex Hispania^x consiliarijs utatur , non arguit ^zqualitatem in consiliarijs, nec quod ipse non sit Judex in politicis controversijs. Sic similiter de Summo Pontifice, qui non ad validitatem decretorum prudentes consulit, sed ad congruentiam , ut probat noster Cardin. Lauræa de *Fide, disp. 5.art.6.n. 376.* nec consultatio est forma decreti, sed conditio, ut Papa se disponat ad recipiendam illuminationem à Spiritu-Sancto; licet, ut alibi diximus, per se solum posset Scripturas, & Traditiones præscrutari. Exemplum aductum in argumento confirmat hoc : nam D. Petrus, ut impleretur Scriptura , decrevit tanquam Pontifex Ecclesiaz , & caput Apostolorum, esse alium subrogandum in locum Judæ , quanvis postea de voto , & dictamene omnium Apostolorum facta sit oratio pro electione Mathiae. Auditatur Chrysostomus hom. 3. in Actibus Apostolorum , ubi querens , cur præ ceteris de subrogando aliquo in loco Iuda solus Petrus solicitus fuerit , sic respondet: *Quod fervido esset ingenio ; & quod gregis ei commissa cura fuerat: quod primus erat e Collegio, semper ante alios loqui incipit : : quid igitur ? Nonne Pe-*

trus ipsem et eligere poterat? Poterat quidem : Sed hoc non facit , ne gratia deferre ali quid videretur.

31 Concluditur quæstio hoc discursu: Fides debet esse una, ad Ephes. 4. Una verò esse non potest , nisi omnes idem sentiant, juxta illud Pauli 1. ad Cor. 1. v. 10. *Id ipsum dicatis omnes , & non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu , & in eadem sententia.* Atqui est impossibile , quod omnes idem sentiant, nisi sit unus Judex , & una Regula viva definiens , & determinans quod credendum est , & qui ad unitatem fidei reducat, etiam poenit., varia sentientes: Hæc regula , & hic Judex nullus alius esse potest , nisi Romanus Pontifex, ut satis abunde probatum est : g. &c. Hæc igitur est via regia , quam tenuerunt Patres nostri ; hæc petra immobilis , cui in omni controversia firmiter adhaeserunt ; hæc regula certissima, cui nunquam se , moresque suos conformare dubitarunt. Quid ergo mirum , horum temporum Sectarios per tot errorum Labyrinths continuo circumagi ? Respuant fideli regulam , deserunt firmam petram , viam regiam declinant, devias ingreduntur semitas, quas

quas non uoverunt Patres eorum, quarum novissima ad interitum ducent sempiternum, ut inquit Pat. Arsdekin.

QUÆST. VII.

*AN REX, SEU PRINCEPS
Laicus sit Iudex controver-
siarum in materia Fidei,
& Religionis?*

VAlde fusé hanc quæstionem discutiunt Bellarmin. Began. & noster Matthæus. locis infra cit. probando evidenter, quod Rex, aut Princeps Laicus non est talis Iudex, nec habet Primum Ecclesiæ Jure Naturali, Jure Divino veteris Testamenti, Jure Divino novi Testamenti, Jure Civili, Jure Canonico, Consensu Doctorum hominum, aut titulo legitimæ præscriptionis : ergo nullo modo est talis Iudex. Nos autem, omnes istas probationes, & conclusiones relinquimus apud cit. AA. videndas ; sicut & Protestantium futile argumenta ; quia ex dictis, & ex dicendis facile, & satis abunde probatur sententia Catholica, impugnatur Protestantium hæreticæ, atque illorum argumenta diluantur. Solum aperiemus seismus quæstionis, & statim apparebit dissonantia hæreticalis. Igitur

2 Noster Matthæus. controv. 3. cap. 4. inquit, quod inter cætera deliramenta, quæ ingenivavit Henricus VIII. Angliæ Rex, dum à Catholica Fide alienum se fecit, & ab obedientia Apostolicæ Sedis secessit, hoc unum etiam fuit, quod Romanum Pontificem negaverit esse Caput Ecclesiæ, & Christi Vicarium, sibique primatum in Anglicana Ecclesia usurpaverit, supremumque illius caput se dixerit. Subinde Jacobus, etiam Angliæ Rex, in sua Apologia pro juramento fidelitatis, & in monitoria præfatione ad Imperatorem, Reges, & Princes, apud Began. tom. 3. opus. 6. de Primatu Regis Angliae, §. Libellus, num. 1. & in Manual. lib. 5. cap. 19. conatur ostendere, se in Anglia, & unumquemque Regem in suo Regno, esse Caput, & Ecclesiæ Primum habere, ac Pontifice, & Episcopis superioriēm; consequenterque esse ultimum Judicem controversiarum in materia Fidei, ac Religionis. Hoc idem confirmat Sacellanus ipsius in lib. qui inscribitur, Tortura Torti. Anglo. Calvinista, cum Brentio, & Arminio, apud Tirinum controv. 6. num. 4. appingunt etiam Princibus Secularibus, in suis respecti-

vis dictionibus, potestatem Ecclesiasticam jurisdictionis exterioris, eosque supremos Judices Ecclesiasticos fatentur; adeo ut sua autoritate, à nullo alio in terris dependente, possint omnes causas, controversiasque circa Fidem, & Religionem recognoscere, & definire,

3 Sed ne confusio oriatur, non disceptamus de primatu in temporalibus: illum quisque Rex in suo Regno legitime habet. De primatu Ecclesiaz, seu de potestate Ecclesiastica tota lis est. Solet autem distingui triplex potestas Ecclesiastica: Una ordinis, altera jurisdictionis interioris; Tertia jurisdictionis exterioris. Prima refertur ad Sacra-menta conficienda, & ministranda: Secunda ad regendum Populum Christianum in foro conscientiae: Tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori. Igitur ad potestatem ordinis spectat; Baptismum, & Sacros Ordines conferre; Eucharistiam confi-cere, & ministrare; Chrisma, & Oleum infirmorum benedicere. Ad potestatem jurisdictionis interioris, jus dicere in foro conscientiae, idest, absolu-re, vel ligare. Ad potesta-tum jurisdictionis exterioris; Synodum convocare, & in ea

præsidere; constitutiones con-dere; causas audire, & cognoscere; controversias dirimere; beneficia conserre; mi-nistros Ecclesiaz constituere; delinquentes excommunicare: uno verbo, omnium causa-rum, & controversiarum, quæ ad fidem, & Religionem per-tinent, judicem agere.

4 Quando ergo queritur; an Rex Angliae in suo Regno habeat primatum Ecclesiaz? debet sic intelligi: an habeat triplicem illam potestatem ex-cellentiori modo, quam Episcopi, & Pontifex? Vel, quod idem est, an triplici illa po-testate supra Episcopos, & Pontificem collocandus sit? Duo certa sunt, unum in con-troversia. Primo certum est, Regem non vindicare sibi po-testatem ordinis: & multo minus in ea superiorem esse Episcopis, & Pontifice. Non enim ordinatus, & consecra-tus est ad Sacra-menta confi-cienda, & ministranda, ut per se constat. Nec in hoc genere supra Episcopos, & Pontifi-cem collocari vult. Novit enim, quid in simili causa dictum sit Ozia Regi 2. Paralip. 26. v. 18: *Non est tui of-ficij Ozia, ut adoleas incen-sum Domino; sed Sacerdotum: qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium.*

5 Secundo, à quæ certum est, non habere potestatem jurisdictionis interioris, quæ in absolvendo, & ligando consistit. Non enim Regibus, sed Apostolis, & Sacerdotibus dictum est: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remissitis peccata, remissa sunt eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Tota ergo controversia versatur circa potestatem jurisdictionis exterioris. An ea Rex habeat in suo Regno, & quidem supra Episcopos, & Pontificem? Idest: An Rex sit supremus Judex Ecclesiasticus, qui sua auctoritate à nullo alio in terris dependente possit convocare Synodos; iis praesidere; controversias circa Fidem, & Religionem dirimere; beneficia conferre; Episcopos constitue-re, & deponere; & similes actus Religionis exercere? Hoc enim est habere Primum in Ecclesia, quoad gubernationem exteriorum, & esse Iudicem controversiarum: quod firmiter negamus de Regibus, & Principibus Saecularibus; & illud concedimus totis viceribus nostro Romano Pontifici. Unde solum inquirimus.

6 Quod sit ergo officium Regis circa Catholicam Ecclesiam? Breviter resolvemus, dando Cæsari, quæ Cæsar is sunt; &

Deo, quæ Dei sunt. Ac primum illud statuendum est contra Politicos: Reges, & Principes Christianos non ita debere sua regna, ac Provincias administrare, ut omnem religionis, & Ecclesiæ curam abjiciant, tanquam nihil ad se pertinentem, & usurpent illud Donatistarum: *Quid Imperatori cum Ecclesia?* Quod tantopere reprehendit Aug. lib. 2. contra Litteras Petilianæ, c. 92. Hoc enim, & Sacris Litteris, & bonorum Regum Exemplis, & rationi ipsi contrarium est. Laudantur in Sacris Litteris David, Ezechias, Josaphat, Aza, & Josias, quod cultum, ac religionem Dei, vel promoverint, vel restaurarint. Eorum exemplum in Novo Testamento imitati sunt Constantinus Magnus, Theodosius, Arcadius, Honorius, Carolus Magnus. Et omnes Catholici Reges Hispaniæ. Contra vero non solum reprehensi, sed etiam puniti sunt, qui religionem, & fidem contemperunt, ut Jeroboam, Achab, Achaz, Amon. Et ratio est, quia Reges qui in sublimi potestate positi sunt, sicut ipsi ab inferioribus jure honorantur; sic Deum ipsum, à quo potestatem consecuti sunt, & cui jure naturæ subjiciuntur, merito honore debent, & ipsius gloriam, ac majestatem ubique pro-

propagare. Unde Agipetus ad Justinianum Imperatorem: *Honore quolibet sublimiorem cum habeas dignitatem, o Imperator; honora super omnes qui bac te dignatus est, Deum, quoniam juxta similitudinem Cœlestis Regni tradidit tibi scepterum terrena potestatis, ut homines edoceres justi custodiam, & eorum, qui quasi canes adversus ipsam rabiunt, insepararis latratum, tum ipsis obtemperando legibus, tum Subditos tibi regendo pro jure.*

7 Secundò statuendum est, eosdem Reges, & Principes Christianos nollemodo in suis Regnis, ac Provincijs debere admittere libertatem fidei, ac religionis, si impedire eam possint. Hec enim libertas plane illicita, & christiana doctrina contraria est. Nam, ut alibi dixi, multa in Evangelio sunt ex quibus constat Christum unam fidem mandasse, variam, ac multiplicem prohibuisse. Ac primo voluit unam tantum esse Ecclesiam, unum ovile, unum pastorem. Hec autem sine unitate fidei consistere non possunt. Secundo, voluit discipulos suos attendere à falsis Prophetis: At in multiplici religione necessè est alios esse veros, alios falsos Prophetas: ergo, si hi excludendi sunt, fides una retinenda est, varia

explodenda. Tertio voluit Ecclesiam suam esse perpetuam, cui omnes inferorum potestates resistere non possint. At perpetua esse non potest, si una omnium fides non sit: quod ipse testatur. *Luc. 11. 17. Omne regnum in se ipsum diffusum desolabitur.* Apost. dissertis verbis idem confirmat, *Rom. 16. 17. Rogo autem vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos iudicistis, faciunt, & declinate ab illis.* *Galat. 1. v. 8. Licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* *1. Cor. 1. 10. Obscurro vos fratres, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* *1. Cor. 14. 33. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis.* *Eph. 4. 5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* *Hebr. 13. 9. Doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci.* Vides, quam serio, quam sollicitè, & graviter hortetur Apostolus, ut unitatem fidei retineamus. Quod non faceret, si libertas indulgeri posset. Plura in hanc sententiam omitt. propt. brevitat. Nunc illud solùm addo ex Aug. Epist. 66. *Quæ est peior mors animæ, quam libertas erroris?*

8 Quid ergo facient Reges

ges circa Ecclesiam , & religionem , si neque curam illius omnino rejicere , nec etiam libertatem indulgere possunt? Dicam verbo. Debent illam tueri , ac defendere , non ut Domini , sed ut ministri , neque ut Judices , sed ut executores . Hoc enim fecerunt Christiani Principes : hoc verbo testati sunt. Carolus Magnus , ut alios omittam , apud Sigonium lib.4. de Regno Italæ , sic ait:

Si Ecclesiarum Dei servis magnificentiam nostram impertimur , eorumque studijs libenter obsequimur : id nobis ad Augustalis excellentiæ culmen proficere credimus. Si , inquit , obsequimur Ecclesiarum Dei servis : Obsequium offert: non arrogat sibi primatum. Vult esse minister in defensione Ecclesie , non Dominus.

9 Idem Carolus , cum a Leone Papa coronam Imperij accepit , hac formula jurisjuriandi usus est: *In nomine Christi , pondeo , atque polliceor ego N. Imperator coram Deo , & B. Petro Apostolo , me protectorem , ac defensorem fore hujus Sanctæ Romanae Ecclesie , in omnibus quatenus divino fultus fuero adjutorio , prout sciero , poteroque. Refert Siginus loc. cit.*

10 Et jam pridem usu receptum in Francia , Hispania ,

Anglia , Polonia , Hungaria , ut simili juramento obstringant se Reges , & nominatim promittant , defensuros se Ecclesiam , ac Religionem , ejusque Prælatis debitam reverentiam , & subjectionem præstituros. Neque hoc quicquam derogat ipsorum majestati , immo per honorificum est. Recte Ambrosius Epist. 32. ad Valentianum juniores. *Quid est , inquit , honorificentias , quam ut Imperator dicatur filius Ecclesie ? Imperator enim bonus intra Ecclesiam , non supra Ecclesiam est. Et Theodosius Italia Rex ad Joannem Pontificem : Sum quidem Iudex Palatinus , sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista recte gerimus si à vestris regulis minimè discedamus.*

11 Solum advertimus cum Coriolano in Breviar. ad ann. 774. Spondano ad eundem ann. num. 3. & Gonzalez in 1. tit. 6. cap. 5. n. 12. alios plures citante apud nostr. Matthæuc. controv. 3. cap. 4. n. 45. quod sunt in decreto Gratiani aliqui Canones concedentes Imperatoribus , & Regibus electionem , & confirmationem Romani Pontificis , qui sunt Apocryfi , & commentitij , quare prædicti AA. nimis credulitatis , & levitatis virum appellant Gratianum , eo quod col.

collectioni suorum decretorum præfatos Canones improvide nimis consarcinaverit ; & concludit Cabassut. notit. Eccles. ad ann. 1274. dissert. 2. ad Conc. Lugdun. II. tales Canones merito debere ex collectione expungi , & obliterari. Videatur etiam Baronium tom. 9. ad ann. 774. n. 13. & sequentib. Verumtamen ex electione non bene infertur superioritas ; nam Cardinales eligunt Pontifices , quibus tam Superiores minimè sunt.

QUÆST. VIII.

*AN ROMANO PONTIFICI
potestas conveniat in tempo-
ralia Principum?*

IN ovatores ad Romaniani Pontificis primatum exosum omnimode reddendum, ac in eum armandos Principes , & ad iram movendos, eos pernicioſa instruzione corrumpunt , suadentes, Romanos Pontifices jus sibi vindicare , & absolute prætendere in res , & dominia Principum , & hinc ad libitum posse è suis Principatibus eos depellere , subditosque à debite fidelitatis juramento eximere. Verum mendacijs falsitati super ædificant , ac tale jus Pontificibus affingunt , quod ipsi

nunquam somniarunt. Nullibi enim legitur eos aliquando falcam in messem alienam apponere tentasse , directamque potestatem circa temporales Principes exercuisse : utinam è contra in suo ipſi jure non turbarentur. Sed hoc etiam magis dolendum , quod non nulli è gremio Catholica Ecclesiæ ab hereticis arma mutuaverint ; quos non puduit alienam statuere à Romanis Pontificibus , etiam indiretam potestatem in ipsa Principum temporalia. Concedunt Papam habere potestatem coactivam circa Principes , sed spiritualem dumtaxat , qua eos possunt à communione Ecclesiastica excludere , sed nullo modo posse circa temporalia se ingerere.

2 Verum opus esse putamus, præmittere distinctionem potestatis circa temporalia , à Doctoribus præfixam: ut una sit *directa* , quæ ordinariè per se , regulariter , & primariò se extendit ad disponendum de rebus temporalibus in ordine ad civilem Reipublicæ tranquilitatem. Alia vero *indirecta* , quæ per accidens , & indirectè in ea tendit, in ordine nimirū ad bonum fidei , & Ecclesiæ, animarumque salutem. De prima quæstio non procedit : ea enim Principes ab-

absolutè gaudent in suis Dictionibus , & Pontifex eam habet in terris solum , quæ sunt sui dominij temporalis. De secunda est inter Doctores difficultas hic resolvenda. Nec movenda est quæstio , an dicenda sit potestas spiritualis , vel temporalis ? Nam de voce lis est : temporalis extrinsecè appellari potest , quatenus , & de temporalibus disponit : verum , quia illis non se ingerit , nisi in ordine ad supernatura-
lia , verè spiritualis est : cùm directè in res spirituales ten-
dat , & indirectè temporalia
respiciat.

3 Conclusio : *Est in Ro-
mano Pontifice potestas indi-
recta in temporalia Principum
in ordine ad finem supernatu-
ralem.* Ita communiter DD.
Catholici , nonnullis exceptis .
D. Thomas 2. 2. quæst. 12.
art. 2. & quæst. 60. art. 3. D.
Bonav. tom. 7. quæst. 7. de
Ecclesiast. Hierarch. cap. 1.
Diana Coord. tom. 9. tract. 1.
Historico Juridico Theologico
ref. 7. & 8. Petra Comment.
tom. 1. ad confit. unic. Gre-
gorij VII. & tom. 2. ad confi-
tit. 4. Innocentij III. Gonzalez
in 4. tit. 17. c. 13. Sperellus
decis. 182. n. 66. & Matthæuc.
Offic. Cur. Ecclesiast. cap. 29.
6. 1. alijque plures post Bellar-
minum. Probatur 1. Pontifi-
Tom. III.

cem habere potestem indi-
rectam in temporalia , & Prin-
cipum Dominia , est , ipsa posse eos temporalibus con-
tra spiritualia abutentes (adèò-
que maxima urgente Christia-
na Reipublicæ utilitate) pœ-
nis temporalibus , rerum ni-
mitum , & dominiorum pri-
vatione punire ; sed hæc po-
testas est in Romano Pontifice:
g. &c. Major non controver-
titur. Probatur min. Hæc ip-
sa potestas est Pontifici à
Christo tradita illis verbis:
Pasce oves meas. Tunc enim
constitutus est supremus Pastor
omnium fidelium , nullo ex-
cepto , ut est textus in cap.
Solita de majorit. & obed. &
cap. *Unam Sanctam* eod. tit.
int. com. eique data facultas
omni Pastori necessaria.

4 Concesso enim officio,
ea omnia concessa intelligun-
tur , sine quibus certè exerce-
ri non potest , cap. 1. de of-
fic. deleg. Et hinc est data,
tum circa Lupos , ut eos ar-
ceat , ne gregem invadant;
tum circa arietes , ut , si quan-
do cornibus lèdant gregem ,
eos recludat , nec sinat procede-
re . Tum circa oves , ut tri-
buat convenientiā pascua. Et
inde ita discurritur ; 1. Hære-
tici sunt Lupi , quos Pastor
arcet per excommunicatio-
nem , & simul jubet populis ,

ne eos sequantur. 2. Princeps Catholicus ; sed adeo malus , ut multum obsit Religioni , est aries destruens ovile ; quem ideo potest Pastor recludere , ac redigere in ordinem ovium non recalcitrantium , per depositionem à potentia , & dominatu. 3. Potest , & debet oves ita pascere , ut eis convenit.

5 Dicunt. Utcumque Catholicus Princeps sit malus , & Ecclesia nocivus , non potest à Papa corrigi , nisi penitentia spiritualibus , & censuris , quæ sunt suo officio proportionata , adeoque non privatione dominij : nam superior potest inferiori tantum imperare quoad ea , in quibus est superior ; est autem potestas spiritualis Papæ tantum superior in rebus spiritualibus , non in politicis. Sed contra : Ergo ubi Princeps ex catholico evaderet Lopus , idest , hereticus ; vel si fidem retineret , ita tamen temporali potestate abutetur , ut vel hereses soveret , seu jura Ecclesia occuparet , aut fidem catholicam persequeretur , populumque sibi commissum inquis legibus dilaniaret , ipsumque in suam infidelitatem , & rebellionem pertrahere conaretur , impune posset hereticos soveret , Religionemque evertere , &

rebellis in sua pertinacia aduersus Ecclesiam pugnare , si remedium aliud non superescat ? Poenæ omnes spirituales , & censuræ , ac charitatis hor-tamenta supponuntur adhibita , & inutiliter semper . Nullus tamen est , qui repugnatiam non videat. Nec Papa supremus suislet à Christo relic-tus Pastor Christiani ovilis , si ejus potestas non extenderetur ad rebellem ovem potentia , & viribus spoliandam , ita ut impotens fieret ad ulcerius Religioni nocumentum inferendum. Ideo , quia pena spiritualis non sufficit , opus est temporali , & magis sensibili , depositione nimirum à potentia , & principatu , cumque , populo à fidelitatis iuramento absoluto , omni dignitate , & bonis private.

6 Hæc pena , licet temporalis sit , per indirectum tam en , & per accidens , in ordine , nimirum , ad bonum supernaturale , dicitur proportionata officio Pastoris , & cadere sub potestate spirituali Papæ , ut ex num. 2. Qui perse , & directe , est solum quoad spiritualia Principibus superior , sed indirecte , etiam quoad temporalia ; cum ipsis in damnum Religionis , quis abutitur , ut diximus .

7 Dices. Lex Christiana

neminem privat jure suo : g. sicut ante Christianam legem homines in politicis erant Principibus subditi, sic postea subduuntur. Per Baptismum enim sunt oves gregis Domini, tantum in rebus spiritualibus, & quoad æternam salutem spectantia Præsidii Hierarchicæ Ecclesiastice se submitunt. Sed contra. Non dicimus homines per baptismum liberari à subjectione in civilibus ad suos Principes, nec Princeps per ipsum per se, & directe in politicis subdi Pontifici : quod asserimus est, quod dum Principes lavacrio baptismi incorporantur gregi Christi, & Pontifici submittuntur in pertinentibus ad æternam salutem, ut adversarij non inficiantur, de necessitate per accidens, & indirecte subduuntur, etiam quoad temporalia, cum videlicet à via salutis aberrant, & in damnum Religionis potentiam convertunt, ac à constituto fine deviant. Habet plane Princeps temporalis, pro fine pacem temporalem, & civilem Reipublicæ, & Pastor spiritualis æternam animarum salutem, & ipsorum potestates sunt instrumenta proportionata ad hos fines consequendos, & conservandos. Verum potestas temporalis

Principum non est destruтивa Fidei, & Religionis, sed debet Ecclesiam protegere, ac auxiliū præstat ad executionem legum, quas Pontifex facit; ideo spirituali subordinatur, & est ei in subsidium. Quatenus vero aliquid in civilibus operatur, quod repugnat bono fidei, & animarum saluti, potest à spirituali corrigi, & in melius, si opus sit, pœna etiam temporali emendari.

8 Instant. Pontifici non convenit de quovis peccato judicare, nisi quatenus est offensa Dei, & quatenus pœnis spiritualibus, ac censuris corrigendum est, non autem pœna temporali; nam in foro mundano peccata, quatenus turbant pacem Reipublicæ, subjiciuntur potestati politicæ, per quam judicari possunt, & pœnis temporalibus puniri; & quatenus sunt offensa Dei, & spirituali saluti nocent, subjiciuntur judicio Ecclesie: seu in foro interiori pœnitentia, seu in foro etiam externo, si publica, & in scandalum Ecclesie, ac gravissima sint, sed tantum, ut pœnis Ecclesiasticis castigentur: g. licet potestas civilis à suo fine deviat, à spirituali pœna nunquam temporali puniri potest. Contra: Hæc idem urgent, quod

præcedentia. Ideo repetimus, Pontificem posse per indirectum, pœna etiam temporali in foro externo Principes, propter crimina Religionis bono, & fidei nociva, punire. Ad regimen enim Ecclesiæ necessarium fuit immensæ Principiū potentia termiñum aliquem præfigere, extra quem non excurseret, & jura Religionis non offendere.

9. Probatur 2. conclusio: quod Pontifex habeat prædicatam potestatem, fuit dispositum in Concilio Lateran. IV. sub Innocentio III. in quo excommunicantur hæretici; quorum bona, si fuerint Laicæ, fisco adjudicanda sunt; si vero Clerici, applicanda Ecclesijs, à quibus stipendia perceperunt. Et ulterius præcipitur potestatisbus Sæcularibus, ut omnes hæreticos è suis distinctionibus pro viribus expellant; & simul statuitur, ut quando ad regimen assumuntur, præstent juramentum, se pro viribus, & bona fide perseveruros. Denique, committitur Episcopis, ut Dominos temporales, in hoc negligentes, excommunicent; & si infra annum satisfacere contempserint, significandum est Summo Pontifici, ut ex tunc ipse Vassallos ab ipsorum fidelitate denuntiet absolutos, & ter-

ram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, sine ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conservent, salvo jure Domini principalis; quatenus bona in feudum effent ab illo recepta.

10. Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 29. de Reformat. excommunicat pugnantes in duello, ac pœnam proscriptionis omnium bonorum imponit. Sessione 24. c. 6. de Reform. Matrim. raptore condannat, ut raptam, vel eam ducant, vel in bonis suis arbitrio Judicis decenter dotent. In cap. 1. de Homicid. in 6. Innocentius IV. à dignitate deponit Principes mandantes per assassinos quempiam Christianorum occidi. Nec alia desunt jura, quæ eam potestatem Pontifici concedant, seu declarent habere: propter quod Romani Pontifices possunt Reges, & Imperatores deponere; circa quos saepius ista potestate usi sunt. Ad hoc spectat etiam illud Pauli 1. ad Cor. 6. v. 3. *Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis sacerdaria?* Et Luc. 22. v. 38. *Dominne, ecce duo gladij hic.* At ille dixit eis: *satis est.* Per hos duos gladios paſsim interpres intelligunt duplicem

potestatem Ecclesiæ spiritua-
lem, videlicet, & temporā-
lem, ut testatur Cornelius Alap.
in cap. 26. Matth. v. 51. Quod
autem Christus dixit Petro,
Joann. 18. *Mitte gladium
tuum in vaginam;* ideo dixit,
quia temporalis potestas Ec-
clesiæ non vindictæ, sed tan-
tum necessitatis causa exer-
cenda sit, ut ait S. Bernardus
lib. 4. de Consider. ad Euge-
nium. Vel ut alii explicant:
non dixit Christus, projice
gladium à te, sed mitte in va-
ginam, hoc est, adversus Prin-
cipes non semper, sed oppor-
tunè, bono spirituali exigen-
te, peccatis temporalibus pro-
cedas; & in his terminis man-
des aliis, ut contra rebelles,
& inobedientes materialem
gladium accipiant. Quia verò
dixit *tuum*, constat, materia-
lem gladium esse Summi Pon-
tifici, & in ejus potestate,
non quoad usum, sed quoad
imperium, ut jam dicemus.

11 Gregorius II. parte
Imperii privavit Leonem Im-
peratorem Iconotacum, de
quo hæc scribit Spondanus
Epitom. tom. 2. ad ann. 730.
num. 2. Imperator denuò à
Gregorio monitus (ut à per-
secutione cessaret adversus Sa-
crarum Imaginum propugna-
tores) *nihilominus in impie-
tate permanxit: tunc demum*

*factum est, ut idem Pontifex
ipsum impænitentem hereti-
cum cognitum, & declaratum,
anathemate percusserit, atque
Romanos, & reliquos Italos
ab ejus obedientia, & tribu-
torum solutione recedere peni-
tius fecerit: quos antea, id
sponte facere tentantes, coer-
cuerat.*

12 Zacharias Pontifex
mandavit, Regnum Franciæ à
Childericō, dicto *stupido*, trans-
ferri in Pipinum, quem Re-
gem creare iussit, Spond. ad
ann. 751. Et Corolianus in
Breb. ad ann. 752.

13 Gregorius VII. audita
cæde Stanislai Episcopi Cra-
coviensis (quem inter Sanctos
Innocentius IV. adscriptis)
facta a Boleslao Poloniæ Re-
ge, hunc omni honore, & dig-
nitate Regali privavit, omnes-
que subditos obedientiam, ei
exhibere vetuit. Spondanus ad
ann. 1079. num. 7.

14 Idem Pontifex depo-
suit à Regno Henricum IV.
Imperatorem, vassallos à ja-
rimento fidelitatis absolvit,
confirmavitque electionem in
Regem Romanorum Rodul-
phi Sueviæ Ducis, ab Electo-
ribus factam, prout ex Const.
unic. *Eiusdem* in Bullar. tom.
1. in qua §. 10. hæc sunt: *Ag-
ite nunc quoſo, Patres, &
Principes Sanctissimi (loqui-
tutę*

tur cum S. Petro, & Paulo) ut omnis mundus intelligat, & cognoscat; quia si potestis in Cælo ligare, & solvere; potestis in terra Imperia, Regna, Principatus, Marchionatus, Ducatus, Comitatus, & omnium hominum possessiones promeritis tollere unicuique, & concedere. Spondan. ad ann. 1677. n. 7.

15 Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi I. Fridericum II. sufficuum ab Electoribus, Othonem IV. ab Innocent. III. exauktorato, teste Spondano in auftario ad annales Baronij ad ann. 1210. iam pridem ab Apostolica Sede, ob gravissima facinora, heresis suspicionem, jurium Apostolice Sedis violationem, quantumdam terrarum ad Ecclesiam pertinentium occupationem sacrilegam, commissa in perfonas Ecclesiasticas, etiam S. R. E. Cardinales, & Sanctæ Sedis Legatos, eos captivos retinendo, bonis spoliando, & ignominiosè tractando, aliqua scelera, de quibus exprefse in Constit. Innocentij ad Apostolice 3. in d. Bullar. Et sane ex hoc etiam, Friderici insolentia ponitur in propatulo, quod Encio, suo ex concubina filio requirenti, quid de captiva Prælatorum turba (inter quos tres fuerant Car-

dinales Legati) Romam, in Genvensium tremibus, propterante ad Concilium à Gregorio IX. indictum, insolens rescripsit.

*Omnis Prælati, Papa mandante, vocati
Et tres Legati; veniant hucusque ligati.*

16 Hinc Papa ad sententiam processit ut infra ibi §. 6.
 „ Nos itaque super præmissis,
 „ & compluribus alijs ejus
 „ nefandis excelsibus cum Fra-
 „ tribus nostris, & Sacro Con-
 „ cilio deliberatione præhabili-
 „ ta diligenti, cum Jesu-Chris-
 „ ti vices, licet inmetiti te-
 „ neamus in terris, nobisque
 „ in B. Petri Apostoli perso-
 „ na sit dictum: *Quocumque ligaveris super terram, &c.*
 „ memoratum Principem, qui
 „ se Imperio, & Regnis, om-
 „ niue honore, ac dignitate,
 „ reddit, tam indignum, qui-
 „ que propter suas iniquitates
 „ à Deo, ne regnet, vel im-
 „ peret, est abjectus, suis
 „ ligatum peccatis, & abjec-
 „ tum, omniue honore, &
 „ dignitate privatum à Domi-
 „ no ostendimus, denuncia-
 „ mus, & nihilominus senten-
 „ tiando privamus. Et §. 7.
 „ Omnes, qui ei juramento
 „ fidelitatis tenentur adstric-
 „ ti, à juramento hujusmodi
 „ perpetuo absolventes, au-

, tho-

„ thoritate Apostolica firmiter
 „ inhibendo , ne quisquam de
 „ cætero sibi tanquam Impe-
 „ ratori , vel Regi pareat , vel
 „ intendat ; & decernendo
 „ quoslibet , qui deinceps ei
 „ velut Imperatori , ac Regi
 „ consilium , vel auxilium
 „ præstiterint , seu favorem ,
 „ ipso facto excommunicatio-
 „ nis vinculo subiecetur . Et
 „ §. 8. Illi autem , ad quos in
 „ codem Imperio Imperato-
 „ ris spectat electio , eligant
 „ liberè successorem .

17 Circa quod considerandum occurrit. Primo , ad-
 versus patrocinantes Conci-
 lium supra Papam , quod Pon-
 tifex , & non Concilium Fri-
 dericum depositit , licet in
 Concilio ; quod tamen non
 de necessitate fuit congrega-
 tum , sed de solemnitate , &
 congruentia , ut nimis omnibus
 Principibus , & Prae-
 latis facilius causa depositionis
 innoveretur . Secundo , quod
 Fridericus non fuit inauditus
 damnatus : nam suos ad Con-
 cilium Legatos misit , inter
 quos Thadæus vir doctrinæ
 & industrios audacter causam
 Friderici propugnavit . Ter-
 tio , quod Principibus perspi-
 cuum est Pontifices ea potesta-
 te prædictos esse . Nam Inno-
 centio , nec Imperator Con-
 stantinopolitanus , (qui Con-

cilio interfuit) nec alij Princi-
 pum Oratores eidem præsen-
 tes se opposuerunt . Quartò ,
 quod in executionem liberta-
 tis Electoribus factæ ab In-
 nocentio , ipsi Friderico in
 præcessu Imperialis dignitatis
 fastigio suffecerunt Henricum
 Langravium Halsiæ , ex Spon-
 dano ad Annal. Baronij ad
 ann. 1246. sunt autem qui nu-
 merant annos 28. inter regni à
 depositione Friderici ad Ro-
 dulphi Hasburgi electionem ,
 ut ex indice Imper. Romanor.
 à Cabassutio reportato in no-
 tit. Ecclesiast.

18 Paulus III. Const. *Eius*,
 qui 7. ibi excommunicatione ,
 & Regni , ac Dominiorum pri-
 vatione multavit Henricum
 IV. ejusque vassallos à jura-
 mento fidelitatis , & subjec-
 tione erga eundem absolvit ,
 & penitus liberavit . Hujusmo-
 di exempla conglusionem adeò
 firmant ; ut prudenti nefas sit
 dubitate . Nec alia desunt apud
 Historiæ Ecclesiastice relatores ,
 quos quisque potest pro op-
 portunitate consulere .

19 Probatur 3. conclus.
 Firma est , & in omnibus cons-
 tans assertio , Romanum Imper-
 ium authoritate Romani Pon-
 tificis ab Oriente in Occiden-
 tem pervenisse ; Nam Leo III.
 in persona Caroli Magni illud
 à Græcis in Germanos trastu-
 lit .

lit, ut ex cap. *Venerabilem* de elect. Ubi Innocentius III. concludit, ad Romanum Pontificem pertinere confirmare Imperatorem, si sit dignus; & reprobare, si indignus. A quo etiam, si Electores admoniti, & expectati, vel non potuerint vel noluerint convenire, ut Imperatorem eligant, ille institutur, ne *Apostolicae Sedes* *advocato*, & *defensore* taret. A quo etiam ias, & potestas eligendi Imperatorem ad septem viros pervenit, ex alleg. cap. & Cleméntina unic. *de Jure jurando*. Sed ex ipsis concluditur potestas iudicata in temporalia, & Principum dominia.

20 Dicunt. Ius eligendi Imperatorem non processit à Pontifice, sed ab Othonе III. In quem illud referunt plures, & præsertim Protestantes apud Diana Coord. tom. 9. tract. 10. refol. 1. & Gonzalez in 1. tit. 6. cap. 34. num. 4. Sed contra: Quod memorata potestas à Sede Apostolica processit, debet esse extra controversiam, non modo, quia allegata iura ejus favor clamant, verum etiam, quia ratio id postulat: non enim Principes Germaniæ poterant condere ius eligendi Romanorum Regem, vel Imperatorem, cum apud eos esset tantum ius eligendi Regem

Germaniæ. Item, nisi ab uno, qui in omnes, & præ omnibus authoritatem haberet, jus eligendi Imperatorem emanasset, ægrius ferrent Christianorum nationes, se neque rogatis, neque volentibus, à paucis Germanorum Principis eum eligi, qui eo ipso, ac Imperator est, & nominis ipsius majestate, & honoris excellentia primum semper locum teneat, sive per se ipsum ille, sive per Legatos suos adsit. Regesque omnes ubique, quantumvis Christianissimos, & potentissimos antecellat, qui profecto locum ei non cederent, nec cessissent.

21 Ideo concludendum, collegium Electorum jure scripto institutum esse constitutione nimis Gregorij V. Pontificis Othonе III. cupiente, & Imperio recipiente. Quod dict. cap. *Venerabilem* significat Innocentius per ly jure. De qua re præter allegatos agunt Spondanus ad annum 996. n. 11. & Bzovius in *Rom. Pontific. cap.* 43. Videnda etiam constitutio firma Alexandri IV. 7. dict. Bullar. qua Electoribus inhibuit, ne in Romanorum Regem eligerent Conradum (propter puerilem etatem inhabilem ad exequendum pro Ecclesia defensoris officium) natum Conradi filij Frederici II. jam ab Imperio depositi. Quod sa-

ne non egisset Alexander, nec Electores paruisserent, (prout religiosé receperunt mandata) si non ab Apostolica Sede; sed à laica potestate jus illis fuisse concessum: Etenim Sedes Apostolica jura aliena non lædit, sed in bonum Ecclesiæ præseruat.

22 Tandem. Securis ad eadem admovetur. Potestas indirecta confirmatur expressè Decretis Apostolice Sedis. Innocentius X. declaravit, hanc propositionem: *Papam nullam habet potestatem in temporalibus, etiam indirecte, esse hæreticam, saltem reductive.*

23 Alexander VIII. constit. inter multiplices edita 4. Aug. 1690. proscriptis propositionem hanc: quam Authores declararunt: *Beato Petro, ejuque successoribus Christi Vicarijs, ipsi Ecclesiæ rerum spiritualium, & ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium, à Deo traditam potestatem, dicente Domino: „Regnum meum, non est de hoc mundo; & iterum. Reddite ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo; ac proinde stare Apostolicum illud: „Omnis anima protestantibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Regentes*

Tom. III.

ergo, & Princeps nulli Ecclesiæ potestat. Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ directe, vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi à fide, atque obedientia, ac praefito fidelitatis juramento solvi posse: eamque sententiam publicè tranquilitati necessariam; nec minus Ecclesiæ, quam Imperio utilem, ut Verbo Det, Patrum Traditioni, & Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam. Quæ assertio, cum alijs tribus editis in Comitijs Gallicanis de anno 1682. fuit subinde sub Pontificatu Innocentij XII. retractata, prout expressè in Epistola Innocentio directa, relata in regal. Sacerdot. lib. 4. §. 5. & ult. num. 44. novæ edit.

24 Inquires: *An clavis, seu potestas spiritualis in Pontifice excludat dominium temporale? Hæretici affirmant, cum clavibus pugnare quodvis dominium politicum; consequenter negant, non tam Pontificem esse Dominum temporalem, quam esse hujus Dominij capacem. Ita Calvinus lib. 4. Instit. cap. 11. Magdeburgenses cent. 1. lib. 2. & cent. 8. Catholici vero dicunt. 1. Quod potestas clavium ex sua ratione temporalem, & politicam non comprehendit; nam*

Nra est

est spiritualis, & Ecclesiastica, ac ordinata ad animarum salutem. 2. Quod claves ex sua natura non excludunt temporalem potestatem, atque ita licet Pontifices possunt habere, habentque dominium temporale: nam potestas spiritualis, & dominium temporale inter se non pugnant, nec una posita, aliud excluditur, sed simul in uno eodemque coniunguntur. Patet in Melchisecho, qui fuit simul Rex, & Sacerdos. Huc etiam spectat, quod Deus illis de Tribu Levi, quæ electa erat pro divino cultu, & in qua erant Levitæ Sacerdotes, & Pontifices, inter cetera concessit, ut haberent quadraginta octo urbes cum agris suis, Num. 35.v.3. quarum sex erant Civitates refugij, cum jure asyli, ut ibi vers. 6. Ipsi vero Levitæ plenum jus, & dominium utile in civitates obtinebant; & inde Officiales, & Magistratus in illis statuebant, ut notat Tirinus Comment. tom. 1. in lib. Josuæ, cap. 21.

25 Id etiam constat exemplis: Sanctissimi enim Episcopi bona, & prædia à pijs, religiosisque virijs legata accepterunt, & Patrimonium Ecclesiasticum auxerunt. Legant Novatores Augustinum Serm. 335. ubi num. 4. respondens ipsum reprehendentibus, quod

non suscepit hæreditatem Ecclesiæ reliqtam, dixit: *Plane suscipio, profiteor me suscipere oblationes bonas, oblationes Sanctas.* Sanctas vero, & bonas eas appellat, quæ non ex hæreditatis filijs relinquuntur Ecclesiæ; idèò concludit: *Ecce unum dico: filij Juliani hæreditatem suscipi: Quare quia sine filijs defunctus est.* Ulterius obvia res est: In Germania plures sunt Episcopi simul, & Domini temporales, quod præ ceteris evidens est in tribus Archiepiscopis Electoribus, Moguntino, Trevrensi, & Coloniensi.

26 Nulla proinde est ratio, ut Novatores injustitiae, & iniquitatis accusent Romanos Pontifices, propter temporalem Principatum, in quo succedunt Constantino, sicut Petro in primatu Ecclesiæ, ut scripsit Bern. lib. 4. de Considerat. cap. 3. A tempore enim Constantini utraque potestas in Ecclesia quoad exercitum est copulata. Pissimus enim Imperator Bizantium concedens Romanam Urbem, Romanamque Ditionem Ecclesiæ Romanæ summa liberalitate donavit; quia (ut in ipsius edicto) „ubi Principatus Sacerdotum, & Christianæ Religionis caput ab Imperatore Cœlesti constitutum est, jux-

„tum non est, ut illic Imperator terrenus habeat potestatem. De qua re agit Bzovius in Rom. Pontif. cap. 41. referens fragmentum edicti, donationem ex Authoribus Græcis, & Hebræis confirmans. Coriolanus in Breviar. ad ann. 342. Spondanus lib. 1. 96. dist. Et donatio a subsequentibus Imperatoribus fuit confirmata: at bona ipsa, vel conservata, aut a Tyrannis ablata, fuerunt Ecclesiae redditæ, & restituta, ut observat alleg. Coriolan. & Macedo de Clavib. Petri, lib. 1. dissert. 3. cap. 1.

27 Arg. 1. contra præcipuam conclusionem: Indirecta potestas, cuius vigore possit Pontifex de rebus temporalibus Principum disponere, est contraria Divinis Scripturis: g. non datur in eo talis potestas. Anteced. patet ad Rom. 13. „Omnis anima potestatis bus sublimioribus subdita sit; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit :: non est potestas, nisi a Deo: Atqui quia potestas Pontificis est a Deo, Pontifex a nullo potest deponi: g. nec deponi possunt Principes a Pontifice, quia illorum potestas etiam a Deo est.

28 Confirmatur: Christus Dominus non habuit potesta-

tem in res temporales Principum; nam ipse dixit Joann. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo;* & Matth. 8. *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos;* *Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet:* Et Luc. 12. 14. *Negavit, se habere judicariam potestatem: quis me constituit Judicem super vos?* Ergo multo minus ponenda est hæc potestas in Romano Pontifice; quia non majoris est potestatis Vicarius, quam Principalis. Deinde, Luc. 22. v. 25. dixit Discipulis: *Reges gentium dominantur eorum,* & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: *vos autem non sic.* Ergo ablata est a Christo domino omnis potestas Secularis in sua Ecclesia. Denique, in cap. *Unam Sanctam determinatur gladium spiritualem esse tractandum manus Sacerdotis; materialem vero manu Regum, & militum.* Et in cap. *Duo sunt.* 69. dist. dicitur, quod si tolleretur potestas Principum, tolleretur & ordo a Deo institutus, quantum a duo Regimina: g. &c.

29 Respondetur ad argum. neg. antec. ad cuius primam probationem dicimus, quod ibi D. Paulus improbat errorum illorum, qui repugnabant

solvere tributa Imperatoribus; in quem finem ibi subdit: *Redit ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui honorem, honorem, &c.* Et Christus Matth. 22. *Redite, quæ sunt Cæssaris, Cæssari, & quæ sunt Dei, Deo;* hoc est: *Date Cæsari tributum, quod exigit; cum enim sitis illi subjecti, æquum est, ut præstetis ei, quod Domini suis subditi debent;* Deo vero anima præstare debet cultum, & obsequium. Hoc omnes Catholici docent, & in subditis erga Principes, justa præcipientes, obedientiam, & obsequium recognoscunt. At Catholica sententia est, Pam posse Principes deponere, dum Ecclesia necessitas exigit, & ipsi præjudicant bono Religionis, & fidei; quod non evenit, dum justa præcipiunt, Religionē gubernant, & Ecclesia non insultant.

30 Quod autem potestas Secularis sit à Deo, (quia natura, & recta ratio, quæ à Deo est, ita dictat, & suadet) non tollit quod Potestas Pontificia sit superior; quia est à Deo immediate, & est potestas capitis Ecclesia; potestas vero Principum est membrorum sub capite: Unde, quando potestas, vel gladius temporalis nocet Religioni, & Ecclesia, à spirituali potestate

debet in ordinem reduci, ac poena etiam temporali depositionis coerceri, dum spiritualis satis non est: quod est in dict. cap. Unam expresse definitum: *Oportet autem, gladium esse sub gladio, & temporelem autoritatem spirituali subjici potestati; nam cum dicat Apostolus, non est potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in suprema; nam secundum B. Dionysium; lex divinitatis est, infima per media in suprema reducere.*

31 Ad confirmationem respond. neg. antec. nam ut diximus tract. de Incarnat. disp. 9. q. 4. Christus D. quatenus homo fuit Rex, & Dominus temporalis Universi, ut patet Apoc. 17. *Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Et Acto. 10. *Hic est omnium Dominus.* Et Ps. 7. *Ego autem constitutus sum Rex super Sion montem sanctum ejus.* Tanta enim fuit excellentia ejus ratione hypostaticæ unionis, ut nullus potuerit esse titulus honoris, prærogativa, & potestatis, quem ipse non haberet, juxta illud Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.*

Terra. Quæ testimonia intel-
ligunt communiter PP. de
Christo Domino , quatenus
homo. Immò colligitur etiam
ex Authoritate objecta ; nam,
ut observat August. tract. 115.
in Joann. *Christus non dixit:*
Regnum meum non est in hoc
mundo , sed , non est de hoc
mundo ; & cum hoc probaret,
dicens : *Si ex hoc mundo esset*
Regnum meum , Ministri mei
decerarent , ut non traderer
Judaïs ; non ait : nunc autem
Regnum meum non est hic , sed
non est hinc. Quare potuisse
quoscumque Reges , & Prin-
cipes privare suis Regnis , &
Dominis , si voluisset. Verùm
eos reliquit in suo statu , nec
ea potestate uti voluit , ut loco
cit. scripsit S. Doctor : *Au-*
dite ergo Iudai , & Gentes:
audi circumcisio , audi præpu-
tium : audi omnia Regna
terrena , non impedio Domi-
*nati onem vestram in hoc mun-*do.** Videantur etiam quæ tom.
2. loco sup. cit. diximus.

32 Ad illud Matth. 8.
Vulpes , &c. respond. quod
Christus reprehendebat quem-
dam Legis Doctorem , qui
spè dignitatum , & opum,
Christum sequi statuerat. Cui
Christus ea intentione vis mihi
hi adhætere ? Erras : Nam ego
ne quidem tantum habeo , aut
quantum habent Aves , aut

vulpes , quibus autem non
desunt proprij nidus , & fo-
veæ ; Christus enim non ve-
nerat , ut Rex politicus ad
gubernandum de facto , & in
exercitio , sed ut Salvator ad sal-
vandum. Erat Rex totius uni-
versi , sed in conversatione cum
hominibus non egit personam
Regis , juxta illud Baruc. 3.
Et cum hominibus conversatus
est , in qua societate sàpè te-
bus usus est , significans , se
in illis dominium nullum ex-
ternum habuisse : Ex quo ni-
hil contra nostram conclusio-
nem.

33 Ad illud Lucae 12.
respondeatur ; quod Christus
non negat , se , aut Ecclesiam
habere potestatem Judicia-
riam , (ut somniarunt hæreti-
ci Anabatistæ) nam erat ipse
Dominus , & Judex omnium
à Patre constitutus ; sed solùm
negat , posse aliquem illum
obligare , ut id faciat. Absti-
nere autem tunc voluit à judi-
cio in divisione hæreditatis ,
prout ab uno rogarbatur , ne
foveret carnalem Judæorum
opinionem de politico Messia
adventu. Videatur Tirinus in
dicto cap. Ad aliud , *Reges*
gentium , &c. respond. neg.
conseq. Nam sensus verborum
Christi est : Reges gentiles so-
lent esse ambitiosi , & multa
per tyrannidem facere , ac
suis

suis potius, quam subditorum commodis studere: Vos autem, Apostoli mei, nolite eos imitari, sed cum modestia, & fraterna dilectione Ecclesiam gubernate. Quod, & faciunt SS. Pontifex; nam cum Principe in Ecclesiam Refractorio, primo monitis charitatis procedit: Deinde, penarum Ecclesiasticarum timore eum revocate studeat, quem postea in contumacem pronuntiat: Ac denique, si eas parvipendat, depositione à Principatu utitur: principatum ipsum in heredes transferens, si adsint: vel, catholicis occupantibus cedens: & in subsidium ad executionem sententiae, vocat auxilium brachij Secularis, mandans Principibus, ut causam fidei adjuvent, armis rebellem superantem, & in statum privatum reducentes.

34 Ad primum locum Decretalis respondetur, sensum esse, quod uterque gladius spiritualis, & materialis est in potestate Ecclesie; sed hac differentia, quod spiritualis manu Pontificis exercetur, ipse enim poenas spirituales imponit: materialis vero à Laicis, sed jussu Pontificis tractatur, ut dixit etiam Gregorius IX. Constit. *Cum justa quæ est sub.* 14. Bullar.

tom. i. *Uterque gladius Ecclesie traditur sed ab Ecclesia exercendus est unus, alius pro Ecclesia manu Secularis Principis eximendus: Unus à Sacerdote, alius ad nutum Sacerditis administrandus à milite.* Potest igitur Papa juxta text. in cap. *Igitur 23. quæst. 8.* Regibus, & Principibus imperare, ut latam ab eo sententiam depositionis à principatu adversus aliquem exequantur; alias indirecta ejus potestas circa temporalia inutilis, & insufficiens foret, dum contumaces resistarent. Ad ultimum dicimus, quod in casu questionis, Pontifex tolleret abusum potestatis, non ipsam potestatem, quæ alteri traderetur; uade nec auferret ordinem à Deo institutum quantum à duo regimina.

35 Arg. 2. Reges non subjici Pontifici in temporalibus, declaratur in cap. *Per venerabilem.* qui fil. sint legit. ubi de Rege Franciæ: *Cum Rex superiorem in temporalibus minime recognoscat:* g. &c. Respond. per datam, & notam distinctionem: Reges in temporalibus non subjiciuntur Romano Pontifici, directè, conc; indirectè, nego. Unde, cum Innocentius III. dixit: *Regem Galliæ nullum in temporalibus*

*agnoscere superiorem , acci-
pitur de superiori temporali;
non enim Rex agnoscit supra
se Principem temporalem , à
quo possit coerceri : sed ag-
noscit Romanum Ponticem
Principem spiritualem , qui de
temporalibus quoque in ordine
ad spiritualia judicare potest , &
secundum hunc intellectum
Bonifacius VIII. scripsit eidem
Philippo pulchro : Scire te
volumus , quod in spirituali-
bus , & temporalibus nobis
subes ; in spiritualibus directe,
in temporalibus indirecte ,
apud Coriolanum in Breviar.
ad an. 1303. Neque enim Rex ,
& Galliæ Regnum exclusum
fuit à verbis , quæ Christus
dixit Petro , & successoribus:
„ Pasce oves meas ; quodcum-
que ligaveris , &c.*

36 Arg. 3. Papa non con-
firmat novum Regem , sive
electione assumatur , sive jure
hæreditario succedat : g. nec
potest exhaustorare. Respon-
detur. Consequentia est vera ,
nisi necessitas spiritualis ur-
geat. Audiatur Turrecremata
lib. 2. Summ. de Ecclesi. lib.
2. cap. 114, prop. 4. „ Poteſt
„ Papa Regem deponere , non
„ ſolū propter hæresim , vel
„ Schisma , aut aliquod cri-
„ men intolerabile in populo ,
„ ſed etiam propter insuffi-
„ cientiam , propter quam

„ Regnum fidelium pericli-
„ tur. Pari modo si Elec-
tores hæreticum eligerent , vel
in Regno hæreticus succede-
ret , & nollet hæresim adju-
rare , Pontifex infirmaret
electionem , & à successione
illum excluderet; hæretici enim
omnibus bonis ſunt privati ,
ex diſt. cap. Excommunican-
tes , videatur loco cit. Diana.

DISPUT. V.

*DE SACRA EUCHARIS-
tia , de Sacrificio Miffæ , de
Communione ſub una ſpecie ,
de Purgatorio , de Indulgen-
tijs , & de Cœremonijs , qui-
bus utitur Eccleſia Catholica
Apoſtilica Romana , neconon
& de Invocatione
Sanctorum.*

QUÆST. I.

*AN CHRISTUS DOMINUS
verbi realiter , & ſubstantia-
liter ſit praesens in Eu-
chariftia?*

C Alviniftæ , cum alijs
quibusdam , negant
realēm Christi præſentiam in
Euchariftia , & ſolū concen-
dunt præſentiam figurativam ,
ſicut nihil adſit præter iſpum
panem , & vinum , tanquam
figuram , aut ſignum repræ-
fen-

sentans corpus, & sanguinem Christi pro hominibus oblatum. Lutherani verò, admittunt, saltem in usu hujus Sacramenti, realem Christi præsentiam, sed remanente simul panis, & vini substantia: sed adhuc inter se divisi sunt; nam aliqui partim cum Catholicis, partim cum Calvinistis confirant. Cum Catholicis sentuntur, Christum esse præseatum, ut diximus; cum Calvinistis negant concomitantiam. Itaque secundum illos sola caro Christi est sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini; anima verò rationalis sub neutra. Alij cum Catholicis, diverso tamen fundamento, simpliciter asserant, totum Christum contineri sub unaquaque specie, etiam separatim sumpta; ita Brentius, Kemnitius, & omnes alij, qui defendunt ubiquitatem; nam si totus Christus secundum divinitatem, & humanitatem ubique est, ut ipsi volunt necessè est esse totum in pane, & similiter totum in Calice.

2 Catholici verò sic firmissima fide sentiunt, ac statuant: Primo, in Christo specificari posse carnem, sanguinem, animam rationalem, & divinitatem, seu personam Verbi. Secundo, Christum, secundum hæc omnia, contineri in Sacra-

mento Eucharistia post consecrationem à Sacerdote factam; ita, ut virtute consecrationis substantia panis mutetur in corpus, & substantia vini in sanguinem Domini, solis accidentibus panis, & vini remanentibus; & hoc esse, quod dici solet, Christum totum contineri in hoc Sacramento. Tertio, Christum non solum sub utraque specie simul sumpta, sed etiam sub una specie separatim accepta, totum contineri, idest, totum sub specie panis, & totum sub specie vini. Quarto, aliter tamen contineri sub specie panis, aliter sub specie vini; nam sub specie panis continetur solum corpus vi verborum consecrationis; reliqua verò per concomitantiam: sub specie autem vini continetur solus sanguis vi verborum consecrationis; & reliqua per concomitantiam. Hæc omnia habentur, post alia Concilia, in Concilio Trident. sess. 13. cap. 3. & sess. 21. can. 3. & apud D. Thom. in 3. part. q. 76. art. 1. & 2. & apud Subtilem nost. Magistrum in 4. d. 10. q. 1. cum quibus sit.

3 Conclusio 1. *Christus D. verè realiter, & non tantum figurativè, est praesens in Eucharistia.* Est de fide, contra Calvinistas, Anabaptistas,

tistas, & novos Arrianos. Probatar 1. ex clarissimis Christi D. verbis Matth. 33. Luc. 22. v. 19. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Et Marc. 14. v. 24. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.* Atqui non figura corporis Christi pro nobis tradenda erat, sed ipsius verum corpus traditum, & verus ejus sanguis effusus est: g. Christus verum corpus, & verum sanguinem dixit in Eucharistia à se tunc data contineri. Deinde, si Dominus ultimum testamentum condens, prouidendo suis discipulis verum corpus suum relixerit ad manducandum, revera tamen tantum figuram, juxta adversarios, reliquisset, haud aliter deceperet discipulos, quam si testamentarius quispam papyraceis monetis plenam cistam hereditibus suis cum hoc dicto relinqueret: *Hic sunt meæ divitiae, que vobis tradentur*, intellecturis prudenter, non figuram sed veras auri divitias cista illa concludi.

4. Confirmatur. Nam & Paulus usus est verbis Christi sensa vero, & proprio expressis 1. Cor. 10. v. 16., Calix, benedictionis cui benedicimus, nomine communicatio sanguinis Christi est? Et pa-

„ nem quem frangimus non-
„ ne participatio Corporis
„ Christi est? Et iterum, Cor.
11. v. 17. „ Quicumque man-
„ ducaverit panem hunc, vel
„ biberit Calicem Domini in-
„ dignè, reus erit corporis, &
„ sanguinis Domini. Quomo-
do ergo reus erit Corporis
Domini indigne manducari, si
Corpus Domini non mandu-
cet, sed ejus figuram? Non
admettit certè ullus Calvinista (ut potè Imaginum contemptor) eum, qui indigne
tractat figuram, aut Imaginum Christi, reum esse inhonorationis personæ propriæ
Christi. Item, vers. 29. ejus-
dem 11. capitilis habetur: „ Qui
„ enim manducat, & bibit in-
„ dignè, judicium sibi mandu-
„ cat, & bibit, non dijudi-
„ cans Corpus Domini. Quo-
modo autem potest subire ju-
dicium ob non dijudicatum
ibi corpus, si re vera illud ibi
non esset, prout juxta adver-
sarios non adest?

5. Probatur 2. conclusio ex ipsis Domini Verbis mys-
terij hejus magnalia non so-
lum discipulis prout fecit in
ultima Cœna, sed toti populo
enarrantis apud Joān. cap. 6.
v. 51. „ Panis quem ego dabo
„ caro mea est. Et vers. 55.
„ Caro mea verè est cibus, &
„ sanguis meus verè est potus.

Ooo

Et

Et vers. 56. „ Qui manducat
„ meam carnem, & babit meum
„ sanguinem , in me manet,
„ & ego in eo. Hec omnia
certe , & plura alia eodem
capite similia de bucella panis
figurativa corporis sui mini-
mè poterat Christus prædicare , ita quidem , ut eam ipsi
manna Cœlesti præferret , &
certe Eucharistia hoc modo
suis figuris , tam in essendo ,
quam in repræsentando longè
esset inferior , (Agno , vide-
licet , Paschali , Manni , San-
guinis , vitulini aspersione , quæ
omnia etiam fuerunt repræ-
sentantia mortem Christi , am-
plissimisque Scripturæ præco-
nijs celebrata) quod utique
est contra Apostolum Heb. 10.
& Colos. 2. docentem vetus
Testamentum continuisse me-
ras umbras , novum verò ve-
ritatem.

6. Nec obstat quod in eo-
dem cap. 6. Joann. post elo-
gia hujus augustissimi Mysterij , animadverso discipulorum
murmure , subjunxerit Domini-
nus : „ Spiritus est , qui vivi-
ficat , caro non prodest quid-
quam , verba quæ ego lo-
quor spiritus , & vita sunt ;
minimè enim possunt hac ver-
ba eo detorqueri , ut signifi-
cent Christum , toto eo capite
non nisi de manducaione sui
corporis per fidem disseruisse ,

cum enim hanc eorum incre-
dulitatem prodigiosa sui in
Cœlos ascensione , a majore ad
minus ducendo argumentum
refutasset , explicat se non
prebendum ad corporalem , uti
alia edulia sumuntur refectio-
nen , verum ad spiritualem
anima vitam , & confirmatio-
nen. Hinc à temporibus Apostolorum usque ad Berengarium
X. post Christum circiter sœ-
culo de hoc errantem , nun-
quam in Ecclesia super eo mo-
ta fuit ab ullo controversia ,
qui & ipse convictus errorem
suum retractavit. Patet hoc
assertum , ex plurimorum Sancto-
rum Patrum clarissimis tes-
timonijs à Bellarmino citatis
lib. 4. de Eucharist. cap. 4. &
sequentib.

7 Conclusio 2. „ In con-
secratione vi verborum fit
transubstantiatio substantiarum
panis , & vini in Corpus , &
Sanguinem Christi. Est de
Fide contra Lutheranos defen-
santes , permanentiam substanzie
panis , & vini ; seu quod
idem est , impananationem
Christi Domini. Probatur con-
clus. verba Christi dicentes :
„ Hoc est Corpus meum , hic
est Sanguis meus , debent
verificari proprio intentu , ut
præced. Conclusione ostensum
est : sed si non fieret realis
mutatio panis in corpus , &
vini

vini in sanguinem, non verificarentur: g. &c. Minor prob. quia horum verborum juxta Lutheranos hic esset sensus: „Hic est panis, & hoc est vi-„num, & his intimè præsens „est corpus, & sanguis m̄rus: sed hoc modo non verificatur illa propositio, quamvis enim lapidi per essentiam sit intimè præsens Deus, ostendo tamen lapide non licet dicere: *Hoc est Deus.* Secundò; disparatum de alio disparato sequit prædicari: g. Corpus Christi non potest de pane triticō affirmari. Antecedens patet, aliás enim non valerent similes ratiocinationes. *Hoc est triticum, ergo non est vinum.* At longè magis disparata sunt Corpus Christi gloriosum, & panis triticeus, quam sit panis triticeus, & vinum de vite: g. si illa non possunt de se invicem prædicari, nec hæc.

8 Urgeo hoc argumentum: Paulus benè ratiocinabatur dicens, Rom. 11, v. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia:* g. eodem modo procedit ex simili antecedenti similis illatio: *Si est Corpus Christi, jam non est panis; alioquin Corpus Christi jam non est Corpus Christi.* Insuper, si verificaretur de pane hoc prædicatum Corporis

Christi, tuac quidquid dicitur de Corpore Domini, verificabitur de pane, juxta adversarios, quod tamen est falsum: g. &c. Hinc quanvis pisces alicui insit Deus, nemo dicet, manducato pisce, manducari Deum; nec dici potest, quod propter unionem Corporis cum anima possit designari corpus pro nomine *hoc*, dicendo: *Hoc corpus est anima;* vel obseßus à dæmones *hic homo est diabolus.* Verūm, sic tantum dici potest: *Huic corpori est unita anima: & homo habet in se dæmonem.* Nec obstat, quod terminus iste *transubstantiationis* expressé in Scriptura non habetur; Quero enim à Lutheranis: ubi habetur in Scriptura nomen *SS. Trinitatis?* Si dixerint haberi æquivalentibus terminis: hoc idem certè de transubstantiatione in prælenti ostensum est. Nec obstat etiam, quod simpliciores quidam Acatholici non possint capere replicationis, & penetrationis (hoc in mysterio inclusæ) difficultatem, Christum enim simul fuisse; & ad dexteram Patris, prout habetur Actor. 3. 21. & simul in terris cum Paulo Actor. 3. 17. Scriptura testatur: g. non implicat replicatio, præcipue si sit verum idemque corpus in

uno loco circumscriptivè, in alijs verò locis definitivè, ut Philosophi ostendunt. Penetrationem etiam, seu uno in spatio adæquato duorum corporum ubicationem esse possibilem actus probat: sic Christus Iannis clavis, intravit ad Discipulos, Joan. 20. 19.

9 Confirmatur resolutio authoritate Sanctorum Patrum plurimorum, & Lyturgiarum ab ipsis Apostolis conscriptarum, sufficiat nobis magnus Ambrosius Magist. magni discipuli Augustini inquiens lib.

4. de Sacram. cap. 4. *panis iste, panis est ante verba Sacramentorum; ubi accesserit consecratio de pane fit corpus Christi*, ac ut ostendat nihil illud habere impossibile, sub-jungit: *Si enim creavit Deus Cœlum, & Terram, quando non erant, quanto magis poterit panem, & vinum, qua jam existunt, in aliud commutare?*

10 Conclusio 3. „ Sacra-
“ mentum Eucharistiae non
“ consistit in solo usu, seu sum-
“ ptione. Est etiam de fide con-
tra Lutheranos, & probatur,
inquirendo ab illis, an in
institutione Cœnæ dum Christus D. dixit: „ Accipite, &
“ comedite hoc est corpus
“ meum, fuerit jam re ipsa
corpus, & sanguis ejus, necue?
Si fuerit: g. accipere comedere.

re, & bibere non sunt de essen-
tia hujus Sacramenti contra
adversarios. Si verò non fuit:
g. falsum dixit Christus affir-
mando ibi corpus esse, quod jubebat eos sumere, cum ta-
men non esset ibi corpus: Non
restè ergo deducitur in sumptione consistere hoc Sacra-
mentum, tametsi ejus institutionis
principalis finis fuisset sumpta-
tio, sicut quanvis panis fiat
ideo ut comedatur, tamen ne-
mo dicet antecedenter ad man-
dationem, panem non esse
panem.

11 Urgetur: Verba Chris-
ti ante sumptionem prolata
vera fuerunt, dum diceret:
„ Hoc est corpus meum, hic
„ est sanguis meus. Matth.
enim cap. 26. v. 28, cum di-
xisset: „ Bibite ex hoc om-
nes, quid, & cur bibendum
foret explicat ipse dicens:
„ Hic est enim sanguis meus,
ubi clarissime ly enim ostendit
non vinum, sed sanguinem
fuisse porrectum. Hoc confir-
mant verba illa Luc. 22. v. 20.
„ Hic est Calix novum testa-
mentum in meo sanguine
g. infero, jam in Calice fuit
sanguis, & non primò in ore
dumtaxat sumentium. Item
verba Apostoli 1. Cor. 10. v. 16.
„ Panis, quem frangimus, non
„ ne participatio Corporis Do-
mini est? Atqui dum fran-
gi-

gitur nondum sumitur: g. antequam sumatur, Corpus Domini est. Sed definiat rem Augustinus, qui ante sumptuosem jubet adorari Eucharistiam, quod jubere foret manifeste idolatricum, si præcisè in ipsa sumptione primum fieret Corpus Domini, quod de tanto Ecclesie Doctore quis avit dicere? Augustinus in Psalm. 9. 5. „Nemo illam car- „nem manducet, nisi prius „adoraverit. Et Conc. in Psal. 35. „Ferebatur Christus in „manibus suis, quando com- „mendans ipsum corpus suum „ait: Hoc est corpus meum, „ferebat illud corpus mani- „bus suis.

¶ 12. Lutherani, qui fatentur Christum in Eucharistia præsentem esse, & tamen negant concomitantiam, hoc uno Scriptura loco refelluntur, Rom. 6. v. 9. „Christus resurrexit ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Nam quæro ex ipsis, an caro Christi sit sola sub specie panis; an conjuncta cum sanguine, anima rationali, & divinitate? Si sola est, mortua est. At Christus non moritur, ut inquit Apostolus. Si conjuncta cum sanguine, anima, & divinitate; jam totus Christus est sub specie panis, quod contendimus: Et

non est totus vi Sacramenti; quia vis Sacramenti consistit in illis verbis: „Hoc est Corpus meum. Hæc autem verba vi sua non significant totum Christum, sed tantum Corpus, seu carnem: g. caro Christi est sub specie panis vi verborum Sacramenti: reliqua per concomitantiam.

¶ 13. Hoc clarius explicabo. Sicut in pomo multa species possunt, color, odor, sapor, quantitas, substantia; sic etiam in Christo Divinitas, Anima rationalis, Caro, Sanguis. Rursum, sicut oculi vi sua non vident totum pomum, sed solum colorem; & tamen, quia color realiter conjunctus est cum odore, sapore, quantitate, & substantia, censetur videri totum pomum per naturalem concomitantiam. Sic etiam verba illa, hoc est corpus meum, vi sua non significant totum Christum, sed tantum carnem Christi; & tamen quia caro Christi realiter unita est sanguini, anima rationali, & persona Verbi, censetur totus Christus significari per realem unionem, seu concomitantiam. Portò, quia verba quod significant, hoc efficiunt, quod de significatione dictum est, de efficientia quoque intelligi debet. Et quid hic monstrari est, quod tantopere metuant ad-

versarij? Nihil sane. Perinde est, ac si dicam, me quidem invitasse solum Joannem ad prandium, sed tamen, quia Petrus cum eo erat, a quo nobilis dixelli, venisse cum eo Petrum.

14 Tota hujus questionis doctrina est dogma Catholicum, pertinens ad substantiam fidei nostrae, inquit noster Arbiol: & quamquam de hoc non sit articulus expressus in Symbolo credendorum, reducitur tamen ejus possiblitas ad articulum primum, ubi divinam omnipotentiam profiteatur; qui enim credit, „Deum, „esse Omnipotentem, credit, hoc mysterium facere potuisse. Præterea, quod & factum fuerit peractum reducitur ad articulum illum: „Credo, „in unam Sanctam Ecclesiam, „Catholicam, &c. quoniam ab initio in Ecclesia Sancta profitetur realis Christi præsentia sub speciebus consecratis. Et semper in promptu est habenda illa regula D. Augustini lib. 3. de Doctrin. Christ. cap. 1. „Quando verba, „Scriptura sumi possunt pro, „prié, non sene accipienda si, „guraté, nisi aliunde constet, „id esse manifeste necessarium. Quod hic minimè constat, cum Christus D. non minus potuerit, se in Sacramento

verè colocare, quam figuratè, & illud verba ejus propriè significant. Videatur omnino Arbiol, qui tract. 2. latissimè, & valde crudè agit de venerabili, & Sanctissimo Eucharistiae Sacramento. Videatur etiam Subtilissim. nost. Doct. in 4. d. 11. q. 3. & 4.

QUÆST. II.

*AN SACRIFICIUM
Missa sit verè, & propriè Sac-
crifictum novæ Legis, seu
Legis Evangelicæ?*

I **S**acrificium latissime sumptum, juxta nominis ethimologiam usurpatum pro qualibet actione Sacra. Unde Calepinus Sacrificium declarat per *Sacra facio* à verbo sacrifico. Etiam latè vocatur sacrificium *Spiritus contribulatus, & cor contritum, & humiliatum*, ex Ps. 50. v. 19. quatenus hoc magis placet Deo, quam sacrificium. Ita etiam Psal. 4. dicitur: *Sacrificate Sacrificium iustitiae*, quod certè solum metaphorice intelligendum est, per aliquam similitudinem aut effectum communem cum sacrificio, & alijs sanctis operibus. Etiam S. Augustinus lib. 10. de Civit. Dei, cap. 6. Omae opus bonum vocat sa-

sacrificium in sensu metapho-
rico, quatenus Deo multoties
magis placebant opera Cha-
ritatis, & obedientia Sanctæ,
quam sacrificia, juxta illud
Osee 6. *Misericordiam volo,*
& non sacrificium: Et 1. Reg.
15. *Melior est obedientia,*
quam victimæ. Non ergo in
tam lata acceptancee loquun-
tur hic Theologi. Videatur
noster Arbiol tract. 2. disp.
8. Sed nos cum, & ex Pat.
Becano hanc questionem re-
solvemus. Igitur.

2 Sacrificium hic sumi-
tur pro externo Dei cultu,
quatenus procedit ex interna
animi agnitione, submissio-
ne, reverentia, & amore er-
ga Deum, tanquam Creato-
rem, ac supremum Dominum
omnium creaturarum. In sa-
crificio debent hæc spectari.

1. Minister. 2. Materia. 3.
Forma. 4. Locus. 5. Finis.
Minister non alius, quam Sa-
cerdos est. Materia est res sen-
sibilis, seu extera, quæ of-
fertur Deo. Forma consistit in
destructione, vel mutatione
rei oblatæ. Locus in quo fit
destructio, vel mutatio, est
altare. Finis potest esse qua-
druplex. 1. Recognitio, seu
protestatio supremi dominij,
quod Deus in nos habet, &
simil nostræ subjectionis, &
servitutis erga Deum. 2. Gra-

tiarum actio pro beneficijs à
Deo acceptis. 3. Novorum
beneficiorum impreatio. 4.
Expiatio peccati contra Deum
commisso. Cur enim honoram-
mus, & colimus Deum, of-
ferendo illi externum sacri-
ficium: Nimimum. 1. Ut teste-
mur nos esse servos Dei, cui
omnia debeamus. 2. Ut hoc
externo signo profiteamur,
nos gratos esse pro accep-
tis ab eo beneficijs. 3. Ut
declaremus, non ab alio,
quam ab ipso nos beneficia
sperare, & impetrare. 4. Ut
si ob peccata nostra offensus
est, eum placare studeamus,
& condonationem, seu expia-
tionem peccatorum ab eo con-
sequamur. Ex hoc quadru-
plici fine, solet distingui qua-
druplex sacrificium. 1. La-
treuticum. 2. Eucharisticum.
3. Impetratorium. 4. Propri-
tatiatorium.

3 Perro cum triplex ho-
minum status spectari possit
ab orbe condito ad nos usque,
nempe status naturæ, status
legis Mosaicæ, & status gra-
tia, seu Evangelij; fit ut,
etiam distinguantur triplicia
sacrificia; alia legis naturæ;
alia legis Mosaicæ; alia legis
Evangelicæ. Per sacrificia le-
gis naturæ debent ea intelligi,
quæ ab Adamo usque ad
Moysen oblata sunt, ut sacri-
fi-

ficiū Abel, Noe, Abraham, Melchisedech, Isaac, Jacob, Job.

4. Sacrificia legis Mosaica tripliciter dividi possunt. 1. Ratione materiæ. 2. Ratione formæ, & finis. 3. Ratione temporis. Ratione materiæ dividuntur in victimas, immolationes, & libamenta. Erat enim triplex materia à Deo designata, quæ in Iudeorum sacrificijs offerri poterat, ac debebat. *Primo* animalia, ut oves, capræ, hædi, boves, vituli, columbæ, passeræ, turtures. *Secundo* fructus terræ, ut panis, simila, sal, thus, manipulus spicarum viuentium, & triticum. *Tertio* liquores, ut sanguis, vinum, oleum, nec aliquid his amplius. Cum ergo fiebat sacrificium ex animalibus, vocabatur hostia, seu victimæ; cum ex fructibus terræ, immolatio: cum ex liquoribus, libamen, seu libamentum.

5. Ratione formæ, ac finis erat etiam triplex sacrificium in legi Mosaica. 1. Holocaustum. 2. Sacrificium pro peccato. 3. Hostia pacifica. Ratione temporis, erat iuge sacrificium, quod quotidie, & alia, quæ certis solemnitatibus offerebantur; coiunctim erant sacrificium Sabbati, sacrificium Neomeniæ, sacri-

ficiū Paschæ, & Azimorū, sacrificium Pentecostes, sacrificium festi Tubarum, sacrificium festi expiationis, sacrificium Scenopejæ, seu Tabernaculorum, sacrificium cœtus, atque collectæ.

6. In lege Evangelica duplex est sacrificium. Unum cruentum, quo Christus in Ara Crucis Deo Patri oblatus est pro expiacione peccatorum nostrorum. Alterum incruentum, quo idem Christus quotidie sub specie panis, & vini offertur in altari, partim in memoriam cruenti illius sacrificij, partim ob alias causas, quas infra explicabo.

7. Utrumque præfiguratum fuit per sacrificia legis naturæ, & Mosaica: quod sic explicabo. In sacrificio cruento multa spectari possunt. *Primo*, quod Christus, qui in cooblatus est, fuerit unigenitus Dei filius. *Secundo*, quod à Patre oblatus in mortem. *Tertio*, quod Patri obsequenterissimus. Hæc tria optime præfigurantur per sacrificium Abrahæ, quo obtulit unigenitum filium suum Isaac. *Quarto*, quod re ipsa occisus sit. Hoc significant omnia sacrificia Mosaica, quæ erant ex animalibus. *Quinto*, quod effusione sanguinis liberaverit nos à ser-

vitute diaboli. Hoc significat sanguis Agni Paschalis, qui super postes domorum aspersus liberavit filios Israel à servitute Pharaonis. Sexto, quod suo sanguine mundaverit nos à peccatis nostris. Hoc significat sanguis hircorum, & aliorum animalium, teste Apostolo Hebr.9. v.13. *Si enim sanguis hircorum, & taurorum inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emanabit conscientiam nostram ab operibus mortuis?* Septimo, quod innocens occisus sit. Hoc significat mactatio Agni Paschalis. Unde Isai. cap. 53. v. 7. *Sicut ovis ad occasionem ducatur, & quasi Agnus coram tendente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Octavo, quod tametsi innocens fuerit, tamen cum latronibus deputatus sit. Hoc significat Hircus, qui loco Agni Paschalis offerri poterat. Hircus enim animal fœtidum est. Nono, quod crura ejus non sint fracta. Hoc significat Agnus Paschalis, de quo scriptum est Exodi 12. v. 46. *Os non comminuetis ex eo.* Decimo, quod se totum Patri obtulerit, nulla parte sibi reservata. Hoc significant omnia holocausta.

8 Similiter in Sacrificio incruento multa spectari pos-

Tom.III.

sunt. Primo, quod quotidiè offeratur in Eucharistia. Hoc significat juge sacrificium, de quo supra. Secundò, quod caro Christi verè comedatur in hoc Sacrificio. Joann. 6. v.55. *Caro mea vere est cibus.* Hoc significat caro Agni Paschalis, qui verè comedebatur ab offerentibus. Tertio, quod Christus sumatur sub specie panis, & vini. Hoc significat sacrificium Melchisedech, qui panem, & vinum obtulit. Quarto, quod comedenti ex hoc Sacrificio debeant esse puri à peccatis, ne indignè sumant. 1. Corinth. 11. v.29. *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Hoc significat sanctificatio filiorum Job. Quinto, quod debeant habere veram contritionem, & dolorem de peccatis præteritis. 1.Cor.11. v.28. *Probet autem se ipsum homo.* Hoc significant Lactucæ agrestes in esu Agni Paschalis. Sexto, quod debeant esse parati ad currēdām viam mandatorum Dei, & contendere ad cœlestia. Hoc significant Judæi, qui accincti lumbis, & calceati, & tenentes baculum in manibus festinanter comedebant Agnum Paschalē. Hæc ferè præcipua sunt. Alia minutiora omitto.

Ppp

Hoc

9 Hoc sacrificium incruentum partim convenit cum cruento , partim ab eo discrepat. Convenit tripliciter. *Primo* in re oblata. In utroque enim offertur Christus per modum victimæ. *Secundo* in principali offerente. Nam Christus , qui in utroque est victima , est etiam in utroque principalis Sacerdos , seu Pontifex. *Tertio* in fine. Nam sicut olim in Cruce , ita nunc in altari offertur pro peccatis nostris , tametsi diverso modo , ut infra explicabimus.

10 Discrepat vero quinupliciter. *Primo* in externa specie: Nam Christus in Cruce sub propria specie humana , in altari sub specie panis , & vini offertur. *Secundò* in modo , & ritu offerendi : nam in Cruce per realem mortem , in altari per mysticam consecrationem immolatur. *Tertiò* ex parte ministri. Tametsi enim Christus utrobique sit principalis offerens , ut dictum est , tamen in altari utitur ministerio Sacerdotum , quo nec in ultima Cœna , nec in Cruce ulus est. *Quartò* ex parte effectus : nam fructus ille , qui per cruentum sacrificium acquisitus est , applicatur nobis per incruentum , & per alia media. *Quintò* ex parte significationis : nam sacrificium Crucis non est typus ,

seu figura ullius alterius sacrificij , sed omnia alia sunt typi , seu figuræ illius. At sacrificium altaris est representatio sacrificij Crucis. 1.Cor. 11. v. **24**. *Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc , & Calicem bibetis , mortem Domini anuntiabitis.*

11 His positis , controversia est inter Catholicos , & Adversarios : An sacrificium incruentum , quod Missam , vel Sacrificium Missæ appellamus , sit verè , ac propriè Sacrificium? Adversarij , qui rem ipsam negare non audent ; suo more de nomine altercantur. Concedunt celebrationem Eucharistie : negant propriè esse Sacrificium. Nos affirmamus. Sententia nostra varijs modis probari potest. Primo ex typis , seu figuris veteris testamenti. **2.** Ex vaticinio Malachij. **3.** Ex colloquio Christi cum Samaritana. **4.** Ex Apostolo Paulo. **5.** Ex consensu Sanctorum Patrum. Hinc sumo totidem argumenta.

PRIMUM ARGUMENTUM ex figuris veteris Testamen- tis.

12 **I**n veteri Testamento fuerunt varie figuræ , seu typi celebrationis Eu-

Eucharistie; sed præcipue oblatione panis, & vini à Melchisedech facta. De qua Gen. 14. v.18. „At vero Melchisedech „Rex Salem, proferens pa- „nem, & vinum (erat enim „Sacerdos Dei altissimi) be- „nedixit ei, & ait: Benedic- „tus Abraham Deo excelso, „& benedictus Deus excel- „sus, quo protegente, hostes „in manibus tuis sunt. Hinc tria colligimus. Primo, Melchisedech fuisse Sacerdotem Dei Altissimi. Secundo, ob- tulisse panem, & vinum in Sacrifcium: idque in gratiarum actionem, pro victoria ab Abrahamo parta. Tertio, ea oblatione præfigurasse Sacrificium Christi, quod in ultima Cœna sub specie panis, & vi- ni peractum est. Atque ea de causa, Christum in Scriptura vocari Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, non au- tem secundum ordinem Aa- ron, Psalm. 109. v.4. & Hebr. 6. v.20. & cap. 7. v. 11. Nam Sacrificium Christi in ultima Cœna non fuit cruentum ex animalibus, sicut sacrificia Aa- ronica; sed incruentum sub specie panis, & vini, sicut Sa- crificium Melchisedech.

13 De primo panete nulla controversia. Omnes con- cedunt, Melchisedech fuisse Sa- cerdotem; immo simul Re-

gem, & Sacerdotem. Hoc enim aperte asserit Moyses loc. cit. Et confirmat Apost. Hebr. 7. v. 1. cum ait: *Melchisedech Rex Salem, & Sacerdos Dei summi.* De secundo, & tertio punto difficultatem movent Novatores; cum olim nulla fuerit. Negant, Melchisedech obtulisse panem, & vinum in sacrificium. Negant, in ea re gessisse typum, seu figuram Christi. Itaque duplex hic ori- tur quæstio. Una, in quem fi- nem, vel usum protulerit Melchisedech panem, & vinum. Al- tera, in qua re fuerit typus, seu figura Christi. An in obla- tione panis, & vini, quod nos asserimus: an in aliquo alio? Ut contendunt adversarij nu- per nati.

14 Prior ergo quæstio est, in quem usum protulerit Melchisedech panem, & vinum? Adversarij fingunt protulisse in corporalem refectionem Abraham, & sociorum ejus, qui fatigati, & famelici rever- tebantur ex prælio. Nos dici- mus, protulisse in usum sacri- ficij, quod omnes antiqui Pa- tres dicunt. Clem. Alexandr. lib. 4. Stromatum, cap. 8. Cy- prianus lib. 2. epist. 3. ad Cæ- cilium; Eusebius Cæsariensis lib. 5. demonstrat. Evangel. cap. 3. Hieronymus in Epist. ad Marcellam; Aug. Epist. 95.

ad Innocentium Papam , & alij quotquot de hac re scripserunt. Et manifeste patet ex Scriptura. Cum enim dixisset, *panem, & vinum protulit,* mox adjecit: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi:* volens significare, Melchisedech, non ut Regem, sed ut Sacerdotem protulisse panem , & vinum: ac proinde non protulisse ad refocillandos milites ex prælio redeuntes, quippè , qui jam erant refocillati ex præda, quam hosti abstulerant, (Gen. 14. v. 24.) sed protulisse in usum sacrificij , & in gratiarum actionem pro parte victoria.

145 or Pro majori explicatione notandum est , adversarios dupliciter à nobis discrepare. Primo, quia ipsi volunt, Melchisedech , tanquam Regem , protulisse panem , & vinum profanum. 2. Nec in alium finem protulisse , quam in corporalem refectionem militum , qui redeuntes ex prælio , fame , & siti laborabant. Nos contra afferimus : Primo Melchisedech , non ut Regem, sed ut Sacerdotem protulisse panem , & vinum , non profanum , sed sanctificatum. 2. Et primario obtulisse Deo in sacrificium ; ac deinde dedisse militibus , non ut inde famem , & sitim extinguerent , sed

ut sacrificij essent participes. Quod satis insinuat Clem. Alexandr. loc. cit. cum ait : *Melchisedech Rex Salem , Sacerdos Dei altissimi , qui panem, & vinum sanctificatum dedit nutrimentum in typum Eucharistie.* Notate verba. Dedit Abrahamo , & socijs ejus panem , & vinum *sanc*tificatum** , idest , prius Deo oblatum in sacrificium. Dedit nutrimentum *in typum Eucharistie.* Sicut enim Eucharistia prius offertur Deo in sacrificium ; ac deinde datur fidelibus , ut illius sacrificij sint participes : ita servata proportione de pane , & vino Melchisedech , quæ fuerunt typus Eucharistie , dicendum est. Prius oblata sunt Deo in sacrificium : deinde distributa in milites , ut in sacrificio participarent.

16 Posterior quæstio est, in qua te Melchisedech fuerit typus , seu figura Christi? Respondeo : In oblatione panis , & vini , ut ex dictis colligitur. Et sic sentiunt Patres citati: Clemens: „ Dedit panem , & „ vinum in typum Eucharistie. Cyprianus : „ In Sacerdote „ Melchisedech sacrificij Do- „ minici Sacramentum præfi- „ guratum videmus. Eusebius: „ Quemadmodum Melchise- „ dech , qui Sacerdos gentium

„ erat

„erat , nusquam videtur sa-
„, crificijs corporalibus func-
„tus , sed solo pane , ac vino;
„, ita Salvàtor noster , & qui
„, ab eo profecti sunt Sacer-
„dotes in omnibus gentibus,
„, pane , & vino , corporis
„, illius , & sanguinis mysteria
„, repræsentant , quæ sanè mys-
„teria Melchisedech tanto an-
„, te spiritu divino cognove-
„, rat , & rerum futurarum ima-
„, ginibus usus fuerat. Hiero-
nymus : „, Melchisedech jam
„, tunc in typo Christi , pa-
„, nem , & vinum obtulit. Si-
milia habent alij PP. quibus
plus fidei est , quam nostris
Novatoribus. Accedit ratio ,
quia si Christus , ut Scriptura
testatur , fuit verè Sacerdos
secundum Ordinem Melchise-
dech , & non secundum Aaron ;
necessé est , eum in Sacerdotio
suile similem Melchisedecho ,
& non Aaroni. Hæc autem si-
militudo in eo consistit , quod
Christus in ultima Cœna non
obtulerit sacrificium ex ani-
malibus , ut Aaron : sed ex pa-
ne , & vino , ut Melchisedech.

17 Duo objici possunt.
Unum est , quod Apost. Hebr.
7. multo aliter explicet illam
similitudinem , nulla facta men-
tione panis , & vini. Alterum ,
quod Christus in oblatione pa-
nis , & vini non magis fuerit
similis Melchisedech , quam

Aaroni ; quia etiam Aaron ob-
tulit panem , & vinum , ut
patet Exodi 29. v.40. & Num.
28. v. 5. & 7. Respond: Simili-
tudo inter Christum , & Mel-
chisech consistit quidem in
alijs etiam rebus , sed potissi-
mum in oblatione panis , &
vini. Hoc sic ostendo : Con-
sistit primò in notatione no-
minis. nam Melchisedech idem
est , quod Rex justitiae. At
Christus est verus Rex justitiae ,
non solum quia judicat popu-
lum in æquitate , ut habetur
Psal. 71. v. 2. sed etiam quia
ex perfecta justitia pro nobis
Deo satisfecit. Secundò , in
notatione officij. Nam Melchi-
sedech fuit Rex Salem , idest ,
Rex pacis. Hoc optimè conve-
nit Christo , qui è Cœlo missus
est , ut inter Deum , & homi-
nes conciliaret pacem , Ephes.
2. v. 14. & Colos. 1. v. 20.
Tertiò , in origine : Nam Melchi-
sedech introducitur sine Pa-
tre , & Matre. Et Christus ,
ut homo , non habuit Patrem:
ut Deus , non habuit Matrem.
Quartò , in duratione : Nam
Melchisedech introducitur , ne-
que initium dierum habens ,
neque finem : Et sic repræ-
sentat æternitatem Sacerdotij
Christi. Christus in oblatione
sacrificij Encharistici nulli al-
teri successit , neque alias illi
successit. Et hoc sensu est Sa-

cerdos in æternum. Quintò in oblatione; Nam Melchisedech obtulit panem, & vinum: Christus sub specie panis, & vini obtulit suum corpus, & sanguinem. Et in hac oblatione, ut dixi, potissimum consistit similitudo inter Christum, & Melchisedech.

18 Quod sic explicabo: Christus in Scriptura vocatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem aliorum Sacerdotum: ergo Melchisedech, quatenus Sacerdos, habuit aliquid peculiare, ac proprium, in quo esset figura Christi, quod non habuerunt alijs Sacerdotes. Hoc autem potissimum est oblatio panis, & vini: nam reliqui, quæ habuit Melchisedech, vel non habuit ut Sacerdos; vel certè non fuerunt illi propria, ac peculiaria. Hoc patet ex dictis. Nam cætera, quæ habuit præter oblationem panis, & vini, fuerunt hæc. Primo, quod vocatus sit Rex justitiae: hoc nihil ad Sacerdotium. Secundò, quod fuerit Rex Sælem, idest pacis. Neque hoc habuit, ut Sacerdos, sed ut Rex. Tertio, quod introductus sit sine Patre, sine Matre, sine Genealogia. Et Job, & Elias sic introduxi sunt. Quartò, quod introductus sit neque initiam, neque finem die-

rum habens: Et hoc Eliæ convenit. Quid ergo proptium, ac peculiare habuit, ut Sacerdos, quod alijs non habuerunt? Oblationem panis, & vini. In hac ergo potissimum fuit typus, seu figura Christi.

19 Dices: si ita est, cur Apostolus hoc tacuit? Cur, cum dixit Melchisedech fuisse figuram Christi in alijs rebus, non adjectit, quod potissimum erat, fuisse etiam in oblatione panis, & vini? Respond. opportet attendere ad scopum Apostoli in Epist. ad Hebreos. Non voluit ex professo explicare figuram, & similitudinem inter Christum, & Melchisedech: (si enim hoc voluisse facere, sine dubio dixisset, eam consistere in oblatione panis, & vini, sicut omnes antiqui Patres dixerant, qui hac de re scribant) sed voluit ostendere excellentiam Sacerdotij Christi supra Sacerdotes Aaronicos: aut si generatim loquamus, excellentiam Christi supra Angelos, Moysen, & Sacerdotes Aaronicos. Hebrei enim, ad quos scribebat, magni faciebant Angelos; quorum ministerio legem acceperant: Moysen, qui legem illis promulgaverat: Sacerdotes Aaronicos, qui in lege ordinati erant. At de Christo humili-

ter sentiebant. Apostolus ergo, ut recte eos instrueret, voluit ex professo demonstrare, Christum & Angelis, & Moysē, & Sacerdotibus Leviticis excellentiorem esse. Itaque triplicem instituit comparisonem; primam inter Christum, & Angelos, cap. 1. v. 4. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Alteram inter Christum, & Moysen, cap. 3. v. 3. *Amplioris enim gloria iste præ Moysē dignus est habitus.* Et infra v. 5. *Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus: Christus vero tamquam filius.* Tertiam inter Christum, & Sacerdotes Leviticos, cap. 7. ubi sic ratiocinatur: Melchisedech fuit excellentior Aarone: sed Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: ergo Sacerdotium Christi est excellentius Sacerdotio Aaronico, seu Levitico. Majorem probat tripliciter. Primo, quia Melchisedech benedixit Abrahā, & consequenter Aaroni, qui erat in lumbis Abrahā. Major autem benedicit minori. Secundo, quia accepit decimas ab Abrahamo, & consequenter ab Aarone.

Tertiò, quia non legitur initium habuisse dierum, aut finem.

20 Ex hoc discursu facile advertis, Apostolum non aliud ex professo egisse, quam ut ostenderet Sacerdotium Christi præstantius esse Sacerdotio Aaronis: ac proinde Hebreos, qui hactenus magni facerant legem, & Sacerdotium Mosaicum, deinceps debere pluris facere legem, & Sacerdotium Christianum. Unde ulterius sequitur, mirum non esse, si nullam fecerit mentionem oblationis panis. & vini. Non enim disputabat de figura, & similitudine inter Christum, & Melchisedech, ut dictum est; sed de excellentia Sacerdotij Christi supra Sacerdotium Mosaicum. Ad hanc autem excellentiam declarandam non opus est confugere ad oblationem panis, & vini; cum aliunde supponerent sat multa argumenta, quæ plus momenti habebant. Nam ex oblatione panis, & vini videbat se nihil efficaciter probare posse; dixissent enim Hebrei, sacrificia Mosaisca, quæ constabant ex animalibus, non fuisse inferiora sacrificio Melchisedech, quod constabat ex pane, & vino: ac proinde ex hac parte Melchisedechum non fuisse Aarone excellentiorem.

Hæc

21 Hæc de prima objec-
tione. Supereft altera , quæ
erat talis : Oblatio panis , &
vini fuit etiam usitata in sa-
crificijs Aaronicis , & non tan-
tum in sacrificio Melchise-
chi. Ergo propter hanc obla-
tionem nos minus Aaron,
quem Melchisedech fuit figu-
ra Christi. Respoad. quando
instituitur comparatio inter
sacrificium Aaronis , & Mel-
chisedechi , debet institui inter
principale , & integrum utrius-
que sacrificium. Oblatio pa-
nis , & vini erat principale ,
& integrum sacrificium Mel-
chisedechi ; quia nihil aliud
legitur obtulisse. At non erat
principale , & integrum sacri-
ficium Aaronis ; sed tantum
particula per modum annexi.
Nam principale constabat ex
animalibus. Hinc patet quo-
modo Melchisedech potius ,
quam Aaron fuerit figura
Christi in oblatione panis , &
vini. Nam sicut Melchisedech
obtulit panem , & vinum sine
animalibus : ita Christus in
ultima Cœna obtulit suam car-
nem , & sanguinem sub specie
panis , & vini sine specie ,
aut oblatione anima-
lium.



SECUNDUM ARGUMEN-
tum ex Vaticinio Ma-
lachie.

22 **M**alachias Pro-
pheta cap. 1.
v. 6. & sequentibus , prædicit
fore , ut in novo Testamento
offeratur Deo mundum sacri-
ficium in omni loco , quod
præferendum sit sacrificijs Mo-
saicis , quæ sèpè erant immunda.
Nam de his in persona
Dei sic loquitur : *Offertis super
altare panem meum pollutum.
Item : Offertis cœcum , clau-
dum , & languidum ad immo-
landum.* De illo autem : *In
omni loco sacrificatur , & of-
fertur nomini meo oblatio
munda.*

23 Quæ vero est oblatio
munda , quæ in novo Testa-
mento ubique Deo offertur ,
& sacrificatur ? Catholici cum
antiquis PP. dicunt esse cor-
pus , & sanguinem Christi
sub specie panis , & vini. Cal-
vinistæ , esse bona opera , ut
orationem , gratiarum actio-
nem , eleemosynam , & simili-
lia. Sed facile refelluntur. Pri-
mo , quia bona opera , teste ,
Calvino , non sunt munda ,
sed potius *sordes , maculae , &*
inquinamenta , ut ipse loqui-
tur lib. 3. Instit. cap. 12. §. 4.
& cap. 15. §. 3.

Dein-

24 Deinde Malachias opponit oblationem nostram oblationi Judæorum ex parte rei oblatæ. Quæ oppositio in eo consistit; quod panes, & animalia, quæ offerebantur in sacrificijs Judæorum, sápè erant virtuosa, & immunda: at id, quod offertur in nostro sacrificio, semper est mundum. Hoc aliud esse non potes, nisi corpus, & sanguis Christi. Nam reliqua omnia, quæ Deo offerimus, sápè virtuosa, & imperfecta sunt.

25 Denique Malachias non solum loquitur de munda, sed etiam de nova oblatione, quæ successura sit sacrificio Mosaico, & futura propria Christianorum; at bona opera neque nova sunt, neque succedunt sacrificio Mosaico, neque sunt propria Christianorum, cum fuerint usitata ab initio mundi à Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & eorum successoribus: Ergo bona opera non sunt oblatio munda, de qua loquitur Malachias.

26 Respondet Hutterus in Triumpho contra Bellarnium, pag. 211. per oblationem mundam non intelligi omnia bona opera, quæ faciunt Christiani, sed prædicationem Evangelij; quæ dicitur Nova, non simpliciter, sed compara-

té, quia nimis clarius, & illustrior est in nova lege, quam in veteri. Sed hic homo, & sibi ipsi contradicit, & nihil aliud, quam somnium suum narrat. Nam paulo post pag. 214. expressè ait, omnes pios, ac fideles novi Testamenti offerre Deo sacrificium mundum, de quo loquitur Malachias. Constat autem, non omnes prædicare Evangelium. Quomodo ergo prædictatio Evangelij potest esse sacrificium, de quo loquitur Malachias? Non coherent ista inter se.

27 Deinde, quæ est proportio inter sacrificia Judæorum, & prædicationem Evangelij? Aut quæ connexio est, Sacerdotes Mosaici offerunt mihi panes pollutos, & animalia cœca, clauda, & languida: At Christiani prædicabunt Evangelium? Nulla. Multo melior, & accommodatior hæc nostra est: Sacerdotes Mosaici offerunt mihi viandas pollutas: At Christiani offerunt sanctam, & impollutam. In hac enim confertur sacrificium cum sacrificio, pollutum cum impolluto;

TERTIUM ARGUMENTUM ex colloquio Christi cum Samaritana.

28 **C**hristus in colloquio cum muliere Samaritana dat hoc discrimen inter sacrificium Judaeorum, Samaritanorum, & Christianorum, quod duo priora fuerint alligata certo loco; tertium in omni loco offerri possit. Deinde, quod duo priora fuerint vitiosa; tertium non item. Loquitur autem de sacrificio propriè dicto. Ergo Christiani habent aliquid sacrificium propriè dictum, quod in omni loco offerri potest. Hoc autem non est sacrificium Crucis cruentum, quod semel tantum, & uno loco oblatum est. Ergo est sacrificium Eucharistiae in cruentum, quod quotidiè in omnibus Ecclesijs offertur.

29 Textus sic habet, Joan. 4. v. 19. „ Dicit ei mulier: „ Domine, video, quia Propheta es tu. Parres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. Dicit ei Jesus: „ Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabis Patrem. Vos adoratis, quod

„ nescitis: nos adoramus, „ quod scimus: quia salus ex „ Judæis est. Sed venit hora, „ & nunc est, quando veri „ adoratores adorabunt Patrem „ in spiritu, & veritate.

30 Ubi nomen *adorationis* non sumitur pro simplici adoratione, quæ poterat ubique fieri, sed pro sacrificio, quod non poterat ubique offerri; sed apud Samaritanos offerebatur in monte Garizim, prope oppidum Sichimorum, apud Judæos in Templo Hierosolymitano. Eodem sensu sumitur Joan. 13. v. 20. Erant autem quidam gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in die festo. Et Act. 8. v. 27. Eunuchus venerat adorare in Ierusalem. Ideò enim ex longinquo's regionibus veniebant Hierosolymam, quia ibi erat locus sacrificij.

31 Igitur Samaritana vident Christum esse Prophetam, proponit illi questionem de schismate Samaritanorum, & Judæorum, quæ erat hæc: Utrum rectius facerent, ac sentirent; Samaritani, qui offerebant sacrificia in monte Garizim, an Judæi qui contendebant, non ibi, sed in Templo Hierosolymitano offerri oportere? Christus dupliciter respondet. 1. De loco. 2. De modo. De loco sic: *Venit hora, quando nec in*

in monte hoc , neque Hierosolymis adorabitis. Quasi dicat: Deinceps qui erunt Christiani, neque in hoc monte, neque in templo Hierosolymitano tantum, sed in omni loco offerent sacrificium. Vel, quod idem est, sacrificium Christianorum non erit alligatum uniuerso loco sicut sacrificia Samaritanorum, & Judæorum, sed ubique poterit offerri, sicut prædictum Malachias. De modo sic: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate;* idest, Judæi non offerunt sacrificium in spiritu, sed secundum externam cæremoniam. *Cor autem eorum longe est à m.* Samaritani non offerunt in veritate, quia non offerunt vero Deo, sed Idolo: *Vos adoratis, quod nescitis.* At Christiani, qui erunt veri adoratores, offerent sacrificium vero Deo cum interna mentis devotione.

QUARTUM ARGUMENTUM ex Apostolo.

32 **I**N Apostolo Paulo habemus duos illustres locos pro Sacrificio Eucharistia. Alter est 1. Cor. 10. v. 15. „Fugite ab idolorum cultura; Calix benedictionis, cui benedicimus, non ne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem

„frangimus; nonne partici-
„, patio corporis Domini est?
„, Videte Israel secundum car-
„, nem; nonne qui edunt Hosti-
„, tias, participes sunt altaris?
„, Quid ergo? Dico, quod ido-
„, lis immolatum sit aliquid?
„, Sed quæ immolant gentes,
„, dæmones immolant, non
„, Deo. Nolo autem vos so-
„, cios fieri dæmoniorum. Non
„, potestis Calicem Domini bi-
„, bere, & Calicem dæmonio-
„, rum. Non potestis mensæ Do-
„, miæ participes esse, & men-
„, se dæmoniorum.

33 Hic agnoscit Apostolus triplicem mensam, seu triplex altare. Unum in quo gentiles sacrificant idolis, seu dæmonijs: Alterum, in quo Judæi offerunt Deo viætmas ex animalibus: Tertium, in quo Christiani offerunt Corpus, & sanguinem Christi, sub specie panis, & vini. At quorsum? vult probare, Corinthios debere abstinere ab idolothytis, idest, à carnibus, quæ idolis seu dæmonijs sunt oblatæ. Hoc sic probat: Qui comedit de viætmis, quæ in altari idolatrico immolata sunt idolis, seu dæmonijs, ille est participes altaris, seu sacrificij idolatrici, & consequenter est cultor idolorum, seu dæmoniorum: sed vos, cum sitis Christiani, non debetis esse participes al-

taris, seu sacrificij idolatrici, neque cultores idolorum: *Fugite (inquit) ab idolorum cultura.* Ergo non deberis comedere de victimis, quæ immolata sunt idolis. Majorem probat à simili; & utitur duplici exemplo, altero Christianorum, altero Judæorum, hoc modo:

34 Christiani, qui sumunt de corpore, & sanguine Christi, sunt participes altaris, seu Sacrificij Christi: & Judæi, qui comedunt de victimis Mosaicis, sunt participes altaris, seu sacrificij Mosaici: Ergo similiter qui comedunt de victimis, quæ immolata sunt Idolis, seu dæmonijs, sunt participes altaris, seu sacrificij idolatrici. At nemo potest esse simul participes altaris Christi, & idolorum: Ergo si vultis esse participes Altaris Christi, debetis abstinere ab Altari, & sacrificio idolorum: aut si ab hoc non abstinetis, non potestis esse participes Altaris Christi. Hic est discursus Apostoli: ex eo patet, non minus apud Christianos, quam apud Judæos, & gentiles esse Altare, sacrificium, & participantes de sacrificio: Et quidem sacrificium Christianorum consistere in oblatione corporis, & sanguinis Christi sub specie panis, & vini. Hoc enim expres-

sé significat Apostolus cum ait: „Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communificatio sanguinis Christi est? „Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?

35 Alter locus est Hebr. 7. v. 12. *Translato Sacerdotio, necessé est, ut & legis translatio fiat.* Ubi sub nomine Sacerdotij comprehenditur etiam sacrificium, & per legem intelligitur lex divini cultus. Est ergo hic sensus verborum Apostoli: sacrificium, & lex divini cultus ita connexa sunt, ut unum sine altero esse non possit: & uno translato, alterum quoque transferri necessé sit. Unde sicut est triplex lex, quæ præscribit divinum cultum: una naturalis ab Adamo usque ad Moysen: altera Mosaica, à Moysè usque ad Christum: tertia Evangelica, à Christo usque ad finem mundi: Ita triplex debet esse sacrificium: unum, quo colitur Deus juxta legem naturalem: alterum, quo colitur juxta Mosaicam: tertium, quo juxta Evangelicam. Et quotiescumque lex divini cultus mutatur, toties sacrificium mutari necessé est.

36 Hoc clarius sic explicabo: Sicut homo constat duplice parte, nempe anima, & corpore; ita lex præscribit illi du-

duplicem cultum, quem tene-
tur Deo exhibere; unum in-
ternum, alterum externum.
Internus consistit in actu Fidei,
Spei, timoris, dilectionis. Ex-
ternus in solo sacrificio. Nam
reliqui externi cultus, qui-
cumque illi sint, possunt
etiam hominibus exhiberi. So-
lum sacrificium peculiariter
institutum est ad colendum
Deum. Eo igitur sublatō, nihil
relicuum est, quo Deum spe-
ciali ratione colamus. Hinc
sequitur, legem, quæ præscri-
bit extēnum cultum Dei, non
alium præscribere, nisi sacri-
ficiū, quia nullus aliud est.
Deinde ejusmodi legem, nec
mutari, nec abrogari, nec res-
taurari posse, nisi mutato, aut
abrogato, aut restaurato sa-
crificio.

37 Hinc tandem ita con-
cludo. Ubi cumque est pecu-
liaris lex, & religio, ibi de-
bet esse peculiare sacrificium,
quo Deus ex præscripto illius
legis colitur: sed apud Chris-
tianos est peculiaris lex, &
religio, nempe Evangelica, dis-
tinguita à lege naturali, & Mo-
saica: ergo apud Christianos
est peculiare sacrificium, quo
Deus colitur, distinctum à na-
turali, & Mosaico. At hoc
non potest esse aliud, quam
incruentum Sacrificium Eu-
charistia: ergo illud est. Major

pater ex dictis; probat. min.
quia si esset aliud, maximè
esset cruentum, quod semel
in Cruce peractum est. Sed
hoc non est. Primò, quia
illud à Christo, tanquam com-
muni redemptore, pro omni-
bus oblatum est, tam pro ijs,
qui vixerunt in lege naturæ, &
Mosaica, quam qui vivunt in
Evangelica. Pro omnibus enim
est mortuus Christus. Sicut er-
go, præter illud, fuit aliud in
lege naturæ, & aliud in Mo-
saica; sic etiam aliud est in
Evangelica. Et sicut sacrifi-
cium legis naturæ, & Mosaicæ
erat typus, seu figura futuri
Sacrificij cruenti: (Hebr. 10.)
Sic nostrum est imago, seu re-
præsentatio præteriti. (1. Cor.
11.) Secundò, quia lex divi-
ni cultus debet obligare eos,
qui subjecti sunt legi. Sicut
ergo Patriarchæ, & Prophe-
te, qui subjecti erant legi na-
turali, & Mosaicæ, non obli-
gabantur Deum colere, nisi per
sacrificia, quæ repræsentabant
futurum sacrificium Crucis: ita
nos, qui subjecti sumus le-
gi Evangelicæ non obligamur
Deum colere, nisi per sacrificium
Eucharistia: quod re-
præsentat præteritum sacrificium
Crucis. Ergo signum est,
quod lex divini cultus, tam
in veteri, quam in novo Tes-
tamento, non respiciat imme-
dia.

diate cruentum sacrificium Crucis, sed potius alia sacrificia, quatenus illius, sive futuri, sive præteriti, repræsentativa sunt.

QUINTUM ARGUMENTUM ex Patribus.

38 **A**ntiqui Patres tam diserte loquuntur de Sacrificio Eucharistiae, in quo Christus sub specie panis, & vini quotidie offertur in Ecclesia, ut nemo, qui illos asperxerit, de ipsorum sententia dubitari possit. Hoc quinque modis ostendo. Primo, quia quando loquuntur de Eucharistia passim usurpant has voces, *Sacrificium, oblatio, immolatio, hostia, victimam, offerre, sacrificare, immolare.* Ita Hypolitus Martyr, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus, Augustinus, Cyprianus, Leo, Fulgentius, & alij apud Bellarminum lib. I. de Misa, cap. 15.

39 Secundo, quia requirunt altaria ad celebrandam Eucharistiam. Altaria autem non eriguntur nisi ratione sacrificij. Supponunt ergo Eucharistiam esse sacrificium. Ita Cyprianus, Eusebius, Optatus Milevitantis, Ambrosius, Nazianzenus, Nyssenus, Chrysostomus, Hieronymus, Au-

gustinus, & alij apud eundem, cap. 16. Tertio, quia Ministros, qui Eucharistiam offerunt, vocant *Sacerdotes*, & eorum ministerium *Sacerdotium*: Proprium autem munus Sacerdotis est, offerre sacrificium, Hebr. 5. v. 1. & cap. 8. v. 3. Ita Gaudentius, Hierohynius, Ambrosius, Eusebius, Cyprianus, Tertullianus, August. Chrysost. & alij apud eundem, cap. 17. Quartò, quia docent Eucharistiam celebrari, & offerri posse pro vivis, & defunctis, pro pace, & incolamitate; & generatim pro omnibus necessitatibus, tam corporis, quam animæ: quod sane non dicent, nisi putarent esse verum sacrificium. Ita Chrysostomus, & August. varijs locis apud eundem, cap. 9. Quinto, quia dicunt Melchisedechum fuisse veram Sacerdotem, & obtulisse panem, & vinum in sacrificium: Et hoc modo præfigurasse incruentum sacrificium, quod Christus sub specie panis, & vini instituit in ultima Cœna. Eamque ob causam Christum in Scriptura vocari *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedechi*. Ita Clemens Alex. Cyprian. Euseb. Hieron. August. & alij sup. cit. His addi possunt, qui vaticinium Malachie, de quo supra-dic-

dictum est, interpretantur de sacrificio Eucharistiae, ut Iustinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Cyprian, Eusebius, Chrysostomus, Hieronimus, Augustinus, & plures alij apud Bellarm. lib. 1. cap. 10.

40 Ex quibus omnibus abunde constat de sententia antiquorum PP. Neque necessarium est integra eorum testimonia huc transcribere, cum adversarij concedant, eos ita sentire. Nam Kemnitius in Examine Concilij Tridentini de illis scribit: *Negari non potest, veteres, quando loquuntur de celebratione Cœne Dominicæ, usurpare vocabula saeficiij, immolationis, victimæ. Item, uti verbis offerre, sacrificare, immolare. Similia habent Lutherus, & Calvinus ut jam videbimus.*

QUID SENTIANT ADVERSARIJ DE SACRIFICIO ALTARIS.

41 **L**utherani, & Calvinisti negant esse sacrificium. Et quod mirum est, per contemptum vocant horribile sacrificium, idolatriam, sacrificij Crucis Christi abnegationem, commentum Papistum, abominationem, extitalem voraginem, & si quæ similia cogitari possunt.

Nec curant autoritatem Patrum, quam nos allegamus. Sic enim scribit Lutherus in lib. de Abroganda Missa: *Profitetur in primis adversus eos, qui clamaturi sunt, quod contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum. Et in lib. de Missa privata: Hic non moramur, si clamitans Papistæ: Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres: quia, ut dixi, hominum dicta, aut facta nihil in tam magnis causis curramus. Scimus ipsis etiam Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos, (non tamen Lutherum, si Dijs placet, qui Prophetis, & Apostolis major est.) Et Calvinus lib. 4. Inst. cap. 18. §. 1. *Pestilentissimo errore Satan totum p. n. Orbem excœavit; ut crederet Missam sacrificium. Et infra §. 12: Non est, cur ulla hominum autoritate, vel annorum præscriptione patiamur nos moveri. Mira res: Lutherus, & Calvinus non volunt ulla hominum autoritate moveri, ne quidem Prophetarum, & Apostolorum, & tamen ipsis sua autoritate volunt alios moveare, quasi ipsis homines non essent, sed Dii. Provocant ad solam Scripturam. Esto, sed quomodo ex ea probant Missam non esse sacrificium? Hoc patebit ex ipsorum argumentis.**

mentis, quæ vel ex Scriptura apicem non habent: vel si habent nullius certè momenti sunt. Audiamus singula separatim.

*ARGUMENTA ADVER-
sariorum diluuntur.*

42 **P**rimum: Sacrificium debet offerri Deo, non autem comedi ab hominibus: At Eucharistia comeditur ab hominibus: Ergo non est sacrificium. Respond: Major quoad posteriorem partem aperte falsa est. Nam Agnus Paschalis erat verum sacrificium, & tamen comedebatur ab Hebreis. Nec enim pugnant hæc duo inter se. Totum sacrificium offertur Deo, & totum sacrificium, vel pars comeditur ab hominibus. Hoc non solum patet in Agno Paschali, qui totus offerebatur Deo, & totus comedebatur a populo, sed etiam in hostijs pacificis, quæ integræ offerebantur Deo, & tamen pars eorum cedebat in usum Sacerdotum, & offerentium. Eodem modo fit in Eucharistia. Tota offertur Deo, & tota sumitur a fidelibus ad eorum salutem, & utilitatem: Potest enim una, eademque res, quantum honorifica est, servire uni: & quatenus utilis est,

servire alteri. Immó communne est omnibus creaturis inferioribus, ut serviant Deo ad ipsius gloriam, & honorem; nobis autem, ad nostram commoditatem, & salutem. Dices: Holocaustum non comeditur ab hominibus, sed totum consumitur ad honorem Dei: Ergo saltē Eucharistia non est holocaustum, quod tamen docent Catholici. Respond. Catholici non docent esse holocaustum Mosaicum; quod totum debebat comburi, & in fumum resolvi; sed esse perfectius omnibus sacrificijs Mosaicis, etiam holocaustis: quia Christus, qui offertur in Eucharistia, est perfectior omnibus, quæ offerebantur in sacrificijs, & holocaustis Mosaicis.

43 Secundum: Id, quod est Sacramentum, non potest simul esse sacrificium: sed Eucharistia est Sacramentum: ergo non potest simul esse sacrificium. Prob. maj. quia Sacramentum, & sacrificium opponuntur. Nam in Sacramento accipimus aliquid a Deo; in sacrificio damus aliquid Deo. At ratio accepti, & ratio dati non possunt simul in una, eademque re consistere. Respond. Major falsa est, etiam adversariorum concessione. Nam Plesæus calvinista, cum tota

tota Synodo Gapicensi, lib. 12. de Euchar. cap. 1. expressé ait: Agnum Paschalem fuisse simul Sacramentum, & sacrificium. Quod etiam ex Scholasticis docet D. Thom. & alij plures. Si ergo Agno Paschali non repugnat, simul esse Sacramentum, & sacrificium; cur repugnet Eucharistiæ? non video. Nec obstat, quod in Sacramento aliquid accipiamus à Deo, & in sacrificio aliquid offeramus. Nam hæc duo posse simul consistere jam ostensum est in Agno Paschali: qui totus offerebatur Deo ad ipsius honorem: & totus comedebatur à Judæis ad illorum salutem. Idem fit in Eucharistiæ. Et sane, si id, quod à Deo accepimus, non licet offerre Deo: nullum foret sacrificium, juxta illud 1. Paralip. 29. v. 14. *Tua sunt omnia: Et quæ de manu tua accepimus, deditus tibi.*

44 Tertium: Christus in ultima Cœna, quando instituit Eucharistiam; non dixit, *offerte*, sed *comedite, & bibite*: Ergo Eucharistia ex institutione Christi non est sacrificium, sed Sacramentum tantum. Resp. tametsi non sit usus illo vocabulo *offerte*: usus tamen, est alio æquipollente, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, idest, post-

hac celebrare Eucharistiam, quam nunc instituo, pro gratiarum actione in memoriam meæ mortis, quam pro vobis, & toto humano genere subiutus sum. Est autem duplex gratiarum actio. Una interna, quando quis interiuo affectu gratum se exhibet Deo pro accepto beneficio. Altera externa, quando externo, & sensibili signo declarat internum animi affectum, & gratificandi voluntatem. Utramque requirit Christus à nobis pro beneficio suæ mortis, ac passionis. Et quidem internam vult fieri per internum animi affectum. Externam, per celebrationem Eucharistiæ. Porro sicut interna gratiarum actio consistit in interna oblatione, qua quis affectum suum offers Deo pro accepto beneficio: sic etiam externa consistit in oblatione, qua externum signum sui affectus exhibet Deo. Unde sequitur, omnem gratiarum actionem consistere in quadam oblatione, respectu Dei benefactoris. Cum ergo celebratio Eucharistiæ, ex Christi institutione, sit quadam externa gratiarum actio, necessæ est, eam in externa oblatione consistere. Unde cum dixit Christus: *Hoc facite in meam commemorationem*; plus dixit, quam si so-

lum dixisset, offerte. Hoc enim amplius dixit: *Offerte in memoriam tanti beneficij à me accepti.*

45 Idem alia via sic ostendo: Christus obtulit seipsum Deo in Ara Crucis per modum veri, & cruenti sacrificij, ut omnes fatentur cum Apost. Hebræor. 9. & 10. Ac simul voluit, ut hæc cruenta oblatione repræsentaretur nobis, & quotidie in memoriam revocaretur per celebrationem Eucharistie, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo necessæ est, in celebratione Eucharistie fieri aliquam oblationem in cruentam, quæ sit repræsentatio illius cruentæ oblationis in Cruce. Et hoc significat D. Aug. lib. 20. contra Faustum, cap. 18. cum ait: *Christiani jam peracti sacrificij in Cruce memoriam celebrant sacrosancta oblatione, & participatione corporis, & sanguinis Christi.* Ubi in Eucharistia conjungit hæc duo, orationem, & participationem corporis, & sanguinis Christi. Igitur secundum August. & offertur Christus in Eucharistia, & sumitur: offertur Deo, ad ipsius honorem: sumitur à fidelibus ad ipsorum salutem, & utilitatem. Et hoc est, quod supra diximus in solutione 1. & 2.

argumenti. Unde patet, in his omnibus Augustinum noscimus sentire contra Novatores, quod ipsi negare non audent.

46 Quartum: Christus est Sacerdos in æternum: Ergo nullum habet successorem, aut Vicarium in Sacerdotio: Ergo jani nulli sunt Sacerdotes in terris: ergo nec sacrificia proprie dicta. Et confirmatur ex Apost. Hebreor. 7. ubi dicit, idèo in veteri Testamento fuisse plures Sacerdotes quorum unus alteri succederet, quia singuli erant mortales, ac proinde debebant alij, atque alij semper succedere. Christus autem est immortalis: ergo non indiget successoribus, & Vicarijs. Respond. Aliud est esse successorem alterius; aliud esse Ministerium, seu Vicarium. Dupliciter enim hæc differunt: primo, quia successor est ejusdem dignitatis, ac potestatis cum eo, cui succedit; non item Minister, seu Vicarius cum eo, cuius Minister, aut Vicarius est. Secundo, successor, non nisi post mortem, aut depositionem alterius constituitur. At Vicarius, seu Minister solet constitui, dum adhuc vivit, cui subservit. Utrumque patet in Rege: Is, quandiu vivit, & in officio manet,

manet, non habet successorem cum pari potestate; habet tamen Vicarios, & Ministros, qui illi subserviunt. Similiter fit in nostro proposito. Christus non habet successorem in Sacerdotio cum pari potestate, quia semper vivit, ut recte argumentatur Apostolus. Habet tamen Ministros, seu Vicarios, qui illi subserviunt in officio Sacerdotali. Idem factum est in Aarone, servata proportione. Quandiu vixit, non habuit Successores cum potestate: habuit tamen inferiores Sacerdotes, & Levitas, qui illi ministrabant. Et quid hic difficultatis est? Nihil sane. Sed Novatores omnia confundunt, ut facilius decipiant incautos.

47. Quintum: Sacrificium Crucis habet vim infinitam, & æternam: ergo non iudicemus alio sacrificio: ergo multiplicare tot sacrificia Missæ, nihil est aliud, quam negare virtatem, & sufficientiam sacrificij Crucis. Et confirmatur ex Apost. qui sàpè assertit, unam oblationem Christi in Cruce sufficere, nec alia opus esse, Hebr. 9. v. 26. *Semel ad destructionem peccati per hostiam apparuit.* Et v. 28. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et cap. 10. v. 10. *Sanc-*

tificati sumus per oblationem corporis Christi semel. Et vers.

14. *Una oblatione consummat in sempiternum sanctificatos.* Quid ergo opus est sacrificio Missatico? Respond. Hoc argumentum dupliciter potest retrorqueri. 1. sic: sacrificium Crucis habet vim infinitam, & æternam: ergo non opus est Baptismo, & Eucharistia: ergo multiplicare hæc omnia, nihil aliud est, quam negare virtutem, & sufficientiam sacrificij Crucis. 2. sic: sacrificium Crucis habet vim infinitam, & æternam respectu omnium hominum, ab initio mundi usque ad finem: ergo omnia alia sacrificia sunt superflua: ergo multiplicare tot sacrificia Mosaica, nihil aliud est, quam negare vim, & sufficientiam sacrificij Crucis. Quid hic dicent Novatores?

48. Sed ad rem. Sacrificium Crucis habet infinitam, & æternam vim sanctificandi homines: nec opus est alio sacrificio Crucis, aut ejusdem sacrificij Crucis repetitione. Vel, quod idem est, non opus est, ut alius Christus moriatur pro nobis, aut, ut idem Christus sapientius moriatur. Nam semel moriendo, sufficientissime satisfecit Deo Patri pro nobis. Et hoc vult Apostolus loco citato. Duo tamen necel-

saria sunt: unum, ut simus memores illius tanti beneficij jam accepti, & olim promis- si. Alterum, ut fructum illius beneficij, & satisfactionis in particulari nobis applicetur. Utrumque sit per fidem, Sacra- menta, sacrificia, prædica- tionem Verbi, & similia ins- trumenta à Deo ordinata, non solum in veteri, sed etiam in novo Testamento. Ergo nihil illorum superfluum est. Sicut ergo nou sequitur: *Sacrificium Crucis habet infinitam vim: ergo superflua sunt sacramen- ta novæ legis.* Ita non sequitur: *Habet infinitam vim: ergo superfluum est sacrificium no- væ legis.* Nec hoc, nec illa Superflua sunt. Non enim or- dinantur ad augendam vim sa- crificij Crucis, quæ cum infi- nita sit, non indiget augmen- to, sed partim ad illam re- præsentandam, partim ad fructum ejus nobis applican- dum. Dices: Quid opus est applicare fructum sacrificij Crucis per fidem, baptismum, & Eucharistiam? Ego vicis- sim dicam: Quid opus est ap- plicare per Baptismum, & Eu- charistiam, cum sufficienter applicare posset per fidem, & sacrificium Missæ? O homo, tu quis es, ut dicas Deo, quare ordinasti sic?

49 Hæc sunt præcipua ar-

gumenta contra sacrificium Missæ. Alia vel continent me- ra mendacia, quibus refu- tandis libenter supersedebo: vel solum contendunt, Missam non esse sacrificium propitia- torium pro peccatis: cujusmo- di sunt hæc duo.

50 Prius. Nulla fit remis- sio peccatorum sine sanguini- sis effusione, Hebœr. 9. v. 22. At in Eucharistia non est sanguinis effusio: ergo in Eu- charistia non fit remissio pec- catorum. Ergo non est sacri- ficium propitiatorium. Ita post Calvinum Balduinus, David Peræus cap. 4. epist. ad Hebr. & alij. Respond. Hoc argu- mētum potest retorqueri: nulla fit remissio peccatorum sine sanguinis effusione: at in fide justificante non est sanguinis effusio: ergo per fidem justi- ficantem non fit remissio pec- catorum. Ergo falsum est, quod dicunt adversarij, peccato- res justificari per fidem. Fal- sum est, quod clamant, fi- dem justificare, dum credit. Quid hic dicent? Sed ad rem.

51 Verba Apostoli sic sunt intelligenda. Non fit remissio peccatorum, in veteri lege, sine effusione sanguinis. Loquitur enim de Judæis, non de Christianis: *Omnia penè,* inquit, *in sanguine secundum le-*

legem mundantur, & sine sanguis effusione non fit remissio. Sensus est secundum legem Mosaicam, nullum erat sacrificium pro peccato, sine effusione sanguinis hircorum, aut aliorum animalium. Quid hinc colligent Adversarij contra sacrificium Missæ? Non plus sanè, quam contra sacrificium Crucis. Sic enim deberent argumentari. Nulla siebat remissio peccatorum in veteri Testamento sine effusione sanguinis hircorum, aut aliorum animalium: At in sacrificio Missæ non est effusio sanguinis hircorum, aut aliorum animalium: ergo in sacrificio Missæ non fit remissio peccatorum. Ineptissimè. Nec in sacrificio, cuius facta est effusio sanguinis hircorum, aut aliorum animalium. At ideo non est facta remissio peccatorum? Viderint Adversarij, qui sic induunt in Scripturis.

52 Addo, tametsi Apostolus loquatur de remissione peccatorum in veteri Testamento, quæ non siebat sine effusione sanguinis animalium, verba tamen ejus posse accipi generatim hoc sensu: Nulla fit remissio peccatorum, sive in veteri, sive in novo Testamento, sine effusione sanguinis Christi, nisi enim Christus suum sanguinem pro nobis

effudisset, nemo nec in veteri, nec in novo Testamento potuisset Deo reconciliari, & peccatorum remissionem accipere. Hæc tamen reconciliatio, & peccatorum remissio, quæ per effusionem sanguinis Christi facta est, non eodem modo applicatur nobis in novo Testamento, quo Judæis applicata fuit in veteri. Illis enim applicabatur per cruenta sacrificia animalium, ut ex Apostolo dictum: Nobis per sacrificium Missæ incruentum, & per Sacra menta Baptismi, & Pœnitentia.

53 Posteriorius. Nullum sacrificium sacerdotaliter iteratum potest perficere cultores, teste Apostolo: at Missæ sacrificium est sacerdotaliter iteratum: ergo non potest perficere cultores, ac proinde nec peccata remittere. Ita David Peræus in cap. 10. ad Hebr. & alij. Respondeo: Et hoc argumentum sic retorqueri potest: Nullum sacrificium sacerdotaliter iteratum potest perficere cultores, teste Apostolo: At fides, & alia pia opera, quæ secundum adversarios sunt sacrificia Christianorum, sacerdotaliter iterantur: ergo non possunt perficere cultores. In utroque syllogismo neganda est major propositio, quæ falso tribuitur Apostolo. Nam Apostolus solum confert

sacrificia Mosaica cum sacrificio Crucis Christi. Et dicit hoc interesse, quod Mosaica, tametsi saepius fuerint reiterata, non tamen potuerint per se perficere, & iustificare Iudeos; quod verissimum est: Sacrificium autem Crucis, quod semel oblatum est, per se fuerit infiniti valoris, ac proinde sufficientissimum ad homines iustificandos; quod etiam verissimum est. Eo tamen non obstante, necessarium est fructum sacrificij Crucis nobis applicari, nec semel tantum, sed quoties indigemus. Sicut ergo potest applicari per Fidem, & Eucharistiam saepius iteratam, ut fatentur adversarij: cur non similiter per sacrificium Missæ saepius iteratum? Et sic factum est in veteri Testamento. Nam quoties Iudei in certa quedam peccata prolapsi erant, jubebantur offerre sacrificium propiciatorium. Videatur Concilium Tridentin. sess. 22. ubi tradit doctrinam de Sacrificio Missæ contra haereticos.

QUEST. III.
DE COMMUNIONE
Laicorum sub una
specie.

IHæretici asserunt, præceptum Domini esse,

ut promiscue omnes fideles sub utraque specie, panis nimis, & vini communicent; ac per consequens inferunt, Catholicos Laicos à Sacerdotibus Catholicis (qui soli sunt veri Sacerdotes) defraudari dum tantum sub una specie porrigunt hoc Sacramentum, quando ipsi Sacerdotes sub utraque communicant. Catholici ex adverso asserimus, non esse necessarium præberi Laicos communionem sub specie vini; necessarium vero esse Sacerdotibus sacrificantibus, ita exigente sacrificij ratione; in quo quia effusio sanguinis significari debet, non est mirum separationem sub specie vini fieri sanguinis transubstantiationem in sacrificio. Sit igitur,

2 Conclusio nostra. Nulla sit injuria Laicos, dum ipsis ab Ecclesia usus Calicis inhibetur. Probatur 1. quia de hoc nullum extat præceptum Domini, quod enim Matth. 26. v. 27. dixerit: Bibite ex eo omnes, id ad solos præsentes Apostolos esse dictum declarat Matth. Evang. cap. 14. v. 23. dicens: Et biberunt ex eo omnes. Ubi proculdubio soli fuerunt Apostoli. Nec obstat illud Joann. 6. v. 35. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in

vobis. Vim enim verborum illorum esse solum, ut in re sumatur sanguis Christi, non autem hoc, vel illo modo; patet; quia quem fructum hic bibenti simul, & comedenti promisit, eundem promisit sub una tantum specie sumenti, seu manducanti eodem c. 6. v. 51. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum, & panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Idem habetur v. 50. & 58.

3 Confirmatur: Sub altera enim etiam specie unum, & idem illud corpus sumitur, quod nunc à dextris Dei regnat gloriosum: atqui illud utique sanguinem continet: igitur per concorditiam in corpore datur laicis, & sanguis. Probatur 2. usus hic sub una specie ipso Christi exercitio probatus esse noscitur; Eucharistiam enim ipse Dominus sub una tantum specie porrexit discipulis in Emmaus Luke 24. v. 30. *Et cognoverunt eum in fractione panis,* ut hunc textum explicant SS. PP. Hieronym. Augustinus Chrysostom. &c. Item Actor. 2. v. 42. dicitur: *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis.* Item cap. 20. v. 7. Una Sabbati cum convenissimus ad frangendum

panem, & vers. 11. solius fractionis panis, & nulla Calicis fit mentio, & ratio à priori est, quia juxta prius dicta cum Christus jam non moriatur, prout Apostolus ait Rom. 6. v. 9. Necessè est Christum una cum divinitate, & humanitate esse tam benè totum sub una, quam sub utraque specie: *Quis enim ausit separare sanguinem à corpore Domini gloriose, & idcirco vivo?* Ulterius, quod Laicis non faciant injuriam Sacerdotes in Sacrificio Missæ, sub utraque specie ob rationem supra attractam communicantes, patet etiam ex inde, quod ii ipsi Sacerdotes dum extra Missam communicant, æquè, ac laici sub una tantum specie panis Christum sumant.

4 Confirmatur adhuc id ipsum ex rationibus etiam, ob quas meritò hic usus sub una specie ab Ecclesia approbatus est. Primò ob multos abstemios: Secundò, vel maximè ob periculum effusionis, & irreverentiarum præcipue occasione magni concursus populi. 3. Ob difficultatem conservationis specierum vini pro Vatico. 4. Ob difficultatem distribuendi, rigente hyeme, &c. Accedit Authoritas super hoc plurimorum Conciliorum, & SS. PP. qui uno ore testantur usi.

usitatum faisse in primitiva Ecclesia Eucharistiam in collo gestare , in linteolo involutam custodire , & ubicumque faciunt communionis laicorum aliquam mentionem , solius corporis sumpti (utique gloriost vivi , adeoque sanguinem intra se habentis) memoriam faciunt , pro exemplo sit Augustinus , Serm. 25. 2. de Temp. Omnes mulieres nitida exhibent linteola ubi Corpus Christi accipiunt : & Eucharistia effectum esse illuminationem mentis ostendens in Lucam sic ait , de apparitione Christi in Emmaus discipulis facti , ut cum eis benedictum panem porrigeret , aperirentur oculi eorum , & agnoscerent eum .

5 Pater Becanus suo more in Manual. lib. 1. cap. 9. valde eruditè tractat de hac re per novem sequentes Conclusiones .

Prima est ; Aliud est institutio divina , aliud præceptum divinum .

Secunda est ; Christus instituit Eucharistiam sub utraque specie , non tamen præcepit omnibus usum utriusque speciei .

Tertia est ; immò , usum unius speciei , tūm verbo , tūm facto ipse approbavit .

Quarta est ; quod etiam fecerunt Apostoli .

Quinta est ; Et post Apostolos alij usque ad nostra tempora .

Sexta est ; Et rectè ; nam sub una specie non minus continentur totus Christus , quam sub utraque .

Septima est ; Nec minor fructus percipitur ex una , quam ex utraque , ceteris partibus .

Ottava est ; Et aliunde possunt esse legitimæ causæ , cur potius sub una , quam sub utraque Laici communicent .

Nona est ; Propter quas etiam statutum est ab Ecclesia , ut sub una deinceps communicarent .

6 Et num. 99. in probatione hujus ultimæ conclusio-
nis , inquit : Si spectemus jus
divinum , semper in Eccle-
sia fuit liberum Laicis , vel sub
una , vel sub utraque specie co-
mmunicare . Si autem sp̄ctemus
jus Ecclesiasticum res aliter se
habet : nam diversis temporib⁹,
propter diversas causas
fuerunt etiam diversa præ-
cepta Ecclesiastica de hac re .
Et quidem Gelasius Papa , quia
videbat suo tempore Mani-
chæos ex falsa superstitione
semper abstinere ab altera spe-
cie , planè statuit , ut nemo nisi
sub utraque specie com-
municaret : alioqui fore , ut
Manichæus adhæretur , quia
Ca-

Calice abstinere. Contra verò, Patres in Concilio Constantiensi, quia videbant, Hussitas in Bohemia pertinaciter urgere utramque speciem, tanquam ad salutem necessariam, cum tamen Catholici passim sub altera communicarent; usum utriusque speciei, respectu Laicorum penitus sustulerunt: non ideo sane, quod putarent esse malum, & illicium; sed partim, ut hac ratione Hussitarum errorem corrigerent, & damnarent: partim etiam, ut consuetudinem communicandi sub una specie, quæ tunc multis locis recepta erat, suo decreto approbarent, & sic in tota Ecclesia major conformitas, & concordia servaretur. Hucusque Began.

7 Et num. 137. epilogando ait: Ex ijs duæ rationes deduci possunt, cur in Catholicorum sententia persistendum sit. Prior est, quia Catholici, qui defendunt usum unius speciei, habent pro se exemplum Christi, Apostolorum, & totius antiquitatis usque ad nostra tempora. Habent pro se duo solidissima fundamenta: unum, quia Christus non miratus sub una, quam sub utraque specie totus, & integer continetur. Alterum, quia non minor fructus ex una,

quam ex altera percipi potest. Adversarij verò nullum possunt in Scripturis invenire præceptum de utraque specie; in illo quærendo penitus inter se dissident: nullo Patrum testimonio subnixi sunt, nullo solido argumento suam sententiam stabilire possunt.

8 Posterior est; quia Catholici in afferenda Communione sub una specie nihil dixerunt, quod offensioni, aut scandalo esse possit. Adversarij verò, præsertim Lutherani, & Calvinistæ, postquam usum unius speciei oppugnare cœperunt, in manifestos errores prolapsi sunt: Lutherani, afferentes, Corpus Christi sub specie panis contineri mortuum, & sine sanguine: Calvinistæ, negando, ullam Christi partem sub specie Sacramentali præsentem esse. Christus Dominus per se ipsum definit certis legibus, quæ ad Sacramentorum substantiam, numerum, & effectum; reliqua verò, quæ ceremonias, & circumstantias attingant commisit arbitrio, & prudentia Pastorum Ecclesiæ. Hujus generis sunt, Baptismum conferre, semel, vel ter immergendo, Eucharistiam sumere sub una, vel utraque specie; ante, vel post Cœnam; Dominico, aut alio die; lotis,

vel non lotis pedibus : Et iis similia ; de quibus loquitur Apostolus 1. Cor. 11. v. 34. cum ait : *Cætera, cum vene-ro, disponam.* Videatur Aug. Epist. 118. ad Jannuarium, ubi pulchrè de hac re disptnat. Videatur etiam Concil. Tridentinum sess. 13. cap. 8. can. 1. & sequentib.

QUÆST. IV.

AN DETUR PURGATO-
RIUM?

IDœtrina Catholica est, præter infernum damnatorum, stare alium locum, quem Purgatorium dicimus, in quo animæ justorum, quæ in hac vita sufficienter expiate non fuerunt, in altera vita expurgantur, antequam ad cœlestem gloriam recipientur. Hoc dogma fidei pertinet ad articulum, quo credimus Sanctam Ecclesiam, cuius credibilitas, & indefec-tibilitas in rebus fidei, & morum, jam satis supra ostensa est. Lutherani, & Calvinistæ negant Purgatorium ; immo multi è Calvinistis negant etiam, infernum de facto dari, verum primo post diem Judicij à Deo destinandum esse reprobis ; & Aetius negavit olim, orationes fidelium de-

functis prodele, cujus doctrinam inter hæreses reponit Epiphanius, & Aug. de Hæresib. Aetij. Contra quos sit nostra, & Catholica.

2 Conclusio. „ Datur Purgatorium, in quo animæ justorum pro culpis venialibus, „ vel etiam mortalibus, in vita quidem remissis quoad culpam, non plenè tamen per satisfactionem expiatis quoad poenam, justo Dei judicio poenam temporalem patiuntur. Probatur 1. ex Scriptura. 2. Machab. 12. 43. dicitur : „ Quod facta collatione duodecim millia drachmas argenti misserit (Iudas Machabæus) Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum. Quod factum approbatur ibidem vers. 46. „ Sancta ergo, & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur. Subsumo jam : Sed non potuerunt orare pro constitutis in Inferno, unde nulla est redemptio, sed neque pro illis, qui fuerunt in Cœlo, hi enim non debent solvi à peccatis, cum nihil coquinatum intrare possit eō : Apoc. 21. v. 17. Ad hunc textum adeò claram cum aliter Acatholici respondere non possint, dicunt, hos libros non esse Canonicos, quos tamen tales agnovit tota Ecclesie-

clesia, teste Gelasio, Innocentio, &c. Juvat hic annexere verba Dionysij Areopagitæ, qui Eccles. Hier. c. 7. sic ait: „Accedens deinde venerans, dus Antistes precem sacram super mortuum peragit &c. „præcatur oratione illa divina, nam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata, defuncto, eumque in lucæ statuat, & regione vivorum. Addo quod Acatholici quanvis non adhibeant Plutarcho, vel Curtio tantam fidem quam Evangelistis, si tamen aliquid de antiquitatis consuetudine hi historici testentur, non inficiantur illis assentiri, credant itaque saltem fide humana, ante Christi adhuc tempora fuisse moris, apud Judæos, orare pro mortuis.

3 Probatur 2. conclusio ex Matth. 12. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Si ergo in altera vita non esset remissio aliquorum peccatorum, non minus ridiculè loquutus fuisset Dominus, quam si quis diceret: Ego neque in hac, neque in altera vita ducam uxorem; at qui nec in Cœlo, nec in Inferno est locus remissionis peccati: ergo in Purgatorio, titulo remissionis pœnae.

4 Probatur 3. conclusio fortius ex illo textu obvio S. Pauli 1. Cor. cap. 3. v. 15. *Ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Quem locum quanvis fateatur ipse S. Augustinus esse obscurum, quoad ea, quæ statum quæstionis hujus non concernunt, ipse tamen S. Doctor cum omnibus SS. PP. afferit, hic de dupliciti classe justorum agi. Primo, de perfectis, qui immediate aureorum suorum operum in puritate intentionis exercitorum mercedem accipient. Secundo, de imperfectis, quorum navi quidam bonis operibus immixti restant in igne purgante castigandi; & hoc sensu interpretantur etiam illud Isaïæ 4. v. 4. *Purgavit Dominus fôrdes filiorum, &c.* *Spiritu Judicij, & Spiritu combustionis.* Item illud Zacher. 9. v. 11. & Malach. 3. v. 3. Lucæ verò 12. v. 47. dicunt aliquos vapulaturos paucis: at de inferni pœnis, cum ea sint æternæ, id asserti non potest, ergo &c.

5 Probatur 4. concl. Remissa culpa, non semper remittitur tota pœna: sed multi difcedunt ex hac vita, qui non satisfecerunt pro tali reatu: gaudijs restat satisfaciendum in altera. Probatur maj. ex Scriptura: sic: David adulterij, &c.

homicidij reus audivit quidem à Propheta 2. Reg. 32. 48. *Transstulit Dominus peccatum tuum*, pœnam tamen ei non fuisse remissam patet ex subsequentibus verbis : *Verumtamen quia, &c. filius, qui tibi natus est morte morietur.* Secundò idem David remisso jam peccato cogitur sibi eligere pœnam , 2. Reg. 24. v. 12. Tertio , Moyses , & Aaron demissa culpa incredulitatis , puniti tamen sunt pœna temporali , Deuter. 32. v. 48. Simile quid contigit populo Israel , Exod. 32. 14. & 27. Item Numeror. 14. 29.

6 Concedimus itaque , Deum juxta suum promissum , pœnitenti remittere peccata , nec recordari iniquitatum ejus , Ezech. 18. 21. quoad culpam , & pœnam æternam ; verū , ut ex probatione 4. patet , recordatur sèpè quoad pœnam temporalem . Concedimus 2. Morte funtos cadere vel ad austrum , vel ad aquilonem . Eccl. 11. 3. Ibique manere hominem , vel amicum , vel inimicum Dei ; si in statu gratiæ decesserit , forè hæredem gloriæ , prout sunt etiam omnes animæ Purgatorij ; si verò in peccato mortalí , inimicum æternum . Concedimus 3. post diem judicij , nullum futurum Purgatorium , sed impij ibunt in supplicium

æternum ; justi verò in vitam æternam ; eousque tamen durabit Purgatorium . Concedimus 4. Cum Latrone illo multos directè ire ad Cœlum , qui nimis per actus sive perfectæ charitatis , sive pœnitentia , & afflictionis , hic satisfecerunt , vel pos Baptismum morte præventi non peccarunt . Concedimus 5. Juxta illud Sap. 3. 1. *Fustorum animas non tangere tormentum mortis* ; nec inferni , immò nec pœnas temporales pati , si tales sint , qui juxta dicta , ex hac vita plenè expiati discedunt , per opera ibidem à sapiente enumerata .

7 Nec possunt adversarij dicere , quod per mortem sufficienter plectantur justi pro reliquijs pœnarum , hæc enim pœna communis est etiam ijs , qui reatum pœna nullum habent : & hoc modo etiam infideles satisfacerent pro peccatis suis , quod est aperte falsum . Sed nec per fidem solam satisfaciunt , actus enim hujus tanta efficacia gratis asseritur : deinde multi repentinè moriuntur sine ullo tali actu elicito , qui tamen sunt justi .

8 Concedimus 6. Nomen Purgatorij nullibi reperiri in Scriptura ; verū , ut probatum est , reperitur res significata per hoc nomen ; sicut ergo SS. Trinitatem credimus prop-

ter rem in Scriptura revelata-m, tametsi nomen Trinitas non reperiatur in ea; ita Purgatorium. Confirmatur reso-lutio nostra 1. Authoritate pri-mitiva Ecclesie; ipsi enim Apostoli: S. Petrus, Jacobus, Mat-thæus, & Marcus orabant pro defunctis ut patet ex eorum lyturgijs. Secundò hoc testan-tur primi sacerduli Patres, Cle-mens Romanus, Tertullianus, Origenes, &c. Sed Augustini authoritatem interpellemus. Hom. 16. ex libris 50. Homil. Qui temporalibus pœnis digna-gererunt, per ignem quem-dam Purgatorium transibunt, de quo Apostolus inquit: Sal-vus erit, sic tamen quasi per ignem. Item super lib. 2. Ma-chab. cap. 12. In Machabæo-rum, inquit, libris legimus oblatum pro mortuis sacri-ficium, sed et si nusquam in Scrip-taris veteribus legeretur, non tamien parva est universæ Ec-clesie, que in hac consuetudi-ne claret, authoritas: ubi in precibus Sacerdotis, que Do-mino Deo ad ejus altare fun-duntur, locum suum habet, commendatio mortuorum. Vi-deatur Concilium Trident. 25. ubi inquit, cum Catholi-ca Ecclesia, Spiritu-Sancto edocta, ex Sacris Litteris, & antiqua Patrum Traditione, in Sacris Concilis, & novis-

simè in hac œcuménica Syno-do docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas fide-lium suffragijs, potissimum verò acceptabili altaris sacri-ficio jubati, &c. Videantur etiam Canones ad marg. citat. Qui hæc audit, & adhuc præ-factè Purgatorium negat, se-curus esse potest, se numquam ad Purgatorium perventurum.

QUÆST. V.

Utr. IN ECCLESIA
Christi detur potestas conce-dendi Indulgentias?

1 **D**E fide est dari in Ecclesia potesta-tem concedendi Indulgentiam, quæ consistit in remissione pœ-næ temporalis debitæ peccatis actualibus commissis post bap-tismum, & remissis quoad cul-pam, extra Sacramentum fac-ta ex Thesauro Ecclesie satis-factionum restantium Christi, ejusque Immaculatæ Matris, & aliorum SS. Idque tam quoad vivos, quam quoad de-functos, qui in Purgatorio versantur. Negant hanc potes-tatem paßim hæretici moderni cum Waldensibus, Wicleffis-tis, & Hussistis. Contra quos sit nostra, & catholica.

2 Conclusio: Datur in Ec-clesia potestas concedendi

In-

Indulgentiam , quæ consistit in remissione pœnæ temporali debite peccatis actualibus , post baptismum commissis , & remissis quoad culpam , extra Sacramentum facta ex Thesauro Ecclesie , constato ex satisfactionibus restantibus Christi , & meritis Sanctorum ; idque tam quoad vivos , quam quoad defunctos , qui in Purgatorio versantur . Probatur 1. Certum est , ex supradictis , remissa culpa , manere frequenter pœnam ; sed hæc potest remitti per Indulgentias Ecclesie ; quia Dominus dedit Ecclesie claves Matth. 16. v. 19. & Joan. 20. v. 22. Matth. 18. v. 18. promittens , quod quæcumque remiseritis super terram , erunt remissa , & in Cœlis : Ergo &c. Quæ potestas cum sit à Deo universalis , extendit se non tantum ad remissionem peccatorum , quoad culpam , in Sacramento ; sed etiam ad remissionem pœnarum , quæ retardant fideles à consecutione salutis æternæ .

3. Probatur 2. usu Ecclesie perpetuo , sic ipse S. Paulus 2. Cor. 2. v. 10. Incestuoso seriam penitentiam agenti , rogatus à Corinthis ne severitatis argueretur Lex Evangelica , concessit Indulgentiam in persona Christi : quem texum tota Ecclesia semper ita

intellexit , testibus , S. Chrysostomo , Ambros. Ansel. Thomas Aquin. &c. Probat r. 3. Sunt merita SS. significata à meritis Christi satisfactoria pro peccatis membrorum Ecclesie , ut habetur 1. Coloss. 1. v. 24. Ergo possunt ea applicari pro remissione peccatorum , quoad pœnam temporalem , adhuc à justo debitam , cum enim omne bonum opus præter vim meritoriam habeat etiam satisfactoriam in ipso Christo , etiam hæc vis satisfactoria semper manet in restantia .

4. Nec obstat , quod forte irrepisset quandoque abusus in promulgatione Indulgentiarum , ut suggestur adversarij ; per hoc enim non oppugnatur vis Indulgentiarum , sed Ministrorum ; sicut à pari de Eucharistia , certum est , quæ per indignam sumptionem &c. non negatur dari . Nec hinc inferre licet pœnas has remitti à Pontifice , per potestatem principalem , Deo soli debitam , verum per participatam , & nomine Christi , immò ab ipso Christo .

5. Confirmatur hoc totum auctoritate Conciliorum (ut habetur in Ancirano , can. 2. & 5. Concil. Niceno , Romano , Constantiensi , Triburien- si) Item S. Cyprian. ser. 5. de lap-

lapsis, & S. Hieronymi. Sed ad Augustini suffragium recurramus, qui Tertuliani veteris scriptoris autoritatem præmittit, ut hortatur certam personam. *Ut in sua viduitate frequentet stationes, pœna satisfactorias.*

6 Frustra autem opponunt hæretici, quod per hanc Indulgentiarum concessionem lædatur divina justitia; nam quomodo illa lædi potest, quando illi satisfit tām ex propria, quām ex aliena satisfactione ab Ecclesia illi summisse oblata? Nec obstat etiam quod dicitur *Luc. 16. v. 10. Cūm feceritis omnia que precepta sunt vobis, dicite servi innutiles sumus;* quia id tantum indicat merita, & præmia bonorum operum non tām nobis, quām divinitatim & acceptationi deberi. Cum quo clare consistit, ista opera bona esse simul satisfactoria, & expiatoria pœna temporalis ex eadem Dei gratia, & acceptatione. Et sic poterunt sancti non solūm profere satisfacere quoad pœnas temporales, sed etiam pro alijs: constituendo inde Thesaurum Indulgentiarum, vel ut melius dicam, illum augendo jam per Christum constitutum.

7 Videatur Concilium Trident. sess. 25. ubi inquit:

„ Cum potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclæ concessa sit; atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimæ mis etiam temporibus illa usæ fuerit: Sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maximè salutarem, & sacrorum Cenitiorum authoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit, eosque anathema damnat, qui aut inutiles esse asserant, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.

QUÆST VI.

AN CÆREMONIÆ, quibus utitur Catholica Roma- na Ecclesia sint utiles, bona, & meritoriae?

1 **S**icut dœmon Crucem, ita horrent Sectarij moderni cæremonias Ecclesiæ Romanæ, quales sunt, quæ adhibentur in administratione Sacramentorum, ut in Baptismo Exorcismi, Cruces, exsufflationes Satanæ &c. Item, benedictiones aquæ, quam dicimus benedictam, Olei Sacri, Cinerum, Ramorum, Vestium Sacerdotialium &c. Item, institutio festorum, Vigiliarum, necnon Refaria, Cru-

ces, &c. Dicunt enim esse meras superstitiones, & imposturas, exceptis tantummodo, quæ in Scripturis exprimantur. Negant insuper, Ecclesiam potestatem habere instituendi aliquas cæremonias. Contra quos sit nostra, & Catholica.

2 Conclusio. *Ecclesia habet potestatem instituendi prefatas cæremonias.* Est de fide. Probatur; licitum erat Ecclesie veteris Testamenti ritus, & certas cæremonias ad Dei cultum instituere, ut patet ex Judith 16. v. 31. Esther 9. v. 21. Et 1. Machab. 41. v. 59. Ergo a fortiori Ecclesie in lege gratia; cum cæremonijs & ipse Dominus usus fuerit, Luc. 7. v. 14. & accessit, & tetigit loculum. Cap. 4. v. 40. At ille manus singulis impoenens curabat eos. Item Marc. 7. v. 33. Surdum mutum sanavit, mittens digitos in auriculas, & expuens, tangensque linguam ejus, &c. Dicens; Epheta, quod est: adaperire. Sed an non hec poterat perfecisse sola interna voluntate? Sic pompam, & palmas minime prohibuit turbæ, ingrediens Jerosolymam. Simum habetur Marc. 8. v. 25.

3 Probatur 2. ratione: per has enim cæremonias fideles ad pietatem excitantur, rudes

de Mysterijs fidei vivacius instruntur, atque discurrendo per singulos ritus Ecclesie, omnes illi, vel novissima, vel passionem, & mortem Domini, vel poenitentiam, vel futuram beatitudinem adembrent, atque in memoriam revocant. Deinde, haec signa, quæ sunt quædam protestatio fidei, ex institutione Ecclesie vim habent (licet non ex opere operato, causandi gratiam, sicut sacramenta) ex opere operantis tamen ad plurima bona, tam spiritualia, quam corporalia consequenda, & mala arcenda, respiciente Christo Ecclesie dilectaæ sua sponsæ intercessiōnem, cujus in persona haec omnia peraguntur. Et quæso, ipsi Acatholici, si cæremonijs censem non utendum; Cùr adhibent Patrios? Cùr manę communicant, &c.? Cùm haec nullibi præcipiantur in Scriptura? Patet id ex usu primitivæ Ecclesie, testimonio SS. PP. Hieronym. Cyrilli, Basiliij, Ambros. &c. Augustini, lib. 2. contr. Julianum, & Pelag. cap. 2. *Exorcismus, & exsuffratio parvolorum est antiquissima Ecclesie Traditio.*

4 Videatur Concilium Trident. sess. 22. cap. 5. ubi ait, *Cunque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine ad-*

ad miniculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustollit, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet, quedam summissa voce, alia vero clariore in Missa pronuntiarentur, instituit. Ceremonias item adhibuit, ut Mystericas benedictiones, lumina, Thymiamata, Vespes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, & Traditione, quo & maiestas tertiis sacrificiis commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia Religionis, & pictatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Et canon. 7. Si quis dixerit, ceremonias, Vespes, & externa signa, quibus in Missarum celebratio- ne Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis; anathema sit. Videatur etiam Deuteron. c. 4. v. 7. 8. & 14. ubi ait Moyses: Nec est alia natio tam grandis, que habeat Deos apropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclita, ut habeat ceremonias: mihi mandavit (Dominus) ut docerent vos cere monias.

QUÆST. VII.

DE INVOCATIONE
Sanctorum.

INOS docemus cum communi consensu totius Ecclesiae Catholicæ, quæ errare non potest, Sanctos cum Christo regnantes in Cœlo pie, & cum fructu à nobis invocari posse. Et hoc confirmat quotidiana experientia, quia quotidie experiuntur fideles prodelle sibi Sanctorum invocationem. Nam alij sanitatem corporis, alij donum castitatis, alij profectum in studijs, alij alia beneficia per Sanctorum intercessionem à Deo petunt, & impetrant. De qua re legantur authentici Scriptores. S. Ambrosius lib. 4. Epistolar. epist. 34. quæ est de S. Agneta. Sanctus August. lib. 22. de Civit. Dei, cap. 7. Theodo retus lib. 6. Histor. cap. 24. Nilus in Epistola in 7. Synodo, act. 4. recitata. Gregorius Turonens. lib. de Gloria Martyr. & Confessorum. Gregorius Magn. lib. 3. Dialogor. cap. 22. & seq. & alij quamplurimi. Atque hæc experientia efficacissimum pro nobis argumentum est.

2 Adversarij, ut novitatis amantes sunt, rejiciunt

Ttt hanc

hanc piam, & salutarem invocationem, quæ semper in Ecclesia fuit usitata. Et multa contra illam objiciunt: 1. Quod cedat in injuriam Dei, qui solus vult invocari. 2. Quod cedat in injuriam Christi, qui salus est mediator, & intercessor pro nobis apud Deum. 3. Quod sit signum dissidentia, quia quando configimus ad Sanctos, videmur disfidere de bonitate Dei, quasi ipse non sit paratus nos adjuvare. 4. Quod sit inutilis, quia Sancti non audiunt preces nostras, quas ad ipsos dirigitur. 5. Quod nullum extet præceptum de invocatione Sanctorum: Nihil autem licet facere, quod præceptum non est, juxta illud Deuter. 12. v. 39: *Quod tibi præcipio, hoc tantum facito.*

Denique, quod hæc invocatio nova sit, nec in primitiva Ecclesia usurpata.

3. Hæc argumenta magnificant ab adversarijs; sed re vera nullius momenti sunt. Antequam hoc singillatim de singulis ostendamus, unum premitimus, quod ab adversarijs conceditur: nempe licetum esse invocare eos, qui nobiscum in hac vita degunt. Hoc enim Apostoli fecerunt, & docuerunt. Colos. 4. v. 2: *Orationi instate, orantes simul, & pro nobis, ut Deus*

aperiat nobis opium sermonis ad loquendum mysterium. Et 1. Thesal. 5. v. 25. *Fratres orate pro nobis.* Et 2. Thesal. 3. v. 1: *De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat.* Et Jac. 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut salvemini.* Hoc posito, discutienda sunt singula adversariorum argumenta, per sequentes paragrapbos.

§. I.

AN INVOCATIO SANTORUM cedat in injuriam Dei?

4. A firmant adversarij; quia Deus (inquiunt) vult solus invocari, juxta illud Deut. 6. v. 13. & Matth. 4. v. 10: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Ergo Catholici faciunt injuriam Deo, quando invocant Sanctos.

5. Respond. 1. Hoc argumentum retorqueri potest in adversarios, hoc modo: Solus Deus vult invocari, juxta Scripturam citatam: Ergo adversarij faciunt injuriam Deo quando invocant Sanctos in hac vita existentes. Et Apostolus fecit injuriam Deo cum scripsit Thesalonicensibus: *Fratres orate pro nobis.* Et similiter Jacobus, cum Christianos

nos hortatus est : *Orate pro invicem, ut salvemini.*

6 Respond. 2. Illa verba, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, sic debent intelligi. Non adorabis falsos Deos, sicut Gentiles faciunt, sed unum verum Deum, cui soli, tanquam vero Deo, divinum cultum exhibebis. Qui sensus clare exprimitur Exod. 20. v. 3: *Non habebis Deos alienos coram me, non adorabis eos, neque coles. Ego sum Dominus Deus tuus.*

7 Sicut ergo contra hoc praeceptum non peccant illi, qui petunt suffragia viventium in terra: ita nec illi, qui petunt suffragia viventium in Cœlo. Ratio est; quia neutri adorant eos, tanquam Deos, sed petunt intercessionem eorum apud veram Deum: At petere intercessionem apud verum Deum, non est colere falsos Deos: sicut petere intercessionem Aulicorum apud Imperatorem, non est colere Aulicos tanquam Imperatores, sed tanquam amicos, & domesticos Imperatoris. Res vulgo nota est.



§. II.

A N I N V O C A T I O N E
*cedat in injuriam
Christi?*

8 **A**ffirmant adversarij, quia Christus est unicus mediator noster, per quem habemus accessum ad Deum. 1. Timoth. 2. vers. 5: *Unus Mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus.* Et Ephes. 2. v. 5: *Per ipsum habemus accessum ad Patrem.* Ergo non est recurrendum ad Sanctos. Hoc enim cedit ad injuriam Christi, quasi ipsius intercessio non sufficiat, nisi accedat Sanctorum intercessio.

9 Respond. 1. Hoc argumentum æquè procedit de Sanctis hujas vitæ, ac alterius. Si ergo propterea quia Christus est unicus mediator noster, non licet recurrere ad Sanctos in Cœlo existentes, non licet eadem ratione recurrere ad eos, qui nobilcum vivunt, quod tamen est contra adversarios. Si autem sine illa injuria Christi Mediotoris possimus invocare Sanctos nobiscum degentes (ut re vera possumus) cur similiter Sanctos in Cœlo triumphantes? Non enim appetet, cur hoc magis

sit Christo injuriosum quam illud.

10 Respond. 2. Christus dicitur unicus Mediator noster, non quia solus est, sed quia principalis est. Ideò autem est principalis, quia per proprium sanguinem redemit nos à servitute diaboli, & Deo reconciliavit; quod nemo alijs fecit. Sic explicat Apostolus loco citato. Cum enim dixisset: *Unus Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus,* mox addit: *Qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus.* Et 1. Petri 1. v.18. *Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.*

11 At Sancti sunt tantum Mediatores secundarij, quia postquam à Christo redempti sumus, intercedunt pro nobis, ut redemptionis fructum percipiamus. Neque hæc intercessio ullo modo obscurat officium Mediatoris Christi. Primò, quia intercessio viventium in terris non obscurat illud, ut dictum est: Ergo nec intercessio Sanctorum in Cœlo existentium. Secundò, quia sicut nos pro nobis ipsis possumus orare Deum sine injuria Christi: sic Sancti nobiscum possunt idem præstare. Adhibentur enim quasi compreca-

tores, ut nostris orationibus suas adjungant. Tertiò, quia omnem vim intercedendi, & impetrandi, quam habent, acceperunt ex meritis Christi. Unde potius ad honorem ipsius cedit, quod ipse sit principalis mediator, & alij sint secundarij, qui ab ipso in omnibus dependeant. Sicut cedit ad honorem Regis, quod alij omnes, si quid recte faciunt in Republica, ipsius imperio, & autoritate faciant.

§. III.

*AN INVOCATIO SS. SIT
signum diffidentiae?*

12 **A**ffirmant adversarij; quia videmur diffidere de bonitate Dei, quando ad Sanctos confugimus, præsertim cum ipse paratus sit nos juvare. Et hortatur nos Apostolus, ut *cum fiducia ad eum accedamus.* (Heb.4.v.16.)

13 Nos contra sentimus. Primò, quia sicut Paulus Apost. non diffidebat de bonitate Dei, quando petebat suffragia viventium in terra; ita neque nos, quando petimus suffragia viventium in Cœlo. Secundo, quia licet Deus paratus sit nos audire, quando soli ad illum accedimus; tamen non minus paratus est, quando cum

cum amicis ipsius ad illum accedimus.

14 Et sanè hac in re imitamur exempla Scripturæ. Nam Job 42. v. 8. dicit Deus ad amicos Job: *Ite ad servum meum Job, & offerte holocaustum pro vobis. Job autem servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia.* Idem Genes. 20. v. 7. dicit Deus ad Abimelech Regem Geraræ: *Nunc ergo redde viro suo (id est Abrahamo) uxorem, quia Propheta est, & oravit pro te, & vives.* Item Actor. 7. v. 59. Stephanus oravit pro persecutoribus suis, inter quos erat Saulus: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Unde, Augustinus Serm. 1. de Sanctis. *Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet.* In his exemplis nullum est signum dissidentiæ.

§. IV.

*AN INVOCATIO SS. SIT
inutilis eo quod ipsi non au-
diant nostras preces, neque
sciant, quid apud nos
geratur?*

15 Affirmant adversarij; quia Scriptura dicit, solum Deum nosse cogitationes nostras: mortuos

vero nihil scire de nobis. 3. Reg. 8. v. 39. *Tu nosti solas cor omnium filiorum hominum.* Et Eccles. 9. v. 5. *Viventes sciunt se morituros, mortui vero nihil neverunt amplius.* Et Job 14. v. 21. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget; nempe, post mortem.* Et Isaïæ 63. v. 16. *Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos.*

16 Nos cum consensu antiquorum Patrum contrarium asserimus, nempe, Sanctos cum Christo regnantes in Cœlo audire nostras orationes, & nosse, quæ apud nos gerantur. Ita August. lib. 22. de Civit. Dei, cap. 29. Prosper Aquitanic. lib. 1. de Vita Contemplativa, cap. 4. Gregorius Mag. lib. 4. Dialog. cap. 33. Beda ad cap. 16. Lucæ, & alij paſſim, quos citabo inferius. Quod primo probandum est de Angelis: deinde de alijs Sanctis.

17 De Angelis constat ex clarissimis Scripturæ testimonijs. Nam primo cognoscunt illi nostras orationes, easque Deo offerunt, ut de se fatetur Angelus Raphael, Tob. 12. v. 12. *Quando (inquit) orabas cum lachrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Secundò, cognoscunt internam pœnitentiam, & conversionem

pec.



peccatoris , Luc. 15. v. 10.
*Gaudium erit coram Angelis
 Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* Tertio , cognoscunt omnem cultum , quem Deo exhibemus , Psalm. 137. v. 1. *In conspectu Angelorum psallam tibi.* Usicatum est in Scripturis , facere aliquid in conspectu Angelorum , in conspectu hominum , idest , inspiciente Deo , Angelis , hominibus . Quartò , cognoscunt habitum , & honestatem mulierum in publicis conventibus ubi sit oratio . 1. Corinth. 11. v. 10. „ Ideò debet mulier velamen habere „ supra caput propter Angelos . Omitto similia .

18 Quod dixi de Angelis , dico etiam de alijs Sanctis . Nam & ipsi cognoscunt nostras necessitates , & orationes . Primo , quia sunt aequales in statu beatitudinis ; Luc. 20. v. 36. „ Aequales enim Angelis sunt . Si ergo Angeli , quia sunt in statu beatitudinis , cognoscunt res nostras , etiam alij , qui sunt in eodem statu , cognoscunt . Et hoc Scriptura aperte testatur Apocal. 5. v. 8. „ Vilmingtoni quatuor seniores ceciderunt coram Agno , habentes singuli citharas , & phialas aureas , plenas odoramentorum , quæ sunt orationes Sanctorum . Ubi per viginiquatuor seniores intelliguntur

tur Sancti veteris , ac novi Testamenti , qui eo tempore , quo Joannes hæc scribebat , erant cum Christo in cœlesti gloria . Illi igitur offerebant Deo orationes eorum , qui in hac vita mortali degebant , non seclusus quam Angeli . Tobia 12. v. 12. & Apocal. 8. v. 3.

19 Secundò , quidquid perfectionis conceditur Sanctis in hac vita degentibus , multo magis conceditur Sanctis in Cœlo regnantibus , præsertim si illorum statu non repugnet , sed consentaneum sit . At Sanctis in hac vita degentibus conceditur , ut cognoscant occulta aliorum etiam absentium desideria , machinationes , actiones : Ergo multo magis id conceditur Sanctis in Cœlo existentibus , cum illorum statui consentaneum sit . Major videtur per se nota . Minor probatur varijs Scripturæ exemplis . Primo , quia Samuel cognovit omnia , quæ erant in corde Saulis , 1. Reg. 9. v. 19. Secundò , Eliseus scivit omnia , quæ a famulo absente erant perpetrata : 4. Reg. 5. v. 25. Tertio , idem Eliseus habebat perspecta omnia secreta consilia Regis Syriæ , & revelabat ea Regi Israel : 4. Reg. 6. v. 8. Quartò , Daniel sciebat occultum somnium Nabuchodonosoris , & interpretabi-

tionem illius: Dan. 2. v. 26. Quintò, Petrus Apost. sciebat occultam fraudem Amanię, & Saphirę circa pretium agri: Actor. 5. v. 1. Si ergo illi in hac vita mortali degentes potuerunt ista cognoscere, certe poterunt, & nunc cognoscere cum in Cœlo sunt. Nec enim verisimile est, in exilio fuisse melioris conditionis, quā nunc sint in Patria: & remotos à conspectu Dei cognovisse multa ex Dei revelatione, quæ nunc in Aula, & præsentia Dei cogantur ignorare. Absit. Hoc argumento usus est Sanct. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei, cap. 29. dicente:

„Si Propheta Eliseus puerum suum Giezi absens corpore vidi accipientem munera, quæ dedit illi Naaman Syrus: quanto magis Sancti videbunt omnia, etiam unde sunt corpore absentes?

„Tunc enim erit perfectum illud, de quo loquens Apostolus: Ex parte, inquit, sciens, & ex parte prophetatus: cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.

20. Accedit alia duplex ratio: Una sumitur ex lege amicitiae, quæ requirit, ut amicus amico manifestet ea, quæ ad ipsum pertinent, juxta illud Christi Joann. 15. v.

15. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia, quacumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Cum ergo Sancti in Cœlo sint amici Dei, & magis cum illo conjuncti, quam cum in terra essent, lex amicitiae requirit, ut Deus manifestet illis orationes nostras, quæ ad illos diriguntur. Altera sumitur à priori in hunc modum: Sancti in Cœlo clare, & intuitive vident divinam essentiam, in quantum vivo speculo, creaturæ omnes repræsentantur. Sicut ergo is, qui speculum corporeum intuetur, clarè, & distinctè videt, quæ in illo apparent; ita Sancti, quæ essentiam divinam intuentur, claré, & distinctè, vident creaturas in illa apparentes. Simili serè ratione utentur Patres supra citati, Prosper, Gregorius, Beda. Prosper sic habet: Nec latet tam perfecte Beatos aliquid secretorum, qui, quod est longe præstantius, ipsum visuri sunt Deum. Et Gregorius: Quia in illa aeterna hereditate omnes communi claritate Deum conspicunt, quid est, quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt? Et Beda: Qui Creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod

quod videre non possint.

21 Supereft, ut excutiantur testimonia Scripturæ contra nos allata. Primum est 3. Reg. 8. v. 39. *Tu nōsti solus eorū omnium filiorū hominum.* Respond. Multa soli Deo tribuuntur, quæ etiam alijs convenient, sed diverso sensu: v. g. solus Deus dicitur bonus. (Matth. 19. v. 17.) Solus justus. (2. Machab. 1. v. 25.) Solus pius. (Apocal. 11. v. 4.) Solus potens, & immortalis. (1. Timoth. 6. v. 15.) Solus faciens mirabilia. (Psal. 71. v. 18.) Et tamen hæc omnia convenient etiam hominibus, non quidem per essentiam, ut Deo, sed per participationem; nam Deus ista omnia habet à se, homines á Deo. Idem est in nostro casu. Solus Deus dicitur nosse corda hominum, quia solus ex se novit; nihilominus & alij possunt nosse, non quidem ex se, & propria virtute, sed accepta á Deo cognitione, aut revelatione.

22 Reliqua tria testimonia nihil ad rem faciunt. Non enim disputamus de notitia, quam mortui habuerunt in veteri Testamento ante Christi adventum; sed de notitia, quam habent in novo Testamento, post Christi ascensionem, & speciatim de notitia, quam nunc habent Sancti cum Chris-

to regnantes in cœlesti gloria. De his solis asserimus, quod sciant, quæ apud nos getuntur. At testimonia citata intelligenda sunt de notitia, quam habuerunt mortui ante Christi adventum. Illi non sciebant omnia, quæ hic gerebantur, quia non erant in statu beatitudinis, nec clare videbant divinam essentiam, in qua tanquam vivo speculo possent videre, quæ hic siebant. Nihilominus seorsim dicam aliquid de singulis.

23 Igitur primum est, Eccl. 9. v. 5. „Viventes sciunt se morituros, mortui verò nihil noverunt amplius. Respond. sensus est: Viventes, quia sciunt se morituros, possunt agere poenitentiam, & prospicere sibi de remedio salutis, ne in aeternum pereant: at mortui, qui hic neglexerunt poenitentiam, nullum amplius noverunt remedium, quod possit illis prodesse. Nam post hanc vitam non est tempus poenitendi, aut merendi: sed si quis vult ad Deum converti, debet id facere in hac vita. Aug. in Enchiridio, c. 110.

24 Secundum est Job 14. v. 21. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Respond. Loquitur de homine carnali, qui in hac vita valde solicitus fuit de suis fi-

filii circa honores, & divitias;
& post hanc vitam, quando
est in inferno non prodest illi
ista solicitude, quia nescire
quid agatur de filiis, aut in
quo statu sint. Ita Gregorius
lib. 12. Moralium 12.

25 Tertium est. Isaiae 63.
v. 16: *Abraham nescivit nos,*
¶ Israel ignoravit nos. Res-
pond. Ex hoc loco nihil aliud
possunt colligere adversarij
(quantum attinet ad præsen-
tem questionem) quam quod
Abraham, & Jacob tunc tem-
poris ignoraverint, quid in
hac vita gereretur: quod non
est contra nos. Nam Abraham,
& Jacob non erant tunc in
coelesti gloria, sed in Limbo.
Nos autem hic disputamus de
Sanctis cum Christo in coelesti
gloria existentibus. An autem
ille sit sensus istius loci, me-
ritò queri potest. Videtur alius
esse, ut patet ex contextu, qui
sic habet: „Attende de Cœlo,
„& vide de habitaculo sancto
„tuo. Tu enim Pater nos-
„ter, & Abraham nescivit
„nos, & Israel ignoravit nos.
„Tu, Domine, Pater noster,
„redemptor noster a seculo
„nomen tuum. Quasi dicat:
Meritò confugimus ad te, Pa-
ter Coelestis, quia Abraham,
& Jacob non possunt liberare
nos, sed tu solus. Vel, ut Hie-
ronymus interpretatur, Abra-

ham, & Jacob non agnoscunt
nos amplius pro filiis suis,
propter peccata nostra.

§. V.

AN IDEO NON LICEAT
invocare Sanctos, quia non
*habemus de hac re pre-
ceptum divinum?*

26 **S**ic sentiunt multi ex
Adversarijs: & pro-
bant ex illo Deuteronomio 12. v.
32. *Quod præcipio tibi hoc tan-
tum facito Domino: nec ad-
das quidquam, nec minuas.*
Sed errant. Nam multa sunt,
quaे legitimè, & laudabiliter
fieri possunt, & tamen à Deo
præcepta non sunt. Cujusmo-
di sunt hæc. 1. servare Virgi-
nitatem. 2. Dare omnia pau-
peribus. 3. Sæpius quotidie
flexis genibus orare. 4. Eu-
charistiam mane ante cibum
sumere. 5. Exorcismum adhi-
bere ante Baptismum. 6. Sa-
cros ordines suscipere. 7. Ma-
gistros, Bacalaureos, Docto-
res Academico ritu promovere.
Et alia similia.

27 Nec deest luculentum
exemplum in Scriptura. Nam
legimus apud Jeremiam cap.
35. Rechabitas cum tota sua
posterioritate semper abstinuisse
à vino, nunquam ædificasse
domos, nec plantasse vineas;
ideoque à Deo fuisse commen-

datos : Et tamen nullo præcepto divino ad id præstandum erant obligati, sed tantum humano.

27 Illud porro ex Deuteronomio, *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino,* non debet generatim accipi de quocunque opere faciendo; sed speciatim de offerendo sacrificio: *hoc tantum offerto,* & non aliud. Videantur quæ diximus de traditionibus.

§. VI.
AN INVOCATIO SANC-
TORUM fuerit usurpata in pri-
mitiva Ecclesia?

28 **N**egant adversarij; & inter se dissident. Nam Philippus Melanthon in Apologia confessionis Augustanæ à 21. dicit, veteres Scriptores, ante Gregorium, nullam fecisse mentionem invocationis Sanctorum. At Kemnitius in Examine Concilij Tridentini sess. 22. affirmat, invocationem Sanctorum ccepisse post tempora Augustini, qui vixit ducentis sive annis ante Gregorium. Et in eodem Examen sess. 25. affat, Authorem invocationis Beatae Mariae fuisse Petrum Gaphrionem, circa annum Christi 480. Quæ omnia aperi-
te falsa sunt. Nam & ipse Au-

gustinus, & alij Augustino anti-
quiores diserte scribunt de in-
vocatione Sanctorum, ut pater
ex ipsorum verbis, & testimo-
nijs, quæ sequuntur.

29 Origines in Tractatu,
qui inscribitur Threni, seu
planetus: „ Incipiam me ge-
„ nibus prosternere, & depre-
„ cari universos Sanctos, ut
„ mihi, non audente petere
„ Deum propter nimietatem
„ peccati, succurrant. O Sanc-
„ ti Dei, vos lachrymis, &
„ fletu pleno dolore deprecor,
„ ut procidatis misericordijs
„ ejus pro me misero, &c.

30 Nectarius Constanti-
nopolitanus oratione de S.
Theodoro Martyre: „ O splen-
„ dor Martyrum, & decus
„ Sanctorum ! O custos ! O
„ verè Dei donum ! O custos,
„ & invictissimè defensor fide-
„ lium, ne obliviscaris nostræ
„ paupertatis, & humilitatis;
„ nec semper pronobis inter-
„ cedere te pigrat ! O vir im-
„ primis admirande, &c.

31 Ephrem Sermone de
Sanctis Martyribus: „ Præca-
„ mur, bearissimi Martyres,
„ qui pro Domino Salvatore,
„ proque illius charitate spon-
„ te tormenta subiissis, atque,
„ adeò familiarius Deo cen-
„ juasti estis, ut pronobis mi-
„ feris, & peccatoribus, &
„ negligentiæ squallore sorden-

,, tibus, Dominum interpellat,
 ,,, re dignemini, ut superveniat
 ,,, in nos gratia Christi,
 ,,, que corda nostra radio sancta
 ,,, & charitatis illustret, &c.

32 Gregorius Nazianenus oratione in Cyprian. in fine : „ Tu vero nos ab alto propitiis respice, nostrumque Sermonem, ac vitam dirige, & sanctum ovile hoc pasce, aut una rege, ac reliqua, quantum possibile est, ad meliora dispone, molesvosque lupos, syllabarum, & verborum venatores illos abige: ac Sanctæ Trinitatis, cui nunc astas, splendorem nobis perfectiorem, & clariorem gratificare, quam adoramus, quam glorificamus, &c. Item in orat. in laudem Basili Magni in fine: „ Tu autem sacrum, ac divinum caput, ex alto nos respice, & carnis stimulum, instructionem nostram à Deo nobis datam, aut tuis sisticibus, aut fortiter me ferre persuade, totamque vitam nobis in melius permuta, &c.

33 Gregorius Nyssenus orat. in laudem S. Theodori Martyris, circa finem: „ Multorum beneficiorum indigamus: intercede, ac deprecare pro patria apud communem Règem, & Domi-

,, num, &c. Timemus afflictiones: expectamus pericula: non longe absunt scelesti Scythæ, & bellum aduersus nos parturientes. Ut miles, propugna pro nobis: ut Martyr, pro conservis utere libertate loquendi, &c. Pete pacem, ut hi publici conventus non desinant, ne debacchetur, atque gravetur adversus tempora, altaria, ratiæ rabiosus, & sceleratus barbarus: ne conculces sancta profanus, & impius. Nos enim etiam, quod incolimus, & integri conservari sumus, tibi beneficium acceptum referimus. Petimus autem etiam futuri temporis præsidium, atque securitatem. Quod si majore etiam opus fuerit advocatione, & deprecatione, fratrum tuorum Martym coge Chorum, & cum omnibus una deprecare. Multorum Justorum preces multitudinem, ac populorum peccata abluant. Admone Petrum, ex cito Paulum, &c.

34 Ambrosius in lib. de Viduis circa medium: „ Observandi sunt Angeli pro nobis; qui nobis ad præsidium dati sunt. Martyres observandi, quorum videmur nobis quodam corporis pigmentore patrocinium vendica-

„re. Possunt pro peccatis ro-
„gare nostris , qui proprio
„sanguine , etiam si quæ ha-
„buerunt peccata , laberunt.
„Isti enim sunt Dei Martyres,
„nostræ præsules speculatores
„vitæ , actumque nostrorum.
„Non erubescamus eos inter-
„cessores nostræ infirmitatis
„adhibere , &c.

35 Hieronymus Epist. 27.
ad Eustochium Virginem de
Epitaphio Paulæ matris , cap.
14. *Vale , ô Paula , & culto-
ris tui ultimam senectutem
orationibus juva : Fides , &
opera tua Christo te sociant ; præ-
fens facilius , quod postulas ,
imperabas.*

36 Chrysostomus Hom.
26. in Epistolam posteriorem
ad Corinth. non longe à fine:
*Quin sepulchra servorum Cru-
cifixi regis aulis sunt splendi-
diora , non adiectorum am-
plitudine ac splendore , sed
quod multo amplius est , conve-
nientium studio. Nam & ipse
ille purpura induitus peregre
proficitur , sepulchra illa com-
plexurus , & fastu posito con-
sistit , Sanctos rogans , ut , si-
bi apud Deum patrocinentur :
Et tabernaculorum artificem ,
(idest Paulum Apostol.) ac Pis-
catorem (Petrum) patronos
etiam mortuos precatur , ipse
diadema gestans. Audebisne
igitur , dic quaso , horum Do-*

*minum dicere mortuum , cu-
jus famuli etiam mortui bujus
mundi Regum sunt patroni ?
Atqui id cernat quis non Ro-
me tantum fieri , sed etiam
Constantinopoli.*

37 Hi omnes Patres Augus-
tino antiquiores sunt. Unde
constat adversarios , vel menti-
ri , vel ut minimum errare ,
cum ajunt invocationem Sanc-
torum cœpisse post Augusti-
num. Jam vero , quid ipse Au-
gusti sentiat , notissimum est:
Nam in lib. Meditation. cap.
24. sic scribit: „ Felices Sanc-
ti Dei omnes , qui jam per-
transiit hujus mortalitatis
pelagus , & pervenire me-
ruisti ad portum perpetuæ
quietis , securitatis , & pa-
cis , securi , & tranquilli ,
semperque festivi , atque
gaudentes ; obsecro vos per
vestram charitatem , qui se-
curi estis de vobis , solliciti
estote de nobis : securi estis
de vestra immarcescibili glo-
ria , solliciti estote de nostra
multiplici miseria. Per ip-
sum vos rogo , qui vos ele-
git , qui vos tales fecit , de-
cujus pulchritudine jam sa-
tiarni , de cuius immorta-
litate jam immortales facti
estis , cuius beatissima visio-
ne semper gaudetis : Estote
juciter memores nostri , sub-
venite nobis miseris , qui

„ad-

„ adhuc in solo hujus vitæ cir-
„ cunstantibus agitamur pro-
„ cellis. Et Paulo post : „ In-
„ tercedite, orate constanter,
„ atque indesinenter pro no-
„ bis miseris, multumque ne-
„ gligentibus peccatoribus.

38 Et ibidem cap. 40.
*Sancta, & Immaculata Virgo Dei Genitrix Maria, Mater Domini nostri Iesu Christi, intervenire pro me digneris apud illum cuius meruisti effici templum. Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, Sancti Chori Angelorum, Patriarcharum, atque Propheta-
tarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumque justorum, per illum, qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare presumo, ut pro me culpabili ipsi Deo supplicare dignemini, &c.*

39 Et lib.7. de Baptismo, contra Donatistas, cap.1. invocat S. Cyprianum his verbis: *Adjuvet itaque nos orationibus suis in istius carnis mortalitate, tanquam in caliginosa nube laborantes, ut donante Domino, quantum possumus, bona ejus imitemur.* Et libro 22. de Civit. Dei, cap. 8. refert miracula quibus Sanc-

torum invocatio confirmata est. Hæc legant adversarij, & intelligant se in errore versari.

g. INCIDENS.

DE USU, ET CULTU SACRARUM IMAGINUM.

40 **V**ideator Concilium Trident. sess. 25. ubi decernit de invocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus, de quibus nos jam tom. 2. Tract. de Incarnat. disput. 11. Prout autem ad præsens attinet, inquit Sacrum Concilium: „ Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis, & ceteris docendi munus, curamque substan-
tibus, ut, juxta Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ usum, a primævis Christianæ Religioni temporibus receperimus, Sanctorumque Patrum confessionem, & Sacrorum Conciliorum decreta in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, reliquia-
rum honore, & legitimo imaginum usu, fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse suppliciter eos invocare;

„ &

„ & ob beneficia impetranda
 „ à Deo per filium ejus Iesum-
 „ Christum , Dominum nos-
 „ trum , qui solus noster Re-
 „ demptor , & Salvator est , ad
 „ eorum orationes , opem au-
 „ xiliumque confugere ; illos
 „ verò , qui negant , Sanctos ,
 „ æterna felicitate in Cœlo
 „ fruentes , invocandos esse ;
 „ aut qui asserunt , vel illos
 „ pro hominibus non orare ,
 „ vel eorum ut pro nobis
 „ etiam singulis orent , invo-
 „ cationem esse idolatriam , vel
 „ pugnare cum Verbo Dei , Ad-
 „ versari que honori unius me-
 „ diatoris Dei , & hominum
 „ Jesu Christi ; vel stultum
 „ esse , in Cœlo regnantibus
 „ voce , vel mente supplicare ,
 „ impie sentire , &c.

41 „ Imagines porrò Chri-
 „ ti , Deipara Virginis , & alio-
 „ rum Sanctorum , in templis
 „ præsertim habendas , & reti-
 „ nendas , eisque debitum ho-
 „ norem & venerationem im-
 „ pertiendam ; non quod cre-
 „ datur inesse aliqua in ijs di-
 „ vinitas , vel virtus , propter
 „ quam sint colenda ; vel quod
 „ ab eis sit aliquid petendum ;
 „ vel quod fiducia in imagi-
 „ nibus sit figura ; veluti
 „ olim siebat à gentibus , quæ
 „ in idolis spem suam colloca-
 „ bant ; sed quoniam honos ,
 „ qui eis exhibetur , refertur

„ ad prototypa , quæ illæ repre-
 „ sentant : Ita ut per imagines
 „ quas osculamur , & coram
 „ quibus Caput aperimus , &
 „ procumbimus , Christum
 „ adoremus ; & Sanctos , quo-
 „ rum illæ similitudinem ge-
 „ runt , veneremur ; quod Con-
 „ ciliorum decretis contra
 „ imaginum oppugnatores est
 „ Sanctum .

42 Illud verò diligenter
 „ doceant Episcopi , per historias
 „ mysteriorum nostræ Redemp-
 „ tionis , picturis , vel alijs se-
 „ miliitudinibus expressas , era-
 „ diri , & confirmari populum
 „ in articularis fidei commemoran-
 „ dis , & assidue recolendis : Tunc
 „ vero ex omnibus Sacris Ima-
 „ ginibus magnum fructum per-
 „ cipi ; non solum quia admone-
 „ tur pupulus beneficiorum , &
 „ munerum , quæ à Christo sibi
 „ collata sunt ; sed etiam , quia
 „ Dei per Sanctos miracula , &
 „ salutaria exempla oculis fide-
 „ lium subjiciuntur , ut pro ijs
 „ Deo gratias agant , ad Sanc-
 „ torumque imitationem vitam ,
 „ moresque suos componant ; ex-
 „ citenturque ad adorandum , ac
 „ diligendum Deum , & ad pie-
 „ tatem colendam . Si quis au-
 „ tem his decretis contraria do-
 „ cuerit , aut senserit ; anatha-
 „ ma sit . Hucusque Sacrosanc-
 „ tum Concilium .

43 Quibus nec brevius ,
 „ nec

nec efficacius possunt confundi Protestantes, qui pertinaciter se opponunt huic con- gruentissimo, atque utilissimo usui Sacrarum Imaginum. Deinde, prædictus usus confirmatur ex Veteri Testamento; nam Exod. 25. v. 18. dixit Dominus ad Moysen: *Facies duos Cherubim aureos, & pro- ductiles, ex utraque parte ora- culi.* Ubi per duos Cherubim aureos intelliguntur duæ sta- tuæ, vel imagines aureæ, re- presentantes duos Angelos Cherubinos, quæ positiæ erant in Tabernaculo super arcam seederis, & expansis alis tege- bant arcam. Numer. 21. v. 8. *Fac serpentem Aeneum, & pone eum pro signo, &c.* qui erat figura Christi Crucifixi; nam Joan. 3. v. 14. *Sicut Moyses exaltabit serpentin in de- ferto, ita exaltari oportet filium hominis, &c.* Confirmatur etiam ex novo Testamento; nam in Imagine Columba, in Jordane Spiritus Sanctus ap- paruit; & in die Pentecostes in imagine, seu figura lingua- rum ignis sedet supra Apo- stolos. Deinde, ex Traditione primitivæ Ecclesiæ habemus, quod Christus D. faciem suam in linteo mulieris Veronica delineatam reliquit. Et simili Traditione habetur in Hispania, quod Immaculata Virgo

Deipara, dum adhuc in hu- manis ageret, apparuit majo- ri Jacobo Apostolo Cesaraugusta, & injunxit ut sacellum extrueret, ubi posuit Colum- nam cum Imagine ipsius Im- maculata Virginis Deiparae, ab Angelis Reginam suam comi- tantibus transportatam.

44 Insuper, quod prædic- tus usus Sacrarum Imaginum sit Deo gratus, patet ex tot, & tam innumerabilibus mira- culis usque ad hæc tempora ab ipso Deo in imaginibus pa- tratis, adeò ut vix sit orbis angulus, ubi non stent signa, per quæ Deus ostendit sibi val- dé placere usum, & cultum Sacrarum Imaginum. Præte- reà, S. Ambrosius, in Orat. de Obitu Theodosij, laudat Sapientiam S. Elenæ, *quod Cru- cem Christi levaverit, & ipsis Regibus videndam, & hono- randam exposuérat.* S. Augus- tinus lib. 3. de Doct. Christia- na cap. 9. inquit: *Signa utilia divinitus instituta veneranda- sunt, quia honor eorum ad pro- totypum transit.* Insuper (omit- tendo quam plurima alia) quid aliud sunt imagines Christi Domini, nisi repræsentatio- vitæ, passionis, mortis, re- surrectionis, atque ascensio- nis ejus, & redemptionis nostræ? Et quid sunt imagines aliorum Sanctorum, nisi re-

præsentationes eorum vitæ, virtutis, & Religionis, quibus instruitur ad oculum rudit, & indocta plebs? Si hoc tollitur, tollantur Scripturæ, Historiæ, & Prædicationes; & tollantur festa Paschatis, Pentecostes, Nativitatis, Epiphaniæ, &c. Ita faciunt miseri-mi, & infelicissimi Protestan-tes, ut simplices plebei non videant per imagines tot Sanctorum, & Sanctorum, sicut olim, dum sua Regna vixerunt sub vexillo Sanctæ Romanae, atque Catholicæ Ecclesiæ flo-ruerunt; & postquam à Ro-mano Pontifice recesserunt, nec ullum habuerunt, nec ha-bebunt cuius Sacra, & virtuo-sa Imago plebi ad exemplum proponatur.

45 Si Protestantes, quia cæ-ci sunt, & Duces cœcorum, hæc non vident, agnoscant saltem quid ipsi facere consue-verunt: ipsi curant erigi sta-tuas Regum, & Principum; student formari, & artificiosè depingi Imagines suorum Pa-rentum, Uxorium, Liberorum, immò, & Predicantium, ut Lutheri, Calvini, & aliorum. Nec solùn erigi, & formari, sed etiam magno studio con-servare, & eas saltem Civili-cultu honorari; & puniri eos, qui illas ludibrio afficiunt. Cūr, nisi, quia honor exhibi-

tus imagini, redundat in eum, cuius est imago; sicut è con-tea, contumelia, quæ infertur statuæ redundat in eum, cuius est statua. Unde rectè S. Ambrosius ferm. 10. in Psalm.

118. *Quil imaginem coronat Imperotaris, utique illum ho-norat, cuius imaginem coro-navit. Et qui statuam con-tempsit Imperatoris, Imperato-ri utique videtur fecisse inju-riam.* Sic similiter, qui colit imaginem Christi, & Sanctorum; Christum, & Sanctos colit; qui autem contemnit imaginem Christi, & Sanctorum; Christum, & Sanctos contemnit. Ita sunt Protestan-tes perditissimi homines. Quæ illos dementia cepit? abſdu-bio diabolica infania; quia volant memoriam Christi, & Sanctorum abolitam; Lutheri autem, Calvini, & Beze conservatam. O temporal (exclama-t Pater Bez.) O mores! mu-lto aliter antiqui, & Ecclesiæ Sanctæ Doctores, quorum tes-timonia videri possunt apud Bellarm. Coccum, & Valent.

46 Arg. Protestantes ali- quibus locis Sacræ Scripturæ, in quibus videntur prohibitæ hujusmodi imagines; nam Exod. 20. v.4. *Non facies ti-bi Sculptile.* Levit. 20.v.1. *Non facietis vobis idolum, & sculp-tile, nec in signum ponetis.*

pidem in terra vestra, ut adoratis eum. D. ut. 4. v. 15. & 16. Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel feminine. Et Deut. 5. v. 8. Non facies tibi sculptile nec similitudinem omnium, qua in Cœlo sunt desuper, & qua in terra deorsum, & qua versantur in aquis sub terra, non adorabis ea, & non cotes. Ergo &c. Respond. quod in predictis, & alijs hujusmodi locis Sacra Scripturæ solùm prohibetur usus imaginum ad Idolatram, ut attente legentibus est manifestum. Quomodo ergo erit hoc argumentum contra Religionem Catholicam Romanam, quæ strenue prohibet Idolatriam? & præcipit, ut fideles se abstineant ab omni adoratione more Gentilium? Doctrina nostræ veræ Romanæ Ecclesiæ de usu, & cultu imaginum, jam supra ex Concilio Tridentino manet declarata; ubi præcavendo aliqua inconvenientia, prosequitur Sacrosancta Synodus: *In has autem Sanctas, & salutares observationes si qui abusus irreperrint, eos prorsus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit; ita ut*

nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occasionem præbentes, statuantur. Quod si aliquando histrioſias, & narrationes Sacra Scripturæ, cum id indocta plebi expediet, exprimit, & figurari contigerit; doceatur populus, non propter cā divinitatem figurari, quisi corporeis oculis conspicere, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.

47 Dices: Ergo Imagines, quæ Deum, & Angelos repræsentant, sunt falsæ, cum illos repræsentet more Corporeo. Respond. neg. conseq. Etenim imago non repræsentet rem, ut est in se, seu aparte rei; sed ut concipitur ab hominibus, quibus repræsentat; & quibus aliquando apparuerunt Angeli in forma viri, ut supra diximus. Propter hoc dicunt multi AA. quod imagines non repræsentant Deum, & Angelos univocè; sed analogicè, aut metaphoricè; idest, non repræsentant Deum, aut Angelos ut sunt in se, sed ut à nobis concipiuntur, aut sicut sunt in hominum apprehensione; cum enim corporei sumus, & dependentes à fantasmatis, pro hoc statu, res aliter apprehendere non possumus. Ut autem imago sit vera, sufficit conformitas cum apprehensione cognoscens: sicuti

ut locutio vera sit, non requiri-
tur conformitas verborum
enim re prolatæ, prout est in se,
sed prout est in apprehensio-
ne, seu mente loquentis: Un-
de nemo de mendacio damna-
tur, si dicat, quod existimat
esse verum; & si alias materia-
liter falsum dicat. Concludit
Trident. Tanta circa hæc di-
ligentia, & curæ adhibeatur,

ut nihil inordinatum: nihil
profanum, nihilque inbones-
tum appareat, cum domum Dei
deceat sanctitudo. Hæc ut fide-
lius observentur, statuit Sancta
Synodus nemini licere ullo
in loco, vel Ecclesia, etiam
quomodolibet esempia, ullam
insolitam ponere, vel ponen-
dam curare imaginem, &c.

TRACTATUS III.

DE ALIQUIBUS QUÆSTIONIBUS

Libertinorum.

Præmium.

Eodem fere momento, (inquit nost. Boyvin) quo Eccle-
sia nata est ex Christo in Cruce pendente, infernus libo-
re ullulans, ipsam prævidendo tanquam Arcam Noe,
ab æternitate destinatam, ut hominum universitas à diluvio
æterno liberaretur, in ipsa iisurrexit, ut eam ad interitum, si
posset, reduceret: Unde ferocitatem Imperatorum suscitavit,
qui in gratiam Paganismi, quem profitebantur, tormentis plu-
ribus, & inauditis incessanter connabantur membra hujus Ec-
clesiastici Corporis exterminare. Ita taliter quod ex suppura-
tione aliquorum, plusquam Undecim millions Christianorum gla-
dio Tyrannorum occubuerunt, qui numerus sufficeret, ut qua-
libet die anni celebrare posset Ecclesia festum diem plusquam tri-
ginta millia Martirum. Pagani tamen, & Idolatæ non fuerunt
cruduliores Ecclesiæ adversarij, immo quolibet sæculo plus sæ-
vijt in illam hæresis, quam Imperatorum barbaries; & plures
animas damnaverunt Hæsiarchæ, quam persecutio occiderit

corpora, quod Deus prospiciens, ut ipsam conservaret, quo liber etiam sacerdote Apostolos, Apostolicosque Doctores protulit, qui doctrina, & virtute ipsius defensionem, & conservam suscepserunt. Qui voluerit videre pro quolibet sacerdote p[ro]puas hæreses, cum præcipuis Hæresiarchis; atque insuper præcipios Sanctos Patres, præcipiosque Sacros Scriptores, qui contra illas scripserunt, videat nos. Boyvin tract. 2. cap. ult. & Pat. Arsdekin, in sua Theolog. tripart. Nos autem ob temporis brevitatem cum Pat. Becan. solum examinabimus aliquas quæstiones Politicorum, seu Libertinorum.

Pater Arsdekin in Tripartita tom. 1. tract. 3. art. 5. inquit, quod,,, Protestantes in Anglia Religionem sibi fabricarunt à ceteris Protestantibus Germania in multis diversam :: Est autem Secta Protestantum confusa ex varijs dogmatibus partim Lutheri, partim Calvini, quibus & alia sunt adjuncta dogma ta, ritusque ab utroque diversi. Nam primò, Protestantes Regem statuunt esse caput Supremum Ecclesie Anglicanae. 2. Admittrunt Ecclesiam debere confari ex Archiepiscopis, Episcopis, Decanis, alijsque gradibus Ecclesiastica Hierarchie. 3. Varios recipiunt Catholicorum antiquos ritus, altaria, cereos, supercilicia; non tamen realem Christi presentiam in Cœna Eucharistica. Estque haec in Anglia Religio Regis, & Aule, cui per varias Leges conantur reliquas Sectas conformare. Sed in vanum; nam in Batavia, Bohemia, Germania, & Anglia nova Sectæ oriuntur continuò quarum numeratio est impossibilis; ait noster Boyvin, & idem antea dixerat de Prussia, de Frisia orientali, & occidentali, Sylesia, Moravia, & Polonia, Quid mirum! Sunt homines in tenebris ambulantes, sine luce, & sine gratia Duce; ob quod nocte, & die in novos continuos errores incident.

Alij sunt hæretici, qui omni sacerdoto extiterunt, & existunt, vocanturque Libertini, & Politici; de quibus Pat. Arsdekin part. 1. Theologæ Polemicæ, cap. 1. inquit: „Hinc fit ut nostro anno plurimi passim reperiantur, non tam hæretici, quam Libertini, qui Religionis omnis experces, & rerum creatarum idolis affixi, nullam alterius vitæ puram Religionem admittunt. Serpit haec dira contagio, non tantum inter humiles casas ignaræ plebis, sed vel maximè inter homines in speciem politos, populique duces, & ipsas Principum aulas pedetent.

, tim invadit: ubi à multis Deus vix colitur , nisi purpuratus;
,, cura omnis in Curia versatur ; multa de statu publico , nulla
,, de privata salute cogitatio. Fortuna tantum litare , vitos Prin-
,, cipes , ut Semideos colere , & ab aliis coli , plurimis summa,
,, aut unica Religio est. Hominibus sic affectis , ut sopor ille le-
,, thargicus excutiat , ante omnia necesse est , ut viva Sum-
,, mi Numinis , æternique judicij cognitione percellantur. Ha-
,, benda igitur in promptu argumenta , quibus per res creatas
,, ad agnitionem Creatoris , & per sensuum experimenta ad re-
,, rum à sensu remotarum fidem , amoremq[ue] traducantur: frus-
,, tra enim hos Catholicos reddere contendes , nisi prius veri no-
,, minis Christiani efficiantur. Quin , & experientia docet , quos
,, cumque Sectarios , immo , & Catholicos in fide lanquidio-
,, res , ex hac vivaci supremi Numinis , rerumque æternarum
,, demonstratione , ad vera Religionis investigandæ desiderium
,, firmamque in suscepta fide constantiam vehementer incitari.

Pater Becanus in Manuali lib. 5. inquit: Politici non per-
tinent ad peculiarem aliquam Sectam , sed cum quavis Religio-
ne permixti sunt ; nam & apud Catholicos , & apud Lutheranos ,
& Calvinistas reperiuntur aliqui , qui vel pluris faciunt politi-
cam , quam fidem Christi : vel certe , qui movent quæstiones
aliquomodo ad politicam pertinentes cum parva veneratione , vel
cum magna irreverentia veræ Religionis. Nescio sanè , an hu-
jus generis sint , quos vulgus vocat *Fran. Massones* , seu *Liber-
ros Muratores* , contra quos scripsierunt Summus Pontifex Be-
nedictus XIV. & antea Clemens XII. & Concilium Bauren. can.
14. , , Rex utriusque Siciliæ secretum *Sodalitatis Liberorum
Muratorum* , ejusdemque Intra ditionem suam sodales detexit.
, , Pientissimus Rex omnes *Liberos Muratores* sibi subditos istius
, , Sectæ ejurare coegit , ac jure gladij eos in casu relapsus coer-
, , cendos indixit. Adversus eosdem Catholicissimus noster Rex
Ferdinandus VI. dedit edictum tenoris sequentis.

Hallandome informado de que la invencion de los que se
llaman *Fran. Massones* , es sospechosa à la Religion , y al Es-
tado , y que como tal está prohibida por la Santa Sede debaxo
de Excomunion , y tambien por las Leyes de estos Reynos ,
que impiden las Congregaciones de muchedumbre , no constan-
do sus fines , è institutos à su Soberano : He resuelto atajar tan
graves inconvenientes con toda mi autoridad ; y en su conse-
quen-

quencia prohibo en todos mis Reynos las Congregaciones de los *Franc-Maſſones*, debaxo de la pena de mi Real indignacion, y de las demás que tuviere por conveniente imponer à los que incurrieren en esta culpa. Y mando al Consejo, que haga publicar esta prohibicion por Edicto en estos mis Reynos, encargando en su observancia al zelo de los Intendentes, Corregidores, y Justicias, aseguren à los Contraventores, dandoseme quenta de los que fueren, por medio del mismo Consejo, para que sufran las penas, que merezca el escarmiento: En inteligencia, de que he prevenido à los Capitanes Generales, à los Gobernadores de Plazas, Gefeſ Militares, é Intendentes de mis Exercitos, y Armada Naval, hagan notoria, y zelen la citada prohibicion, imponiendo à qualquiera Oficial, ó Individuo de su jurisdiccion, mezclado, ó que se mezcle en esta Congregation, la pena de privatle, y arrojarle de su empleo con ignominia. Tendrás entendido en el Consejo, y dispondrá su cumplimiento en la parte que le toca. En Aranjuèz á dos de Julio de mil setecientos y cincuenta y uno. Al Obispo Gobernador del Consejo. Idem fecit diebus istis Regina Ungariae.

Contra omnes rāmen Hæreticos octo sunt viæ eos rationabiliter convincendi inquit Subtilissim. nost. Doct. quæſt. 2. prologi, n. 3. quæ sunt media, quibus probavimus, nostram Romanam Religionem esse verām Christi Ecclesiam; nam semel probato, Ecclesiam Christi errare non posse in fide, nec alibi eam reperiri, quam apud nos Catholicos Romanos, seu Pontificios, evidenter sequitur, omnes articulos fidet, ac Religio-nis, quos Ecclesia Catholica Romana, seu Pontificia profitatur, veros esse; quos vero rejicit, falsos, & erroneos. Et denique contra omnes exclamare possumus ad Deum cum Summo Pon-tifice Leone X. qui damnando errores Lutheri, & sequantium, dicebat: *Exurge Domine, & judica causam tuam, memor esto improprietorum tuorum, eorum quæ ab insipientibus fiunt tota die: Inclina aurem tuam ad preces nostras, quoniam surrexerunt vulpes, querentes demoliri vineam, cuius tu torcular calasti solus, & ascensurus ad Patrem, ejus curam, regimen, & administrationem Petro tanquam Capiti, & tuo Vicario, ejusque Successoribus instar triumphantis Ecclesiæ commissisti. Nunc vero videamus jam aliquas ex quæſtionibas, quas prædicti Politici, seu Libertini tractare solent. Sit ergo.*

QUÆST.

QUÆSTIO PRIMA.

Utr. *QUI JURAVIT*, *SE permansurum in aliqua falsa secta*, v. g. in *Lutheranismo*, *teneatur præstare?*

IHOC tempore, inquit Pat. Becan. in Man. lib. 5. cap. 22. reperiuntur multi Lutherani in Germania, præsertim Nobiliares, Barones, Comites, Principes, qui quidem bene affecti sunt erga fidem Catholicam, in qua scilicet vixisse suos maiores; sed ideo eam non amplectuntur, quia jurejurando promiserunt se in Lutherana usque ad mortem perseveraturos. Questio est: An hoc iuramento obligati sint, ita ut salvâ conscientia non possint Lutheranisimum deserere?

Ipsi quidem sic persuasi sunt, & soleant ratiocinari hoc, vel simili modo: Plane perplexi sumus quid nobis faciendum sit. Nam ex una parte occurrant justæ rationes, quæ ad Catholicam amplectendum quodammodo nos impellunt. Prima, quod Catholicæ Religio, & nomine, & doctrina sit antiquissima. Secunda, quod omnes maiores nostri, qui ante Lutherum vivebunt in ea fuerunt nati, & edu-

cati, quos certe damnare non possumus. Tertia, quod eandem Sanctissimi viri, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Bernardus, & alij passim in suis scriptis professi sint. Quarta, quod in Catholicâ Ecclesia perseverat legitima, & nunquam interrupta Sacerdotum, & Episcoporum successio. Quinta, quod in ea maneat virtus miraculorum, quæ apud nos nulla est. Sexta, quod ab illius cultoribus eretta, & fundata sint Templâ, Monasteria, Hospitalia, Academias: quæ omnia antiquæ, & sincera pietatis monumenta sunt. Septima, quod maiores nostri, qui ista ad honorem Dei erexerunt, & dotarunt, omni honorum affluentia à Deo fuerint locupletati; nos contra, qui illa vel destruimus, vel in profanos usus convertimus, ad inopiam penitentie, & egestatem, justa Dei ultione, redigamus, eoque minus habeamus, quo rapaciores sumus. Res ipsa loquitur. Octava, quod Catholicî, quavis toto orbe longe lateque diffusi, servent constantem inter se fidei unitatem, & cum Summo Pontifice, quem communem Pastorem agnoscunt, per omnia conspirent, ac consentiant. Nona, quod opera, & studio Catholicorum Sa-

cet-

cerdotum infiniti prope Gentiles in India, Japonia, China ad Christi fidem convertantur; quod sine peculiari Dei auxilio, & favore fieri non posse certum est. Et quod illi ipsi Sacerdotes, nulla temporalis commodi spe, sed solo Christi amore impulsi, tam arduam, & periculosam rem aggrediantur cum praesenti vita distingue. Denique, quod interna quadam animi motione sic afficiamur, ut, nisi Catholici sumus, non videamur quietem, & tranquilitatem conscientiae habere posse.

3 Ex altera parte obstat juramentum, quo contestati sumus non alios, quam Lutheranos esse nos velle. Hujus juramenti fides, ac reverentia illibata servanda est: Germani sumus: vetus Germanorum laus est, fidem, & constantiam amare: perfidiam, ac perjurium detestari. Hanc landem ne culpa nostra amicamus, omnino laborandum est: & quidvis potius, quam ut perfidi, ac perjuri habeamur, expeririendum. Multa nos tenet in hac Sententia. Primo, divina authoritas. Legimus in Scriptura, Deum sc̄p̄e jumento usum esse, ut Gen. 16. 16. Deut. 8. 1. & Psal. 94. 11. & alibi: At non legimus jumenti fidem, vel semel violas-

se. Contra potius illis servandæ fuisse studiosissimum. Deuter. 7. v. 8. Dominus custodivit juramentum, quod juravit Patribus vestris. Et Ps. 109. 4. Juravit Dominus, & non paenitebit eum. Et Ps. 131. 11. Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam. Quid tutius in conscientia, quam Deum imitari, qui errare non potest?

4 Accedunt exempla eorum, qui propter perjurium a Deo puniti sunt. Sedecias Rex propter perjurium, & regno, & oculis spoliatus est, 2. Par. 36. 13. Et 4. Reg. 25. 6. Antiochus Eupator, Rex Syriae,rupto juramento, quo Judæi se obstrinxerat, ab exercitu interfectus, 1. Mach. 6. 62. & cap. 7. 4. Alcimus, ob similem noxam, subitanea morte extinctus, 1. Mach. 7. 15. & cap. 9. 55. Andronicus, quod Oniam contra jumenti fidem occidisset, purpura exitus, & per totam Civitatem circumductus, ac tandem in eodem loco, ubi Oniam occiderat, ignominiosissime interfectus est, 2. Mach. 4. 34. & 38.

5 Hæc exempla merito nos absterrent, ne perjuri simis; aut ne jumentum, quo obstricti sumus persistere in Lutherismo, impie violamus. Quod si semel ab hoc tra-

tramite deflexerimus , eandem calumniam cogemur substine-re , cui Calvinista obnoxij sunt . Vox populi apud nos est : Cal-vinistas perfidos esse : nullam pactorum , aut jurisjurandi fidem servare : nihil credi ip-sis posse . Idem nobis objec-tabitur . Et juxta multorum erit suspicio , desijssse nos esse Lutheranos ; & ad Calvinista-rum perfidiam transiisse . Quod ab sit , præsertim hoc tempore . Nam nunc quidam , si unquam alias ; maxime invidiosum , ac probrosum est , de fide non servata suspectum esse . Con-stat , quam detestabilis apud bonos viros perfidia illorum sit , qui in Bohemia , Hunga-ria , & vicinis Provincijs con-tra piissimum Imperatorem Ferdinandum , legitimum suum Regem , apertam rebellionem molliti sunt . Hic est discus-sus , si non omnium , saltem multorum Lutheranorum , in-quit Pat. Beccanus . Quid nos sentiamus , jam ex ipso , & cum ipso resolvitur .

RESOLUTIO PROPOSITÆ questionis.

6 PRO resolutione hu-jus questionis hæc premitto . Jurare , nihil aliud est , quam Deum , qui est pri-

ma , & infallibilis veritas , in testem vocare . Quod dupli-ter fieri potest . Vel enim vo-camus eum in testem , quan-do quidpiam asserimus de re præterita , aut præsenti : vel quando aliquid promittimus in futurum . Hinc duplex solet distingui juramentum : alterum assertorium , ad faciendam fi-dem nostræ assertioni ; alterum promissorium , ad firmandam promissionem . Nicasius in inst. de Actionibus , § . Idem si quis postulante , n. 2 . Navar-rus in Manuali c. 12 . n. 3 . & multi juris interpretes , titulo de jurejurando .

7 Assertorium multiplex est . Aliud judiciale , quod pu-blice coram Tribunalis : aliud ex-trajudiciale , quod extra locum judicij adhiberi solet . Rursus aliud est juramentum calum-niæ : aliud purgationis : aliud in litem : aliud introductorium novæ obligationis : aliud con-firmatorium , quo contractus minus solemnis roboratur : aliud decisorium litis . De hoc loquitur Catus L . Maximum , ff. de jurejurando , cum ait : „ Maximum remedium expe-„ diendarum litiū in usum „ venit jurisjurandi religio , qua „ vel ex pactione ipsorum li-„ tigantium , vel ex authorita-„ te Judicis deciduntur con-„ troversia . Et Apost. Heb. 6 .

16. „ Homines per majorem
„ sui jurant , & omnis con-
„ troversia eorum finis , ad
„ confirmationem , est jura-
„ mentum.

8 Promissorium , de quo solo hic agimus , latissime pa-
ter ; & ad omnia fere homi-
num , officiorum , & contrac-
tuum genera se diffundit. Ju-
rant sacratissimi Imperatores,
dum coronantur , de Imperio
justè , recteque administrando,
c. *Tibi Domino* , dist. 63. Ju-
rant in simili causa potentissi-
mi Reges , c. *intellecto* , de ju-
rejurando. Jurant Vassalli suis
Dominis fidelitatem , c. *de
forma* 22. q. 5. Jurant publici
Notarij , ex justitia , & verita-
te se acturos , c. *Ad audienciam*
de præscriptionibus. Ju-
rant Emphyteutæ in recogni-
tione possessionis. Ostiensis in
c. *Veritatis* , de jurejurando,
per c. *Longinquit*. 12. q. 2. Ju-
rant obsides de observanda
conventione , c. *Ex rescripto*,
de jurejurando. Jurant fidei-
jussores de idemnitate credi-
torum , ibidem. Denique in
similibus occasionibus jurant
Pontifices , Cardinales , Episco-
pi , Abbates , Canonici : &
nullum fere publicum offi-
cium , aut beneficium suscipi-
tur ; nullus contractus celebra-
tur ; nulla pactio inter Princi-
pes agitur , ubi promissorium

juramentum non intervenit,
Tit. de *Jurejurando* , de *Elec-*
tione , de *Mayoritate* , & *Obe-*
dientia , & alibi.

9 Ex quo aestimari potest
quanta beat esse religio , &
authoritas hujus juramenti.
Quæ si semel convellatur , nihil
erit stabile , nihil securum , aut
certum in quotidianis homi-
num contractibus , pactioni-
bus , officijs , electionibus. Om-
nia erunt plena fraudibus , sus-
picionibus , dissidentijs , & quæ
hinc nasci solent , odijs , cons-
pirationibus , rebellionibus , se-
ditionibus Regnum , ac re-
rum publicarum eversionibus.
Nullus Rex poterit esse secu-
rus de fidelitate subditorum ;
nullus Imperator de fidelitate
sociorum compromissione.

10 Atque ex hac parte , ut
rectè dictum est , semper Ger-
manorum fides , & constantia
laudem meruit. De qua Ta-
cit. lib. 13. Hist. Nulli , in-
quit , mortalium armis , aut
fide ante Germanos sunt. Un-
de etiam Augustus Cæsar , &
alij post illum Romanorum
Imperatores suorum corporum
custodiam Germanis commi-
serunt , utpote qui fide , &
fortitudine reliquis nationibus
antecellerent. Quod etiam fa-
ciunt plerique in Europa Re-
ges , ac Principes . Norune

Germania populos fidei, ac juramenti esse servantissimos: non fallere quempiam, non insidiari, non prodere: vitam, & fortunas secure comitti illis posse. Et memini, audisse me, qui dicherent, si fides juramenti, si dictorum, pactorumque constantia toto orbe pellentur, in una Germania tutum exilium inventuram.

11. Hæc tamen, quæ dico, non eo spectant, quasi omne juramentum promissorium, qualecumque tandem illud sit, in omni evento servari debeat. Tunc servandum est, quando nec honestati adversatur, nec legibus, aut canonibus contrarium est, nec bono publico perniciosum: si secus, servari non debet. Non igitur servandum est in his tribus casibus.

12. Primo; quando est de re turpi, & illicita, ut si ju- res te commissurum furtum, adulterium, homicidium; aut neglecta fidelitate erga legitimum Principem rebellibus adhæsurum. Unde Justinianus Imperator, L. Imperialis. De nuptijs: *Legibus*, inquit, *expressum est, illicita rei ius-jurandum servari non oportere.* Eodem sensu reperiuntur hæc in jure Canonico. 1. *Tolerabilius est juramentum non implere, quam turpiter facere.*

2. *Juramenta illicita laudabiliter solvuntur; damnabili-ter observantur.* 3. *Juramen-tum non est vinulum iniqui-tatis. Tolerabilius est non im-plere Sacramentum, quam per-manere in strupi fagitio.* Apud Gratianum 22. q. 4. per varia Capitula.

13. Quod etiam multis exemplis in utroque jure con-firmatur. Primo, exemplo Herodis, qui peccavit servando illicitum juramentum. c. est etiam, ibidem. Secundo, exemplo Davidis, qui lauda-etur, quod non servaverit ju-mentum, quo promiserat se interfecturum Nabal, c. si ali-quid, ibidem. Tertio, exem-
plo mulieris adulteræ, quæ ju-raverat se adultero adhæsuram; & quia non fecit, non cen-setur violasse juramentum, sed prudenter omisisse. c. Mulier, ibid. Quarto, exemplo coju-dam Hubaldi, qui juraverat se concubinam suam velle du-cere in uxorem; & propriam matrem cum fratribus e domo expellere, nec ullam eis alii-moniam præstare. Cui soasum fuit, ut posteriorem partem juramenti, ut pote illicitam, non servaret. c. inter cetera, ibid. Quinto, exemplo malie-rum scenicarum, quæ jura-mento promiserant se permane-suras in suo peccato, & libi-di-

dinis infamia. Quibus responsum est ab Imperatore , tali juramento , ac promissione eas non obligari. L. citat. c. de nuptijs. Et recte. Nemo enim obligatur ad peccatum.

14 Secundò , non est servandum juramentum , quod legibus , aut Canonibus contrarium est , quod etiam ex utroque jure probari potest. Primo. ex civili , L. Si quis inquilinos , ff. de Legatis fidei-commissis , §. finali : *Divi Severus, & Antoninus rescriperant, jusjurandum contra vim legum, & authoritatem juris in testamento scriptum nullius esse momenti.* Deinde ex Canonico , c. Si diligenti , de foro competenti: *Nec juramentum licite servari poterit, quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur.* Et ratio est ; quia major est obligatio publicæ legis, quam privati juramenti: ergo si juramentum privatum repugnat legi publicæ, haic tanquam fortiori insendum est. Hoc sensu dicit Innocent. c. jam citato : *Pactione privatorum juri publico minime derogatur.* Et Papinianus L. *Jus publicum, ff. de pactis, Jus publicum privatorum pactis mutari non potest.* Et regula juris est : *Privatorum conventionio juri publico non deroga.*

gat. L. neque pignus , ff. de diversis regulis juris.

15 Hic invalidum est juramentum Clericorum, quo renuntiant privilegium fori, promittentes se comparituros coram Judice seculari. Hoc enim iure canonico illis vetitum est. c. Si diligenti , ubi Pontifex ait: *Cum in Concilijs sit specialiter promulgatum, ne Clerici Clericos, relicto suo Pontifice, ad judicia publica pertrahant; manifeste patet, quod pacisci non possunt, ut secularia judicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renunciari valeat, sed potius toti collegio Ecclesiastico publice sit indulatum, cui privatem pactionem derogare non potest.* Similiter invalidum est juramentum Prælatorum , qui, quando eliguntur à Capitulo, jurant se servatos statuta , & consuetudines illius loci, etiam si constet esse contra Canones, & libertatem Ecclesiasticam. c. Contingit de jurejur. in 6. Quod sic intelligi, ex ea parte invalidum esse, quia extendit se ad statuta , vel consuetudines, quæ repugnant canonibus , aut libertati Ecclesiastice : non autem ex ea parte, quæ se extendit ad ea, quæ non repugnant, ut disserte explicatur. c. citat.

16 Tertio, nec servandum

est juramentum, quod bono publico noxiū est, ut ijsdem, & similibus exemplis demonstrari potest. Ut si Clericus juret, se renuntiare privilegio Clericali, quod toti Clero concessum est. Vel si Prælatus juret, se servaturum statuta, & consuetudines, libertati Ecclesiasticae repugnantes. Vel si subditi jurent, se adhæsuros rebellibus contra suum Principem. Vel si civis juramento paciscatur cum extraneis, se singulis mensibus, etiam si civitas fame præmeretur, exportaturum frumenta ad mercatum. Hæc enim, & similia juramenta communitati perniciosa sunt. Et ex hoc capite invalidum est juramentum, quo vir promittit uxori, nunquam se illam accusaturum de ullo criminē: quia fieri potest, ut propter bonum publicum, in aliquo casu teneatur eam accusare, c. *Quemadmodum, §. Illud autem, de jurejuran-*

do.

17 Ex dictis (ut veniam ad quæstionem initio proposītam) sic concludo: Juramentum de re illicita, nec obligat, nec servandum est: ac proinde qui illud non servat, non est perjurus; sed recte, ac laudabiliter facit. At juramentum, quo quis promittit se permansurum in falsa fide,

ac religione, est de re illicita, non minus, quam si promittat se permansurum in mendacio, in adulterio, in usura: ergo nec obligat, nec servandum est; ac proinde qui illud non servat, non est perjurus, sed recte, ac laudabiliter facit. Major propositio ex utroque jure probata est. Minor non eget probationem. Sed ulterius subsumendum est: Lutherana fides, & religio, ut supponunt Lutherani, qui ad Catholicam propendent, est falsa: g. qui jurat se mansurum in Lutherana, reī illicitam jurat. Non ergo obligatur juramento. Neque perfidus, aut perjurus est; si juramentum non servet, sed recte, ac laudabiliter facit.

DILUUNTUR ARGUMENTA Contraria.

18 **A**rgumenta in contrarium allata recte quidem probant, magnam debere esse juramenti religionem, & autoritatem, quod non negamus; sed juramenti, quod honestum, ac licitum est, quod legibus non repugnat, quod reipublicæ non est perniciosum. Qua adhibita moderatione, bene omnia coherent. Nam primo verum est, Deum sèpè jurasse, nunquam jura-

mentum rescidisse. Nulla fuit rescindendi causa. Nam quidquid juravit, fuit honestum, ac licitum, legi consentaneum, humano generi salutare. In hoc par est, nos Deum imitari.

19. *S. cundo*, verum quoque est, Sedeciam, Antiochum, Alcimum, Andronicum à Deo punitos esse, quod juramentum violarint. Cum enim rem licitam jurassent, meritò obligati erant ad præstandum. Non præstiterunt: perjuri facti sunt, puniti sunt. Nihil mirum. Eos non imitemur.

20. *Tertio*, propterea Calvinista accusantur, quod nullius juramenti, ne quidem liciti, ac honesti, rationem habent; sed sequantur illud tritum, ac infame axioma: *Jura, perjura: secretum prodere noli.* Qued certè non probbo. Nam sic quidem, ut antea insinuavi, necesse est tolli omnem fidem, ac confidentiam, quæ in quotidianis contractibus, passionibus, & publicis comitijs plane necessaria est. Qua semel sublata (ut jam magna parte sublata est) non video, quid alind expectari possit, quam dissidentia inter Principes, odia, factiones, intestina bella, regnorum ruinae, ac interitus. Deus avertat. Amen.

QUÆST. II.

AN SIT LICITUM HABERE CONTRACTUS CUM HÆRETICIS?

1. **L** Oquimur de pacto lictito, & honesto, sive in rebus politicis, sive in negotio religionis. Est ergo quaestio, an possit Catholicus pacisci cum hæreticis, sicut potest pacisci cum Catholicis. Resp. primo generatim; cum hæreticis non facile ineundi sunt contractus, conventiones, foedera, pacts, sive publica, sive privata, propter tres potissimum causas. 1. Propter periculum subversionis. 2. Propter scandalum. 3. Propter ipsorum improbitatem, & perfidiam. Ita Pat. Becanus.

2. **D**e periculo subversonis intelligi potest illud 2. Tim. 2. 17. *Sermo eorum, ut cancer serpit.* Quasi dicat: sermo hæretorum est instar morbi contagiosi, qui alias inficit. Sicut ergo nemo prudens facile agit cum homine habente morbum contagiosum, ne veniat in periculum morbi corporalis: ita nemo debet agere cum hæretico, ne inficiatur morbo spirituali. Vide Cypriani lib. I. Ep. 3. ad Cornel. Et Leo-

Leonem serm. 5. de Jejunio decimi mensis. Ob hanc causam Deus in veteri testamento prohibuit Iudeis foedera, societates, & amicitias cum gentilibus; ne, scilicet, ex eorum consortio deficerent à vera fide ad idolatriam. Exod. 34. v. 12. „Cave, ne uaguam cum „habitatoribus terræ illius „jungas amicitias, quæ sint „tibi in ruinam. Et v. 15. Ne „ineas pactum cum homini- „bus illarum regionum, &c. Et Deut. 7. 3. „Non iacobis „cum eis foedus, neque so- „ciabis cum eis conjugia, fi- „liam tuam non dabis filio „ejus, nec filiam illius acci- „pies filio tuo, quia seducet „filium tuum, ne sequatur „me, & ut in eis serviat Dijs „alienis. Porro, quaatum sit hic periculum, & quam nocens contagio, testantur non solum antiqui Iudei, qui olim plurimi à gentilibus perversi sunt, (inter quos Sapientissimus Salomon) sed etiam hujus temporis Christiani, qui non pauci in Germania, & vicinis provinceis ex conversatione cum Lutheranis, & Calvinistis à Catholicis defecerunt.

3 De scandalo res sequē nota est. Constat multos studiosores, ac simpliciores scandalum pati, & in errorem induci,

quando vident suos Principes, aut alios viros nobiles, potentes, eruditos cum hæreticis libere conversari, pacifici, matrimonia inire, baptisum celebrare, & similia agere. Potant enim eos hac sua familiari conversatione doctrinam, & religionem hæreticorum approbare; ac proinde se quoque peccare non posse, si illorum exemplum imitentur. Unde paulatim fit, ut aperre incipient hæresim pro vera doctrina amplecti; nec alio argumento tueri se possint, quam quod prætendant tales viros non posse errare; seque bona conscientia illorum vestigijs insistere. Hac re nihil notius in Belgio, Bolonia, Austria, & alijs Regnis, ac Provincijs. Atque utinam habent multos Eleazaros similes, qui mori maluit, quam scandalem dare. Praeclara illa vox illius: „Non enim ætati nos- „træ dignum est flagere, ut „multi adolescentium, arbitri- „trantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vi- „tam alienigenarum, & ipsi „propter meam simulationem, „& propter modicum corrup- „tibilis virtus tempus decipian- „tur. 2. Machab. 6. v. 24.

4 De perfidia hæreticorum nemo dubitat, qui illos novit. Nec Deo, nec hominibus ser- vant

Want fidem. Non facile igitur cum illis paciscendum. Primum partem probo exemplo Lutheri, qui omnium hæreticorum hujos temporis Patriarcha est. Is triplici titulo fuit perfidus. Primo, quia fidem Catholicam, quam in baptismo suscepserat, & multis annis professus erat, tandem abjecit, quæ summa perfidia est. In qua imitatus est Hymenæum, & Alexandrum, de quibus Apostolus 1. Timoth. 1. 19. Circa fidem naufragaverunt, quos tradidi Satanae. Secundo, quia cum esset Monachus, solemnni ritu promisit Deo perpetuam castitatem. Non servavit; Monialem simili voto adstrictam sacrilego conjugio sibi adjunxit; similim mulierculis, de quibus idem Apostolus 2. Tim. 5. 11. *Cam luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Tertio, cum similiter solemnni ritu in Academia Catholica Doctor Theologiae promoveretur, promisit, interposito juramento, se defensurum eam doctrinam, quæ tunc usu erat recepta. Nec hoc præstidit. Quæ tertia fuit perfidia. Lutherum secuti sunt Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ. Omnes, si non triplici, ut Lutherus, certe vel

uno, vel duplice titulo perfidi facti sunt.

5 Posterior sequitur ex priori. Nam si hæretici tam improbi sunt, ut pro nihilo ducant, fidem Deo promissam violare, quomodo nobis promissam servaturi sunt? Aut quis tuto poterit pacisci cum ijs, qui etiam Deo illadunt? Simili argumento usus est Christus, Joann. 15. 20. cum ait: *Non est servus major Domino suo. Si me persecuti sunt, & vos per sequentur.* Poterat addere: *Si mihi fidem non servaverunt, nec vobis servabunt.* Sed quid opus est argumentis? Res ipsa loquitur. Exstant exempla perfidiae hæreticorum, & vetera, & nova. Vetera taceo. Nova omnibus nota sunt.

6 Atque hæc generatim dicta sint. Speciatim hoc addo, Calvinistas in hac re deteriores esse, quam Lutheranos. Nam Calvinistæ nullam servant fidem. Illorum axioma est: *Fama, perjura, secretum prodere noli.* Quod acceperunt à Priscillianistis, qui olim eodem usi sunt, ut refert August. lib.

de Hæresib. c. 70.

*** *** ***

bonis quod clavis in libro bono omni-

QUÆST. III.

*AN SI PACISCARIS CUM
hæreticis, fides servan-
da sit?*

1 **T**AMEN cum hæreticis non facile paciscendum sit, ut jam ostendi, nihilominus tamen, si cum illis pacatus es, aut foedus iniisti (si quidem nihil aliud obstat, quam hæresis) debes integrè, & sincere servare illis fidem, non minus, quam Catholicis. Ratio est; quia obligatio pacti, seu mutua promissionis oritur ex triplici virtute, nempè, veritatis, fidelitatis, & justitiae. Et quidem virtus veritatis ad hoc obligat, ut sincere, non feste promittas, idest, ut quod verbo promittis, etiam animo promittas, ne mendax sis. Virtus fidelitatis ad hoc obligat, ut opere præstes, quod promissum est, ne perfidus sis. Virtus justitiae ad hoc obligat, ut alteri cum quo pactus es tribuas jus tuum, quod illi debetur ratione pacti, seu mutua promissionis, ne injostus, aut injuriosus sis. At haec virtutes aequa te obligant, sive apud Catholicos, sive apud hæreticos verseris: nusquam enim licet mentiri, nusquam perfidum esse, nusquam jus alterius

violare, seu injuriam facere. Et sane, si semel concederes, hæc ideo licite fieri, quia hæretico mentiris, hæretico perfidus es, hæretico injuriam facis, quidam consequenter concedas, licere tibi hæreticum occidere, furto res ejus auferre, odio eum prosequi? Quæ omnia absurdâ sunt, & divinæ legi repugnantia.

2 Idem confirmatur ex Scripturis hoc modo. Quando fideles paciscuntur cum gentilibus, & idolatria, debent illis servare fidem in rebus licitis, & honestis: g. etiam quando paciscuntur cum hæreticis. Hi enim in hac quidem re non sunt deterioris conditionis, quam illi. Antecedens probatur exemplo Josue, & aliorum Principum populi Israelitici, qui cum pactum, & amicitiam iniissent cum Gabaonitis, qui erant infideles, & idolatra, tametsi ab illis decepti essent, tamen ita religiose, & sincere fidem ipsis promissam servarunt, ut non solum vitam, de qua pacti erant, illis darent, sed etiam contra vicinos hostes bello tuerentur. Josue 9. v. 15.

3 Quod autem rectè, & laudabiliter id fecerint, immo facere debuerint, tribus argumentis confirmari potest. Primo, auctoritate ipsius Josue,

& aliorum Principum. Cum enim plerique ē populo putarent, Gabaonitas jure occidi posse, nec fidem illis servandam esse, eo quod dolo pacatum extorssissent, opposuerunt se Principes, & dixerunt: „Ju-
„, ravimus eis in nomine Dei
„, Israel, & idcirco non possiu-
„, mus eos contingere. Jof. 9.
v. 19.

4 Deinde miraculo res comprobata est. Nam Gabaonites cum propter fœdus cum Israelitis initum, à vicinis Regibus bello infestarentur, jure fœderis petebant subsidium à Jofue. Nec mora. Jofue memor pacti, & societatis, cum armatis viris profectus est, ut arceret hostem, & Gabaonitas defenderet. Fit prælium. Deus, ut ostenderet gratiam sibi esse pectorum fidem, non modo victoriam concessit Israëlitis, sed etiam novo miraculo cohibuit Solem, ne occumberet, ut tanto plus temporis esset ad hostem interimendum. Sic enim legimus Jofue 9. 13.. Stetit Sol in me-
„, dio cœli, & non festinavit
„, occupare spatio unius diei,
„, obidente Deo voci homi-
„, nis, & pugnante pro Israël.
5 Tertio, sicut Deus con-
cessit Jofue hanc victoriam
propter fidem servatam, ita
propter eandem violatam gra-

vissime punivit Saulem Regem, & universum populum. Res sic accidit: Gabaonites pacti erant cum Jofue, & populo de vita, ut dictum est. Post annos trecentos, & amplius Saül Rex, non obstante hoc pacto, multos eorum interfecit. Nec impune. Audiamus Scripturam 2. Reg. 21. v. 1.. Facta est „, quoque famæ in diebus Da- „, vid tribus annis jugiter, & „, consuluit David oraculum „, Domini. Dixitque Dominus „, propter Saül, & domum ejus „, sanguinum, quia occidit Gá- „, baonitas. Nec cessavit haec plaga, donec septem viri, qui supererant de familia Saulis, cruci affigerentur. Sic enim pergit Scriptura: „, Dicit er- „, go David ad Gabaonitas, „, quid faciam vobis? Et quod „, erit vestri piaculum, ut be- „, nedicatis hæreditati Domi- „, ni? Dixeruntque ei Gaba- „, onites, non est nobis super „, auro, & argento quæstio, „, sed contra Saül, & contra „, domum ejus: neque volu- „, mus, ut interficiatur homo „, de Israël. Ad quos Rex ait: „, quid ergo vultis, ut faciam „, vobis? qui dixerunt Regi: „, virtus, qui attrivit nos, & „, opprescit inique, ita delere „, debeamus, ut nè unus qui „, dem residuus sit de stirpe „, ejus in cunctis finibus Israël.

„ Dentur nobis septem viri
 „ de filijs ejus , ut crucifiga-
 „ mus eos Domino in Gabaa
 „ Saul , quondam electi Do-
 „ mini. Et ait Rex : ego dabo.
 „ Et dedit eos in manus Ga-
 „ baonitarum , qui crucifixe-
 „ runt eos in monte coram
 „ Domino. Et repropiciatus
 „ est Deus terræ post hæc. Vi-
 „ des , quam graviter punitus
 „ sit Saul in suis posteris , eo quod
 „ fidem à majoribus suis datam
 „ violasset.

6 Nec desunt similia exem-
 „ pia. Sedecias Rex fœdus per-
 „ cussérat cùm Nabuchodonosor
 „ Rege Babylonis. Visum fuit
 „ ab eo resilire , & contra da-
 „ tain fidem agere ; tum quod
 „ Nabuchodonosor esset gentilis,
 „ & idolatra ; tum quod multis
 „ annis populum Judæorum af-
 „ fixisset. Quid factum ? Prop-
 „ ter hanc perfidiam non modo
 „ Regni , & ocolorum amissione,
 „ sed etiam miseranda suorum
 „ clade , & urbis vastatione pu-
 „ nitus est , 2. Paralip. 36.

7 Simeon , & Levi filij
 „ Jacob cum Sichemitis pacti
 „ erant de contrahendis ultro
 „ citroque matrimonijs , hac
 „ conditione , ut Sichemitæ om-
 „ nes circunciderentur. Factum
 „ est. Omnes circuncisi sunt. Quid
 „ vero illi ? Contra pacta con-
 „ venta circumcisos occiderunt.
 „ Quo prætextu ? quod stuprum

à Sichemitis patratum ulcisci
 „ vellent, Gen. 34. sed quia per-
 „ fidia intercessit , meritò à Pa-
 „ rente audierunt : „ Simeon , &
 „ Levi fratres , vasa iniquita-
 „ tis bellantia. In consilium
 „ eorum non veniat anima
 „ mea , & in cœtu illorum
 „ non sit gloria mea , quia in
 „ furore suo occiderunt virum,
 „ & in voluntate sua suffode-
 „ runt murum. Maledictus fu-
 „ tor eorum. Genes. 49. v. 5.
 „ 8 Hæc ex Sacris Historijs
 „ petita. Ex profanis hoc acci-
 „ pe. Vladislaus Poloniæ , & Un-
 „ gariæ Rex , magnis contra
 „ Turcarum Imperatorem Amu-
 „ ratem potitus victorijs , cum
 „ e bello in patriam rediret , in-
 „ ductias cum hoste pactus est,
 „ & juramento confirmavit. Non
 „ multo post , cum iterum ad
 „ bellum redintegrandum solli-
 „ citaretur à nonnullis Princi-
 „ pibus Christianis , cœpit per-
 „ perplexus esse , quid potissimum
 „ faceret. Hinc incitabat illum
 „ gloria recentis victoriae , &
 „ multorum cohortatio : illinc
 „ avocabant induciae cum hoste
 „ pactæ. Vicit tandem altera
 „ pars. Igitur contra datam fi-
 „ dem bello Amuratem invadit.
 „ Utrinque pugnatum acriter.
 „ In progressu cum premi se , &
 „ constringi videret Amurates ,
 „ multis suorum amissis , mag-
 „ no clamore in hanc vocem
 „ eru-

erupit : „ Christe , si Deus es ,
 „ ut Christiani tui de te per-
 „ hibent , vindica perfidiam
 „ tuorum , qui contra pacta
 „ jurata bello me invadunt .
 Mira res ! Alea belli mox mu-
 tata . Uladislaus in medios
 Turcarum impetum faciens
 equo excutitur , & capite trun-
 catus , perfidiae pœnas dedit .
 Refert Gregorius Schedius in
 suis Tarnovianam Disputatio-
 nem Notis , & alij complures .

9 Ex his concludo ; si gen-
 tilibus , idolatriis , & Turcis
 fides servanda est , etiam hære-
 tici jure communi servandam
 esse . Immo omnibus , tam bo-
 nus , quam malis , tam fidelib-
 us , quam infidelibus , tam
 amicis , quam inimicis . Qua-
 re ? Quia ad eam servandam
 obligamus ex virtute veritatis ,
 fidelitatis , & justitiae . Hæc au-
 tem obligatio non tollitur ex
 eo præcise , quod illi , quibus
 fidem promisimus , sint mali ,
 hæretici , inimici . Immo Chris-
 tus expresse mandat , ut etiam
 inimicos diligamus , Matth . 5 .
 44 . „ Diligite inimicos ves-
 „ tres , ut sitis filii Patri vesi-
 „ tri , qui in cœlis est , qui fa-
 „ cit Solem suum oriri super
 „ bonos , & malos . Sane , si
 charitas obligat nos etiam res-
 pectu inimicorum , cur non
 similiter veritas , fidelitas , &
 justitia ?

10 Excipio tamen tres ca-
 sus (quos omnes boni Autho-
 res excipiunt) in quibus fides
 servanda non est . Primus est ;
 si promissio , vel pactum sit de
 re turpi , aut illicita ; ut si pa-
 ciscaris cura aliquo de commi-
 tendo furto , homicidio , adul-
 terio , mendacio , usura . Ra-
 tio est ; quia hujusmodi pac-
 tum non obligat , cum nemo
 possit obligari ad peccatum .
 Quo spectat illud vulgare : *In*
malis promissis rescinde fidem .
 Vide alibi .

11 Secundus est ; si pa-
 catum vi , aut metu cadente in
 constantem virum , injuste ex-
 tortum sit . Tunc enim potest
 rescindi pro arbitrio ejus , qui
 injuste vim , aut metum passus
 est . Hinc in jure Canonico ,
 cap . De his , quæ vi , sic de-
 cernitur : „ Unde , quia quæ
 „ metu , aut vi fiunt , debent
 „ jure in irritum revocari ,
 „ mandamus , quatenus præ-
 „ dicto N . cum integritate res-
 „ tituas omnia . Et ibid . c . 4 .
 „ Quæ vi , metus ve causa
 „ fiunt , carere debent robore
 „ firmitatis . Et in jure Civ . c .
 de his , quæ vi , L . ult . „ Ven-
 „ ditiones , donationes , tran-
 „ sactiones , quæ per poten-
 „ tiā extortæ sunt , præcipi-
 „ mus infirmari . Et ratio est ,
 quia qui metum , aut vim in-
 juste iucussit , injuriam alteri

intulit: ergo tenetur illum in priorem statum restituere, & alter jus habet exigendi hanc restitutionem.

12 Tertius est; si is cum quo pactus es, non servat tibi fidem. Tunc enim nec illi teneris servare, respectu ejusdem pacti; v. g. Pactus es in ducas cum hoste ad sexenium. Ille, neglecta induciarum fide, molitur tibi bellum sexennio nondum elapsi: potes vici sim bello illum aggredi. Ratio est; quia pactum non obligat, nisi ex mutuo pacientium consensu: Si ergo alterum pacientium non amplius consentit, certum est, alterum non obligari. Quo spectat illud vulgare: „Frangenti fidem, fides frangatur eidem. Et regula juris in 6. „Frustra quis fidem postulat sibi servari ab eo, cui fidem a se praestitam servare recusat. Hæc omnia acommodari possunt ad casus particulares, qui quotidie occurunt. Objectiones adversiorum cum suis solutionibus, possunt videri apud Pat. Bec. lib. 5. c. 15. &

apud nostrum Matthæuc.



QUÆST. IV.

AN PRINCEPS CATHOLICUS possit tolerare hæreticos in sua Provincia?

1 **H**ÆC duo distinguenda sunt. 1. An Princeps Catholicus possit concedere suis subditis, ut fiant hæretici, vel inducere hæresim, vel introductam fovere, confirmare, approbare, vel quocumque alio modo in ea consentire, aut positivè cooperari? 2. An possit eam permettere, seu tolerare? Prius nul lomodo licitum est, quia hæresis est peccatum, & quidem majus peccatum, quam fur tum, homicidium, adulterium: At Princeps nullo modo potest concedere suis subditis, ut committant furta, homicidia, adulteria, neque potest introducere hujusmodi peccata, neque introducta fovere, confirmare, approbare, nec alio quocumque modo in ea consentire, aut positive coope rari: g. idem de hæresi dicendum est. Nemo dubitat.

2 De posteriori quæstio est, quam hoc loco disputamus, an scilicet Princeps Catholicus possit in sua Provin cia, ubi Catholici, & hæretici permixti sunt (ut in Austria)

tolerare , seu permittere hæresim , an vero teneatur eam impeditre , & vi extirpare ? Similis quæstio est , an possit tolerare , seu permettere usuras , meretrices , adulteria , blasphemias ? Et quidem , quod ad hæresim attinet , aliqui putant (magis ex zelo , quam ex scientia) Principem in nullo casu posse permettere hæresim in sua Provincia ; immo potius debere vitam , fortunas , & principatum amittere , quam hæreticos tolerare . Primo , quia nullomodo licitum est favere hæreticis , & qui favent incurront Excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini : At tolerare , seu permettere hæresim in sua Provincia , est favere hæreticis : Ergo nullomodo licitum est . Secundo , non sunt facienda mala , ut eveniant bona , teste Apostl . Rom . 3 . v . 8 . At hæresis mala est : g . non licet eam tolerare , etiam si aliquid bonum inde eventurum sit . Tertio , quia Reges Hebræorum , qui oīm in suo Regno permittabant idolatriam , gravissime a Deo reprehendebantur , ut Roboam , Joram , & alij plures : g . signum evidens est , hujusmodi permissionem , seu tolerantiam Deo ingratam esse . Alij rectius sentiunt Principem in quibusdam casibus posse permettere hæresim , in quibusdam

non posse . Verumque per sequentes Conclusiones explicandum est .
 3 Conclusio 1 . Permissio peccati (ut hæresis , furti , homicidij , adulterij , & similiū) duplex est . Una , qua quis permittit fieri peccatum , & non impedit . Sic Deus permittit fieri omnia peccata , quæ sunt in hoc mundo , & non impedit . Si enim impediret , non fierent . Altera , qua quis permittit non solum fieri peccatum , sed etiam impune fieri ; ut si neque impediatur , ne fiat ; neque etiam puniat , quando factum est . Sic Princeps , & Magistratus solent permettere usuras , & meretricia : quia neque impediunt , ne fiant , neque puniunt , quando facta sunt . Nos hic potissimum agimus de priori permissione , quæ aliquando conjuncta est cum posteriori , ut in hominibus : aliquando separata , ut in Deo . Nam Deus permittit quidem fieri peccata , non tamen permittit impune fieri . Homines utroque modo sèpè permittunt .

4 Conclusio 2 . Permissio peccati , priori modo sumpta , ex natura sua neque bona , neque mala est , sed indifferens , & ratione circumstantiarum potest bene , vel male fieri . Nam Deus benè permittit peccata , quia

quia si male permitteret, esset culpabilis: quod absit. At homines aliquando bene, aliquando male permittunt, ratione bonæ, vel malæ circumstantiæ, ut in progressu videbimus. Hinc sequitur; permissionem peccati differret ab ipso peccato: nam peccatum ex se malum est, neque unquam beneficii potest. At permisso peccati ex se indifferens est, & potest bene, vel male fieri. Unde Deus tametsi possit permettere peccatum, sicut te ipsa permittit, non tamen potest peccare. Et similiter homines, tametsi aliquando licite permittant peccatum, nunquam tamen licite peccant. Vide Cajet. in 2.2. q.10. art.11.

5 Conclusio 3. Permissio peccati in tribus casibus potest bene, ac licite fieri. Primo, quando fit majoris boni obtinendi causa. Secundo, quando fit majoris mali evitandi causa. Tertio, quando is, qui permittit peccatum, ideo permittit, quia non potest impedire. Duos priores modos expressè trad. D. Thomas in 2.2. q.10. art.11.

6 Et quidem Deus permittit peccatum primo modo, non autem secundò, aut tertio. Non enim ideo permittit, ut ex permissione minoris mali evitetur majus malum, quod

aliter evitari non possint; quia nullum malum est, quantumvis magnum, quod sine permissione minoris mali evitare non possit Deus, si velit; nec ideo permittit, quia impedi- re nequeat; potest impedire, quando vult. Cur ergo per- mittit, & non impedit? Res- pond. idèò permittit, ut ma- jus bonum inde eliciat. Sic permisit peccatum filiorum Jacob contra fratrem suum Joseph, ut ipse dixit Gen. 50. 20. „Vos cogitastis de me „malum, sed Deus vertit „illud in bonum, ut exaltaret „me, & salvos faceret multos „populos. Idem de alijs pec- catis dicendum est. Unde Aug. in Encherid. cap. 27. „Melius „enim judicavit de malis be- „nè facere, quam mala nulla „esse permittere.

7 At homines non solum primo, sed etiam secundò, & tertio modo possunt licite per- mittere peccatum. Et quidem primo modo Ecclesia permit- tit Ritus Judæorum, qui nunc mali sunt, quia ex eorum per- missione majus bonum potest evenire; nam illi ritus, ut cir- cumcisio, & Agnus Paschalis, fuerunt in veteri testamento à Deo instituti, ut essent umbræ, seu figuræ baptismi, & Eucha- ristia: & hoc modo confirmant Judæi nostram Religionem, quod

quod est magnum' bonum. Sed videatur circa hoc Subtil. nos-
ter Doct. in 4. d.4. q.9. n. 2.
ubi ait: *Minus malum esse
eis (Judæis) non posse impun-
ne legem suam illicitam ser-
vare, quam posse tam libere ser-
vare.*

8 Secundo modo aliqui Reges permittunt lupanaria,
& usuras , tanquam minus malum , ad evitandum majus malum , juxta illud commu-
ne theologorum axioma : Ex duobus malis , si utrumque vitari non potest , minus eli-
gendum est. Et hoc ipsum natura dictat ; nam qui timet ut capiti vulnus infligatur , solet ex instinctu naturæ brachium objicere ; quia hoc minus ma-
lum est. Tertiò modo permit-
tunt Reges , & Prælati quadam peccata Subditorum , quia non possunt , etiam si velint , ea impedire. Hoc factum fuit in primitiva Ecclesia , quando multi erant Judæi , & Gentiles , & pauci Christiani ; hi enim cogebantur tolerare eo-
rum ritus , & sacrificia , quia non erat modus impediendi.

9 Ex dictis concludimus , Principem Catholicum in tri-
bus casibus posse permettere hæresim in suo Regno : Primò , quando non potest impedire. Secundò , quando ex permis-
sione speratur majus bonum.

Tertiò , quando ex permissio-
ne vitatur majus malum , quod aliter vitari non potest : ut si in aliquo Regno sint multo plures , & per tentiores hæretici , quām Catholici : & si Rex videt , Catholicos , qui vivunt inter hæreticos , ex pia quā-
dam emulatione fieri quotidiē ferventiores in sua vita , ac religione , & magis , ac magis ad doctrinam fidei nostræ explicandam , & propugnari excitarent ; & advertit etiam , ipsos hæreticos ex illo Catholicorum fervore paulatim accendi , & Catholicis ag-
gregari ; & quod hæc bona non evenirent , si nollet eos permittere. Sic potest intelligi illud Pauli 1. Cor. 11. 19. Opo-
net hæreses esse , ut & qui probati sunt , manifesti fiant in vobis . Quem locum pulchre explicat S. Aug. lib. de Vera Relig. cap. 8. cum ait:
Sunt enim innumerabiles in Ecclesia Sancta Dei probati viri , sed manifesti non fiunt inter nos , quandiu imperitia nostraræ tenebris delectati , dormire malumus , quam lucem veritatis intueri. Quia propter multi ; ut diem Dei videant , & gaudeant , per hæreticos de somno excitantur. Ut amur igitur etiam hæreticis , non ut corum approbemus errores ; sed ut Catholicam disciplinam ad-

adversus eorum insidias afferentes, vigilantiores, & cautiores simus, etiam si eos ad salutem revocare non possumus. Et etiam quando si Rex Catholicus tentaret impedire, vel coercere hæreticos in suo Regno, ipsi cum vicinis populis, ac Principibus hæreticis conspiraturi essent, & impetu facto Catholicos oppresuri; tunc enim consultius fore permittere quam cum tanto dispendio illos irritare. Extra hos casus non potest Rex Catholicus permettere, seu tolerare hæreticos in suo Regno. Itaque peccant gravissime, qui ex mera negligencia permittunt; vel qui speculi temporalis eos tolerant, ut fieri solet in quibusdam magnis Emporijs, ubi hæretici, & Turcæ, & Mauri tolerantur ratione mercaturæ; vel qui propter favorem, cognationem, affinitatem, aut similem respectum humanam, non volunt eos impedire, nec offendere: quod vitium satis difusum est. Ita Pat. Becan. Et hoc probant argumenta in principio posita.

(¶)(

*** *** ***

bod minnechingarn storkopponi
domici QUÆST. V.
AN REX CATHOLICUS
possit hæreticos propter solam hæresim poena capitinis punire?

1. **A**ffirmant Calvinisti: negant Lutherani. Nos distinguimus; duo enim spectari possunt in hæresi: Primò, quod sit peccatum, quod est commune cum alijs peccatis. Secundò, quod perturbet pacem, & tranquillitatem Reipublicæ: hoc non est commune cum omnibus, sed tantum cum aliquibus; ut cum homicidio, furto, rapina, adulterio, rebellione, & similibus. Priori modo non punitur à Principibus poena capitinis; sed posteriori, & quidem justè: quod dupliciter ostendimus.

2. Primò, quia in veteri testamento poena mortis affecti sunt idolatræ, falsi Prophetæ, blasphemæ, inobedientes, & qui similia peccata, quæ Republicam turbare solent, perpetrassent. Moyses jussit occidi multa milia Israelitarum, quia adorarunt idolum vituli, & à reliquo populo secessionem fecerunt, Exod. 32. v. 27. Similiter Elias interfecit Prophetas Baal, 3. Reg.

Reg. 18. v. 40. Idem fecit Je-hu , 4. Reg. 19. v. 25. Denique Mathathias trucidavit quen-dam Iudaum sacrificantem Idolis , 1. Machab. 2. v. 24. Neque solum usitata fuit hæc pena , sed etiam à Deo præcepta , Levit. 20. v. 2. Si quis dederit de semine suo Maloch , morte moriatur. Et cap. 24. v. 16. Qui blasphemaverit no-men Domini , morte moriatur. Et Numer. 25. v. 5. Occidat unusquisque proximos suos , qui initiati sunt Beelphegor. Et Deuter. 13. v. 6. Si tibi vo-luerit persuadere frater tuus , ut servias Diis alienis , statim interficies. Et cap. 17. v. 12. Qui supervierit , nolens obediri Sacerdotis imperio , & decre-to Judicis , moriatur homo ille. Hinc concluso , si in veteri Tes-tamento justè statuebatur poena capitis in idolatras , & apostas-as à fide , etiam in novo testa-mento statui posse in hæreticos , quatenus communis concordia Christianæ turbatores sunt.

3 Secundo , Hæretici , præser-tim pertinaces , de quibus pro-priè hic agimus , non minus perturbant pacem , & tranquili-tatem reipublicæ , quam ho-micidae , fures , raptore , adul-teri : At hi justè puniuntur poena capitis , ut omnes boni fatentur : g. & illi puniri pos-sunt. Dices : Non est par ra-

gio : nam homicidae , fures , adulteri turbant pacem politi-cam , & ideo puniuntur à Ma-gistratu politico . At hæretici non turbant pacem politicam ; sed tantum Ecclesiasticam , & ideo non debent puniri à Ma-gistratu politico . poena corpo-rali , sed tantum ab Ecclesiasti-co poena spirituali. Respond. Hæretici turbant utramque pa-cem. Primo quidem , ac per-se , pacem Ecclesia ; quæ con-sistit in unitate fidei , Ephes. 4. v. 5. Unus Dominus , una fides , unum baptisma. Deinde conseqüenter pacem reipubli-ca , quæ sine unitate fidei con-servari non potest. Ubi enim est publica animorum dissen-sio , quam introducunt hæretici , ibi pax publica esse non potest.

4 Hoc testatur Christus cum ait : Omne Regnum in se-divisum desolabitur. Testan-tur exempla hæreticorum . Quas turbas toro Oriente ex-citarunt Arrianii ? Quas in Gra-cia Macedoniani ? Quas in Afrika Donatista , & Circum-celliones ? (de quibus August. ep. 68. ad Januarium Donatis-tam.) Quas in Imperio Roma-no Iconomachi , & Albigenses ? Hussita in Bohemia ? Calvinisti in Anglia , Gallia , Belgio , Polonia ? Lutherani in Germa-nia , tempore belli protesticorum ?

Taceo præsentes rebelliones, & conspirationes, quæ omnibus nostris sunt.

5. Et quid mitum? Nulla unquam familia fuit, in qua dissentiens religio pacem non turbarit. Exemplo sit discordia inter Isaac, & Ismaelem in familia Abraham: inter Jacob, & Laban, in Mesopotamia: inter Moysen, & uxorem ejus Sephoram, dum proficerentur in Aegyptum. Quomodo ergo in toto Regno, Provincia, Civitate pax, & concordia sperari potest, ubi religionis, ac fidei summa discordia? Certe non potest. Nam ubi heresis, ibi superbia, ibi dissensio. Hic infero: cum heretici superbi sint, sane si à nobis discrepant in Sacramentorum administratione; si Tempa, & Monasteria nostra revertunt; si altaria, & imagines destruunt; si Episcopis, & Clerico illudunt; si Ritus, & ceremonias contemnunt; si sacrificia, jejunia, & dies festos execrantur: Quomodo in rebus politicis concordiam, & pacem nobiscum servare possumus? id præter consuetudinem, & ingenium illorum est. Qui olim conjunctiores, quam Judæi, & Israelites? At postquam altare contra altare, templum contra templum erectum est, mox inexpibili dissidio dis-

seculi, & dissociati sunt. 6. Nuic repero argumentum sub hac forma: Hæretici magis perturbant pacem Christianam, quam homicidae, fures, adulterij. At hi justè puniuntur poena capitisi: nam magis illi. Major probata est, quia pax Christiana, est duplex: una Ecclesiastica, quæ consistit in unitate Sacramentorum fidei: altera politica, quæ consistit in externa justitia, & tranquillitate. Utramque turbant heretici; alteram tantum homicidae, fures, adulteri: ergo illi pernicioseiores sunt, quam hi.

7. Objic. i. illud Isaiae 11. v. 9. Non occident in universo monte sancto meo, id est, in Ecclesia. Ubi Propheta prædictit doctrinam Evangelij propagandam in Ecclesia sine cæde, & sanguine. Respondeatur: Sensus Prophetæ petundet ex verbis præcedentibus, quæ sic habent: Egredietur virga de radice Jesse, & filius de radice ejus ascendet. Ubi loquitur de venturo Christo. Quid autem futurum sit tempore Christi, sic explicat: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum bœvo accubabit: vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Et paulo post: Non nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo, quia

quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes. Ubi per animalia metaphorice intelligit homines; quorum alij gentiles, alij Judæi sunt; alij feroce, alij mansueti. Est ergo hic sensus: gentiles, qui nunc instar luporum, pardorum, ac leonum barbari, ac feroce sunt, veniente Christo, deponent feritatem suam, & cum mansuetis complectentur eamdem Christi fidem, ac in eadem Christi Ecclesia sib iisdem legibus, ac institutis habitabunt. Neque tunc amplius ex gentili feritate, & barbarie persequentur veros Dei cultores, sicut hactenus fecerunt Syri, Chaldaei, Egypti; sed erit una omnium fides, & unus animus. Quod etiam factum est, juxta illud Actor. 4. v. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.*

8. Hæc prædictio non obstat, quo minus Christiani non quidem ex feritate, & barbarie, sed ex zelo fidei, & Justitiae Christianæ possint coerce-re, & si opus sit, interficere hæreticos, qui fidelis, & pacis Christianæ turbatores sunt. Alioqui etiam obstat, quo minus possint coercere, & interficere homicidas, fures, adulteros, qui justitiam, & tranquillitatem Reipublicæ pertur-

bant. Nota: Hæc duo possunt simul consistere. 1. Gentiles ad fidem conversi non occident Judæos ad fidem conversos, ratione fidei, quæ erit una, eademque utrorumque. 2. Christiani, qui habent zelum fidei, & Justitia Christianæ, occident publicos fidei, & justitiae perturbatores. Alterum alteri non repugnat. Nec ex priori potest inferri oppositum poster.

9. Obijc. 2. parabola zizaniorum, Matth. 15. v. 29, ubi servi quarebant ex Patre familiis, an deberent colligere zizania ex medio tritici? Et respondit illis: *Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul, & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messonibus: Colligit primum zizania, &c.* Ubi per zizania intelliguntur hæretici, per triticum Catholici, per messem dies Judicij, per messores Angelii. Vult ergo Christus per hanc parabolam significare, hæreticos non esse eradicandos, sed simul cum Catholicis in eodem agro, idest, in eadem Ecclesia relinquendos, usque ad diem Judicij. Respondetur: Hic aliqua notanda sunt. *Primum est, quod per zizania non soli hæretici, sed omnes malis intelligentur; sicut per triticum, vel bonum semen, intelligun-*

cur omnes boni. Sic explicat Christus, cum ait: *Bonum semen sunt filii Regni: zizania autem filii nequam.* At non solum hæretici, sed omnes mali sunt filii nequam: g. &c.

10 Alterum est, quod sermo sit de bonis, & malis, non quocumque modo, sed de iis, qui tales perseverant usque ad finem vite. Nam qui ad tempus mali sunt, & postea bene moriuntur non sunt zizania, sed triticum. Et similiter, qui ad tempus boni sunt, & postea male moriuntur, non sunt triticum, sed zizania. Quod etiam explicat Christus. Nam mali, qui intelliguntur per zizania, mittentur in caminum ignis: Et boni, qui intelliguntur per triticum, fulgebunt, sicut Sol, in Regno Patris eorum. Quod non potest dici nisi de bonis, & malis, qui bene, vel male moriuntur. Illi enim vel Cœlo, vel inferno destinati sunt. Tertium est, quod nobis in hac vita certo non constet, qui bene, & qui male morituri sint; ac proinde non constet, qui sint zizania, & qui triticum. Hoc primum constabit in die Judicij, quando Angeli separabunt bonos a malis. Et haec causa est, cur Christus non velit, ut in hac vita eradicemus zizania. Cum enim inter zizania, & triticum non

possimus discernere, facile contingere, ut, cum putaremus nos eradicare zizania, eradicassemus triticum.

11 Quartum est, quod eradicare zizania nihil aliud sit hoc loco, quam Judicare, qui sint mali, & damnandi, & ex tali judicio eos à cœtu bonorum excludere, & separare. Et hoc est, quod prohibet Christus, ne erremus: Sicut etiam Apostolus 1. Cor. 4. v. 5. Nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus (nempè in die Judicij) qui & illuminabit abstundita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Eodem spectat illud 2. Tim. 2. v. 19. Cognovit Dominus, qui sunt ejus. Quasi dicat, alij non cognoscunt. Hinc patet, haec duo valde distinguui. 1. Non licet nobis in hac vita eradicare zizania. 2. Non licet nobis in hac vita occidere hæreticos, fures, homicidas, adulteros. Hoc licet, illud non licet. Ratio est, quia Reges, & Principes acceperunt à Deo jus gladij, ut puniant malefactores, quos constitutus esse, Rom. 13. Hoc autem potest illis constare. At nemo accepit à Deo jus, seu potestatem excludendi eos ab aliorum cœtu, qui morituri sunt in statu peccati, & mitterendi in caminum ignis. Ne-

mini enim constat, quinam illi sint.

12 Objic. 3. illud Luc. 9.
v. 54. Domine, vis, dicimus,
ut ignis descendat de Cælo,
& consumat illos? Et con-
versus increpavit eos, dicens:
nescitis cujus spiritus estis: Fi-
lius hominis non venit ani-
mas perdere, sed salvare. Ubi
Christus reprehendit Aposto-
los, qui ad exemplum Eliæ
volebant Samaritanos igne
consumi, & eo, quod non re-
ciperent Christum. Quasi di-
cat: Alius fuit spiritus lega-
lis, qui consistebat in severi-
tate: alias Spiritus Evangelii-
cus, qui consistit in mansuetu-
dine. Hunc debetis imitari,
non illum. Eliæ licuit, igne
de cælo misso, consumere ad-
versarios, vobis non licet.
Vos alium spiritum debetis
habere, quam ille habuit.

13 Respondetur. Christus
non loquitur generatum de Spi-
tu Evangelico, quasi ille ex-
cludat omnem severitatem; sed
loquitur speciatim de eo spi-
ritu, quo ipse volebat Evan-
gelium primo insinuare, quod
antea erat incognitum. Non
volet id facere per externam
violentiam, sicut tyranni so-
lent occupare nova Regna, sed
per mansuetudinem, & doctri-
nam, & miracula, sicut præ-
dictum erat ab Isaia cap. 35.

v. 5. & c. 61. v. 1. Hinc non
sequitur, Evangelium, post
quam semel insinuatum, &
promulgatum est, non posse,
aut debere spiritu severitatis
defendi, & conservari. Potest,
& debet. Ipsius Apostoli non
semel hoc spiritu severitatis
usi sunt. Petrus quidem, quan-
do Ananiam, & Saphiram oca-
cidit, Acto. 5.4. Paulus vero,
quando Corinthium tradidit
Satanæ in interitum carnis, ut
spiritus salvus fieret, 1. Cor.
5. v. 5. Et quando Elymam ma-
gum exceccavit, eo quod vias
Domini pervertere non desis-
teret, Act. 13. v. 11. Et quan-
do scripsit ad Corinthios: Quid
vultis in virgam veniam ad
vos, an in Spiritu mansuetu-
dinis? 1. Cor. 4. v. 21. Immo
Christus ipse, quando flagello
ejecit clementes, & vendentes
de templo, Luc. 19. v. 45.

14 Ojic. 4. illud Apost. ad
Tit. 3. v. 10. *Hareticum homi-*
nem post unam, & secundam
correctionem debita, sciens,
quia subversus est. Ubi nota-
ter dixit, debita, non autem,
occide. Respond. Verum esse;
quia non scribebat Princi-
polito, qui gladio corporali
uti potest; sed Episcopo, qui
gladio spirituali, id est, ex-
communicatione debebat uti.
Eodem sensu scribit 1. Cor. 15.
v. 13. *Auferre malum ex vovis*
meis.

metisti. Et 2 Thessal. 3. v. 14. Quod si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc nō tate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur. Potuisse nihilominus Titus Episcopus hereticum pertinacem, & a se excommunicatum tradere Principi seculati, ut ab eo interficeretur, sicut modo faciunt Domini Inquisitores; id tamen factum non fuit, quia tunc temporis nulli erant Principes Catholici, quibus hoc tuò committi potuisset, sed tantum Ethnici.

15 Objiciunt 5. Fides debet esse libera: g. nullus ad eam cogendus est. Respondeatur, quod fides duplici sensu potest dici libera: 1. Quoad internum assensum, seu actum credendi. Secundò, quoad externum exercitium. Priori modo, libera est; quia Princeps non potest cogere Subditos ad internum actum credendi. Posteriori modo non semper est libera; quia Princeps ad conservandam pacem, & unitatem in republica, potest prohibere exercitium hereticum; & eos punire pœna Capitis, qui non obsequuntur, ut laudabiliter fecerunt, & faciunt Reges Catholici; nam ubi sunt contraria exercitia fidei, ac Religionis, non potest servari pax, & concordia inter Subditos.

16 Objic. 6. In primitiva Ecclesia hæretici non puniebantur pœna corporali: g. nec hodie licitum est. Respondeatur 1. neg. antec. ut patet ex dictis de Apostolis. Respond. 2. quod ratio puniendi hæreticos mutata est pro necessitate temporis. In primitiva Ecclesia non puniebantur pœna corporali, quia Ecclesia non poterat hoc facere propter potentiam infidelium, & paucitatem Christianorum. Immò Judicabat, non expedire propter scandala, quæ tunc facile potuissent oriri. Postea paulatim puniti sunt: Nunc exilio, Leg. Ariani, c. De Hæreticis: nunc multa pecuniaria. L. Cuncti hæretici, ibidem: nunc amissione omnium bonorum. L. Manichæi. Tandem etiam propter nimiam ipsorum insolentiam, & pœnarum istarum contemptum, accessit pœna capitii, quam Valentinianus, & Marcius decreverunt, L. Quicumque eod. codice. Videatur Aug. Ep. 50. ad Bonifac. paulo ante medium, ubi eandem objectionem proponit & solvit. Et lib. 2. contra Literas Petiliani probat, Magistratum habere autoritatem animadvertisendi gladio in hæreticos. S. Cyprianus id ipsum docet, lib. de Exortat. ad Martyrium, cap. 4. ex novo Testa-

Cámento Matth. 7. Joan. 10.
Acto. 20. ubi hæretici vocantur fures, & latrones qui licet interfici possunt. Jus Canonic. cap. Ad avolendum, extra de Hæretic. Et in Conc. Constantiensi sess. 15. ubi contrarius error Joannis Huss damnatus fuit. Et in Concil. Chalcedon. Act. 1. ubi dixit Dioscorus Episcopus Alexandrinus: si Euthyches præter dogma Ecclesiæ sapit, non solum pœna dignus est, sed & igne.

QUÆST. VI.

*AN PRINCEPS, VEL
Magistratus possit Iudeos tollerare in sua Civitate, aut
Provincia?*

1. **T**ria spectari possunt in Iudeis. Primo, Secta, & exercitium Judaicum. 2. Usura. 3. Odium in Christianos. Hæc omnia mala, & prohibita sunt. Est ergo quæstio, an Princeps, vel Magistratus possit, & mala permittere, aut tollerate: & quæ possit esse legitima causa permittendi, & tollerandi? Respond. ex Pat. Bec. per sequentes conclusiones.

2. Conclusio 1. Magistratus potest permettere ritus, & exercitia Iudeorum, si adsit

sufficiens causa. Hoc facit Pontifex Romæ, & multi Principes in suis Provinciis. Causa potest esse triplex: 1. Ut per ritus Judaicos adumbretur, & confirmetur veritas Christiana. Hanc causam approbat D. Aug. lib. 18. de Civ. Dei, c. 46. Et D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 11. Altera, ut Judæi, qui exercent suos ritus, & intelligunt à Christianis, ritus illos fuisse tantum umbras, & figuræ Christianæ religionis, facilius convertantur ad fidem Christi. Hanc etiam approbat D. Thom. loc. cit. Tertiæ, ut Principes, vel Magistratus Christiani sub prætextu permissionis possint accipere pecunias, & alia munera à Judæis, quibus permittunt exercitium. Et hoc non licet; nam peccata publica, quibus offenditur Deus, non possunt permiti propter solum luctum temporale, quod ex permissione speratur.

3. Conclusio 2. Magistratus potest permettere usuras Iudeorum, si adsit sufficiens causa. Hoc etiam facit Pontifex, & aliqui Principes Christiani. Causa potest esse duplex: Una ad impediendum maius malum; si enim non permetterentur usuræ, multa fierent furtæ, rapinæ, oppressiones pauperum, & his similia incommodo.

modi . igitur ad hæc mala evitanda permitti possunt usuræ , tanquam minus malum. Sed hoc videant diligenter, qui operantur justiciam. Altera causa est , ut Principes , & Magistratus Christiani , qui permittant usuras Judeorum , sint participes lucri : & hoc non licet ; nam certum est , usuras jure naturali , ac divino prohibitas esse , & lucrum , quod per usuras acquiritur , esse meum fortunæ. Sicut ergo peccant Judæi contra iustitiam , accipiendo lucrum usurarium ; ita peccant Christiani , qui sunt participes illius lucri : censentur autem esse participes , quando co fine permittunt usuras , ut possint inde lucrum percipere.

4 Hæc Conclusio dupliciter limitanda est. Primo , quod permitti possint usuræ communes , quæ non excedant lucrum à lege , & consuetudine permisum ; non autem usuræ exorbitantes de quibus paulo post. Secundo , quod Magistratus Christianus non possit ex usuris percipere lucrum propter solam permissionem usurarum , licet possit alio titulo percipere. Et quidem duplicitate . Primo , titulo punitionis , quia potest punire Judeos propter usuras , & lucrum , quod ex usuris iuste acquisitum est ,

vel restituere suis Dominis , vel in publicam utilitatem convertere. Deinde titulo exactiōnis , quia potest exigere à Judæis annum tributum , seu vestigal , non ratione permissionis usurarum sed ratione concessæ habitationis in loco Christiano.

5 Conclusio 3. Magistratus , vel Princeps Christianus non potest bona conscientia permittere , aut imponitum relinquere odium Judeorum in Christianos. Nota . duplex est odium. Alterum internum , quod , cum occultum sit , Magistratus punire non potest. Alterum externum , quod erumpit in apertam injuriam. Hoc à Magistratu coerceri debet. Dicimus ergo , hujusmodi odium , quando à Judæis in Christianos exercetur , nullo modo permitti , aut tolerari posse , sed severe puniendum esse : & Principem graviter peccare , si delinquentes non puniat. Ratio est , quia Princeps ex officio tenetur punire omnem injuriam publicam , si potest , ut iustitia conservetur ; g. etiam tenetur punire injuriam , quam Judæi commitunt in Christianos. Quæ sane multiplex est. Primo , quia exigunt immoderatas , & intollerabiles usuras à Civibus , & rusticis , & pauperibus. Quidquid

quid autem exigunt ultra sortem, furtum est. Intolerabile ergo furtum committunt. Secundo, exigendo hujusmodi usuras, plurimum nocent Republicæ, seu cotamunitati. Non enim potest stare, aut florere Respublica, quando populus usuris oppressus, & exaustrus est. Tertio, præter usuras accedit alia injuria. Nam quidquid in foro venale est, hoc Judæi præcipiunt Christianis, offerendo majus præmium venditoribus, quam alijs emptores offerte solent: ac postea, quod iniquissimum est, coguntur Christiani duplum pretium dare Judæis, si velint emere, que ad familiam alienam necessaria sunt. Quarto, ut hæc omnia inipue faciant, distribuunt munera officialibus principum, ut ab ipsis protegantur. Quinto, hinc sit, ut populus, qui ægre fert hujusmodi injurias, pronus sit ad seditionem concitandam, tum in ipsos Judæos, tum in eorum defensores, ac patronos: in Judæos quidem, quia fures, & expilatores sunt: in patronos, quia sunt socij furum, & expilatorum. Hæc tanta mala (ut reliqua dissimilem) si Princeps, aut Magistratus non impedit, vel punit, particeps est scelbris, & ad restitucionem tenetur. Potest au-

tem tripli citer impedit. Primo, si Judæos omnino expellat ex sua provincia, vel civitate. Secundo, si non expellat quidem, sed cogat eos ad agriculturam, vel ad artes mechanicas, vel ad alia opera exercenda, nec patiatur eos in otio, & luxu vivere, sicut jam vivunt. Tertio, si privet eos omnibus pecunijs, ac divitijs, quas per usuram acceperunt. Utinam hæc in praxim deducantur!


6 Dices, si Judæi, vel expellantur, vel usuras non accipient, sequentur duo incommoda. Primo, quod Principes Christiani tempore necessitatis non habebunt pecuniam pro bello. Hanc enim solent petere à Judæis. Deinde subditi Principum, qui egent pecunia, non poterunt motu accipere. Respondetor, Contrarium sequitur. Primo, quia expulsis Judæis, plus præsidij conferre poterunt cives, quam Judæi solent. Nam quidquid Judæi conferunt, hoc per injustas usuras accipiunt à civibus: neque hoc solum, sed etiam quidquid ipsis ad vitam sustentandam necessarium est. Accipiunt igitur à Civibus duas portiones, unam, quā dant Principi, alteram, quā se alunt. Certe si expellerentur Judæi, cives parati essent,

vel utramque portionem dare suo Principi , vel certe non minorem , quam Judæi dant. Deinde , subditi Principum magis egent pecunia præsentibus Judæis , quam absentiis. Nam illis præsentibus , & intolerabiles usuras exigentibus , penitus exhauiuntur. Si abessent , aut certe immoderatas usuras non exigerent , subditi minus exhauirentur , ac proinde minus indigerent pecunia.

7 Tota hæc doctrina est Pat. Beccani , in Man. lib. 5. c. 18. Sed antea (ni fallor) illum docuerat Subtilissim. nost. Doct. in 4. d. 4. q. 9. §. dico breviter , vers. Et si dicas , ubi ait : Et si dicas , quod secundum Prophetiam Isaiæ , quam recitat Paulus ad Rom. 9. Reliquie Israel convertentur in fine ; & ideo Judeos non oportet cogere totaliter ad Baptis-

mum suscipiendam , & relinquentio legem suam : : dico protam paucis . & sic tarde convertendis , non oportere tot Judeos in tot partibus mundi , tantis temporibus sustinere in lege sua persistere ; quia finalis fructus de eis Ecclesiae est , & erit modicus. Unde sufficeret aliquos paucos in aliqua insula sequestratos permitti legem suam servare , de quibus tandem illa prophetia Isaiæ impleretur. Et probat per Concilium Toletan. IV. cap. 55. approbans Regem Hispaniæ , tanquam Principem Religiosum , quia Infideles coegerit ad fidem. Habemus etiam exemplum S. Ferdinandi Regis , & aliorum Regum Catholicorum , qui Mauros , & Judeos compulerunt ad Baptismum , vel quod exirent de Regno sub pena capitili.





TRACTATUS IV.

DE MUNERE , ET METHODO Predicandi.

Proœmium.

„ **E**adem Sacrosancta Synodus (inquit Trident. sess. 5. De-
 „ cret. de Reformat. cap. 1.) piis Summorum Pontifi-
 „ cum , & Provotorum Conciliorum Constitutionibus
 „ inhærens , easque amplectens , & illis adjiciens ; ne cœlestis ille
 „ Sacerdotum Librorum Thesaurus , quem Spiritus Sanctus sum-
 „ ma libertate hominibus trādidit , neglectus jaceat , statuit , &
 „ decrevit : quod in Monasterijs quoque Monachorum , ubi
 „ commode fieri queat , etiam lectio Sacra Scripturæ habeatur :
 „ in Conventibus vero aliorum Regularium , in quibus studia
 „ commode vigere possunt , Sacra Scripturæ lectio similiter ha-
 „ beatur : quæ lectio à Capitulis Generalibus , vel Provinciali-
 „ bus assignetur dignioribus Magistris . Et cap. 2. inquit : quia ve-
 „ ro Christianæ Republicæ non minus necessaria est prædicatio
 „ Evangelij , quam lectio : statuit , & decrevit : teneantur (Epि-
 „ copi) viros idoneos assumere ad hujusmodi Prædicationis of-
 „ ficium salubriter execuendum : Regulares vero cujuscumque
 „ Ordinis , nisi à suis Superioribus de vita , moribus , & scien-
 „ tia examinati , & approbati fuerint , ac de eorum licentia ,
 „ etiam in Ecclesijs suorum Ordinum , prædicare non possint ,
 „ cum qua licentia personaliter se coram Episcopis præsentare ,
 „ & ab eis benedictionem petere teneantur , ante quam prædica-
 „ re incipient , &c .

Quibus Sanctissimis Constitutionibus Constitutiones hujus
 Alma Provinciae inhærentes num. 142. statuunt , ac præcipiunt ,
 ut Primarius lector ultimo Theologici cursus anno lectionem de
 Sacra Scriptura habeat , & doceat , quæ conducunt ad prædicandum
 Sanctum Jesu-Christi Evangelium : Et quavis scopus to-

tius hujus tomī sit ad Catholicae fidei defensionem , & incremen-
tum , sanæque Doctrinæ propagationem , & conservationem ,
quod est intentum Sacrosanti Concilij ; hoc verò non obstante ,
sequendo majorum nostrorum vestigia , & ad ubiorem hujus
sanctionis observantiam ; instituimus hunc quartum , & ultimum
Tractatulum , ex nostris Poteſta , Arbiol , Matthæuco , & Boyvin
fere transcriptum , quo finem ad Sacram Theologiam Scholasti-
cam , & Dogmaticam imponimus . Utinam fauē ! Fructuose ,
& feliciter utinam !

INQUIRIES I.

QUIS PRÆDICARE
debeat?

AD Apostolicum Sa-
cra prædicationis munus rite exercendum tria
necessario requiruntur , quo-
rum altero deficiente , nemo
prædicare debet . Primum est
irreprehensibilis Vita ; quia
(teste Tullio) caput est artis ,
dicere , quod facis . Hinc D.
Hieronym. ad Nepotianum
scribens , ait : Non confundant opera sermonem tuum , ne
cum in Ecclesia loquaris , tacitus
quisque respondeat : cur
hæc , quæ dicas , ipse non fa-
cis ? Secundum est solida scien-
tia : ut saltim omnia , quæ per-
tinente ad mysteria fidei ; man-
data Dei , & Ecclesiæ , vitia , &
virtutes ; hæreses , atque erro-
neas opiniones dignoscere , ac
enucleare calleat ; quod satis
apte pæstabis , si priores trac-
tatus hujus operis familiates

habeas . Tertium est legitima.
Mīſſio ; nimirū ut à Prela-
to , ad quem spectat , sit tibi
commīſſum , vel saltim con-
cessum ; nam ut inquit Apos-
tolus ad Rom . 10 . *Quonodo
prædicabunt , nisi mittantur?*
Vide Bullam Clem . X . Super-
na , 1670 .

INQUIRIES II.

QUIS DEBEAT ESSE
Prædicatoris finis?

ESSE debet , ut pecca-
tores , peccato mor-
tui , ad vitam per pœnitentia-
tiam revocentur ; & ut justi ,
qui charitate vivunt , abun-
dantius vita fruantur , juxta
illud Joann . 10 . *Ego veni , ut
vitam habeant , & abundan-
tius habeant .*

*** *** ***

INQUIRES III.

**QUID PRÆDICARE
debeat?**

3 PRAEdicationis materia est Verbum Dei: *Prædicta Verbum*, dixit Apost. 2. ad Tim. 4. Consistit autem hæc verbi Dei prædicatio (ut suos fratres monet Seraphicus N. P. S. Franciscus) *in annuntiando virtutem, & virtutes, pœnam, & gloriam.*

INQUIRES IV.

**QUIBUS REBUS FULCIRI
debeat Verbum Dei, &
al digi quo ordine?**

4 CUM Verbum Dei prædicamus, firmis doctrinis fulcire dicta nostra debemus, ut audientium corda movere possimus. Primum fulcimentum est *Authoritas Sacrae Scripturæ* in aliquo ex quatuor sensibus interpretata (ut infra) pro cuius interpretatione *Sanctorum Patrum instrumentis* uti necessè est, nè in errorem incidamus. Unde secundum fulcimentum esse debent *Sententia Sanctorum Patrum, & Conciliorum*. Tertium *Rationes*. Quartum *Similitudines*. Quintum *Exempla*.

DE SACRA SCRIPTURA.

5 JEAM satis fusé ceginus tract. 2. disput. 4. ubi diximus, quod sola editio latina vulgata est Canonica, & fide tenenda juxta Decretum Concilij Trident. Noster insignis Discalceatus Joann. de la Haye in Prolegom. Bibl. Maxima à sect. 16. usque 21. inclusive, latissimè agit de varijs editionibus, lectionibus, & versionibus Sacrae Scripturæ, ut sunt: Hebraica, Samaritana, Chaldaica, Syriaca, Arabicæ, Persica, Aethiopica, Septuaginta interpretum, seu Septuaginta duo, ut ait Baronius, ann. 231. quæ est editio Graeca. Agit etiam de Versione vulgata latina, de versionibus Pagnini, Ariæ Montani, Batavi; de Biblis Tygurina, Gotthica, Sixtio; Idiori Clatij, Guarinij, Cajetanij, & Maluendæ; de Vernacolis versionibus, & de versionibus hareticorum dignoscendis. Quod omne in ipso videatur: nobis autem sat est, scire pro certo, nullam versionem, editionem, aut lectionem sustineri posse, nisi in his, quæ vulgata nostræ Latinæ non contrariantur. Nunc autem pro tyrocinio regulari aliqua de sensibus Sacrae Scripturæ breviter dicamus.

IN-

INQUIRES.

QUIS, ET QUOTUPLEX
sit sensus Sacrae Scripturæ?

6 **S**ensus Sacrae Scripturæ communiter definitur sic: *Est quod Spiritus Sanctus per Scripturam Sacram intendit nobis significare.* Ex quo inferatur; non fore sensum Sacrae Scripturæ, quemicunque à Scriptore sacro, vel à Expositore imaginatum, nisi alias fuerit intentus a Spiritu Sancto. Quoniam vero Spiritus Sanctus per eadem verba plura intendere valet significare, ideo Doctores sensum Sacrae Scripturæ in plures sensus dividunt.

7 Primo igitur dividitur in *Litteralem*, & *Spiritualēm*, seu *Mysticūm*. *Litteralis* est, quod proximè, & immediate significatur per verba. *Mysticus* est, quod non significatur proximè per ipsa verba, sed per rem significatam ipsis verbis: nam & verba significant aliquam rem secundum litteram, & res significata per verba iterum significat aliam rem secundum Mysterium. Rursum *Litteralis* subdividitur in *Grammaticalem*, & *Theologicum*. Primus est, quem respiciunt grammatici. Secundus, quem

Theologi. Grammatici respiciunt in Scriptura sensum illum, quem primo ex vi sua verba Scripturæ significant, qui dicitur etiam obvius; & materialis. Theologi verò querunt in Sacra Scriptura illum sensum Litteralem, qui est sub ipsis Scripturæ verbis primario, & per se à Spiritu S. intentus. Grammaticalis aliquando potest esse falsus, & de isto intelligitur Paulus, dicens: *Littera occidit*, seu in errorem ducit. Theologicus litteralis semper verus est. Quod patet, cum de Christo dicitur: *Vicit Leo de Tribu Iuda*: sensus grammaticalis, seu materialis est, quod Christus sit verus Leo, idest, animal rugibile; & hic sensus est falsus. Sensus verò Theologicus est, quod Christus sit homo descendens ex Tribu Iuda, eminens inter alios homines fortitudine, & potentia, sicut Leo eminet inter animalia; & hic sensus est verus.

8 Deinde, sensus litteralis Theologicus subdividitur in *proprium*, & *metaphoricum*. Primus est, quem verba, accepta secundum consuetam hominum institutionem, significant; ita cum dicitur: *Christus est homo*, sensus litteralis proprius est, quod Christus sit verus homo; quia vox ho-

suo, juxta communem hominum institutionem, significat verum hominem. *Metaphorës* litteralis sensus est, quem faciunt voces, non secundum se, sed prout sunt usurpatæ ad significandum aliquid primario ab ipso loquente. Sic Christus Dominus dicitur litteraliter metaphoricè *vitis*, *agnus*, *Leo*, *petra*, &c. Nec enim sensus litteralis est tantum, quem verba quoquomodo exprimunt, sed quæ verba, sive propriè, sive metaphoricè accepta, faciunt proximè, & immediate ex intentione dicentis. Circa quod, si controversia oriatur, non potest ab ipsa Sacra Scriptura decidi; ideo opus est alio Judice, scilicet Summo Pontifice.

9 Sic communiter explinant Doctores sensum litteralem Theologicum: noster vero Lyranus, & ex ipso Poresta, non admittit hunc sensum litteralem metaphoricum; unde existimant, multos esse Scripturæ textos, qui non possunt habere sensum litteralem. Nos autem dicimus nullum esse textum, qui careat sensu litterali, aut proprio, aut metaphorico; hæc enim est mens D. Augustini lib. 15. de Civ. Dei, cap. 27. Gregorij hom. 2. in Ezech. Hieronymij Præfat. in Iust. & aliorum. Ita etiam nos-

ter Boyvin de Sacr. Script. cap. 3. q. 4. Arbiol de Scriptura Sacra. disp. 3. art. 1. & 2. Mattheucus controv. 3. cap. 2. num. 10. Probatur hæc communis Authorum resolutio: Omnis Sacrae Scripturæ propositio est à Deo revelata: g. aliquid utile per eam ostendere voluit Spiritus Sanctus, juxta illud: *Ego Dominus docens utilia:* Et illud Apostoli: *Omnis Scriptura divinitus revelata utilis est ad docendum*, &c. Sed id, quod significare voluit Spiritus Sanctus immediate, attinet ad sensum litteralem, saltem metaphoricum, aut figuratum: g. &c. Confirmatur, quia sensus mysticus necessario fundari debet in litterali: g. quilibet Scripturæ locus admittit sensum litteralem.

10 Dices cum Lyrano: Illa propositio Judic. 9. *Ierunt ligna, ut ungerent supra se Regem*, litteraliter accepta, est de re impossibili: & illa Matth. 5. *Si pes tuus scandalizat te, aseinde eum*, litteraliter intellecta, est tyrannica: g. tales propositiones, & aliæ eis similes, non habent sensum litteralem. Respond. disting. anteced. in utraque propositione: relatæ propositiones litteraliter acceptæ secundum proprium, grammaticale, aut materiale significatum, conc. lit-

litteraliter acceptæ , secundum illud , ad quod primariò significandum , assumuntur , neg. Quoniam in hoc sensu , nec prima est de re impossibili; nec secunda de actione tyranica. Argumentum enim solam probat , tales propositiones , & alie similes carere sensu litterali , materiali , & proprio ; & hoc verum est , propter quod dixit Apost. *littera occidit* ; non autem probat , carere sensu litterali metaphorico , aut translatio , qui est , quod primò , & immediate intendit significare Spiritus Sanctus per tales propositiones. Videantur Expositores , qui per ligna intelligunt populum Sichimitæ ; & per pedem , oculum , manuum intelligunt Patrem , Matrem , fratrem , amicum , proximum , &c. qui vellet impedire , ut ad Deum pergeremus , illico separationem debemus ab eis facere , seu illis non acquiescere.

11 Replicabis. Sensus acceptus non ex littera , sed ex re significata per litteram , non est litteralis : sed sensus datus predictis propositionibus non sumitur immediate ex littera , sed ex rebus significatis per litteram: g. &c. Respondetur neg. min. quia uterque sensus , tam materialis litteralis , quam lite-

ralis metaphoricus sumitur immediate ex littera textus ; prius quidem ex proprio communi significato materiali vocabulorum ; secundus vero per translationem metaphoricam factam ab ipso revelante.

12 Replicabis iterum. Ergo omnes sensus Sacrae Scripturæ sunt litterales , & nullus erit mysticus , aut spiritualis. Respond. neg. conseq. quia non semper fit translatione vocabulorum , quia potius multoties sumitur sensus ex rebus significatis per ipsa vocabula , juxta tritam sententiam S. Augustini : *Christus Jesus aliquando nos sermonibus , aliquando vero rebus admonet* , de quo infra.

13 Iterum replicabis. Omnis sensus , intentus à Spiritu S. loquente , est litteralis : g. sive sumatur à verbis , sive deducatur ex rebus significatis per verba , sensus ille est litteralis : g. nullus datur sensus praeter litteralem. Respondeatur disting. anteced. Omnis sensus primò , & immediate intentus à Spiritu Sancto est litteralis , conc. intentus à Spiritu S. mediátè , & remotè , seu medijs rebus significatis , nego.

14 An autem ejusdem textus Sacrae Scripturæ possint esse plures sensus literates ? neq; gant Novatores , contendentes,

ces, unum tantum esse sensum litteralem Sacrae Scripturæ, & hunc omnibus ita apertum, ut & ipsi plebecula pateat, ut retro jam diximus. Quod si ita est: cur possident agrum, & argentum? contra prescriptum Matth. 10. Cur injurias non sustinent ut Christus Matth. 5. prescribit?

15. Nos autem respondeamus affirmativè cum communi SS. PP. ex quibus sufficiat S. Aug. lib. 12. confess. cap. 18. ubi ait: *Deus per sermonem unum in litteris Sacris pleramque non unam solum sed plures etiam litterales voluit significare sententias.* Angelicus Doct. 1. p. q. 1. art. 10. in corp. inquit: *Quia vero sensus litteralis est, quem author intendit; author tamen Sacra Scriptura Deus, qui omnia simul suo intellectu comprehendit; non est inconveniens, ut dicit August. 12. Confess.* Si etiam litteralem sensum in una littera Scriptura plures sint sensus. Quid clarius? Urget insuper illud Prophetæ: *Semel locutus est Deus, duo haec audi vi:* Duo ergo literaliter intelligi valent in unica Scriptura clausula. Pater etiam ex illis verbis: *Ego hodie genui te:* In quibus triplicem sensum litteralem agnoscit D. Paulus; Actor. enim 13. vult,

Tom. III.

illis significari gloriosam Christi Resurrectionem. Ad Hebr. 1. aeternam Christi generationem: Et cap. 6. ita usurpat, ut Christum à Patre ad Sacerdotium aeternum promotum fuisse demonstret.

16. Regula verò, qua genuinus Scripturæ sensus litteralis possit deprendi, est, quod ipsius verba, ut sonant, accipienda sunt, neque ad metaphoras, aut sensus imprios impletenda, nisi ex eisdem proprietate acceptis, sensus aliquis absurdus elicaretur. Hoc habetur ex Aug. lib. 8. de Gen. ad litteram cap. 2. Sane inquam, quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, idest, non aliter intelligere, quam littera sonat; & potest vitare blasphemias, & omnia congruentia fidei Catholicæ prædicare, non solum ei est invidendum, sed præcipuum, multorumque laudabilis intellector habendus est. Videatur Frassen Disquisit. Bibl. lib. 3. cap. 4. n. 19. & Emij. Laurea de Fide, disput. 3. art. 3. & 6. §. 5. qui rem planè examinat. Apud quos extra dubium est, ex Pontificum, & Conciliorum decretis, certissime constare de sensu litterali, & mystico Scripturæ. Propterea dum controversia oritur de ali-

quo textu , an intelligendus sit litteraliter , an vero mysticè , ad Ecclesiam , hoc est , ad Papam , qui est Ecclesia Magister , recurrendum est : interin Sacri DD. Ecclesiarum consuluntur ; nam Spiritus Sanctus eos constituit in Ecclesia , ut Sacras interpretarentur Scripturas , juxta illud ad Ephes. 4. *Alios dedit Pastores , & Doctores , &c.* Et Sancti PP. luminaria sunt Ecclesiarum . Videlatur nost. Arbiol loc. sup. cit. & disp. 5. ejusd. tractat.

17 Nunc autem redeamus nos ad aliam divisionem mystici sensus Sacrae Scripturarum . *Mysticus* sensus non significatur immediate , & proxime per verba , sed mediate , & remote , idest , per res significatas verbis. Sciendum tamen est , quod sensus Sacrae Scripturarum aliud non est , quam intelligentia verborum ipsius ; vel id , quod Spiritus Sanctus nobis significare intendit , ut supra diximus. Advertit etiam nost. Arbiol , quod in rigore non est idem sensus mysticus , ac sensus spiritualis ; quia Misticum idem est quod absconditum , seu reconditum : Ergo sensus mysticus est sensus absconditus. Atqui sensus spiritualis multoties est manifestus in ipsa littera , ut patet in libris doctrinalibus , qui habent

sensem spiritualem indistinctum à littera ; sensus autem mysticus nunquam est litteralis , sed absconditus , & reconditus in littera.

18 Sensus *mysticus* est triplex , Allegoricus , Tropologicus , seu moralis , & Anagogicus. Hinc summatim sensus Sacrae Scripturarum sunt quatuor principales , nempe , Litteralis , Allegoricus , Tropologicus , & Anagogicus ; juxta hos versus , quibus in auxilium memoriae utuntur communiter Theologi.

Littera gesta docet ; quid credas , Allegoria ,
Moralis , quid agas ; quo tendas Anagogia.

19 Sensus *Allegoricus* ostendit nobis , quid sit credendum , quia tendit circa creditibilia : dicitur *Allegoricus* , à nomine Graeco *Alelon* , quod est *alienum* ; & à *Logos* , quod est *Sermo* , quasi sit alienus sermo ab eo , quem voces sonant , *Tropologicus* , seu moralis , quid agendum , quia tendit circa moraliter agenda. Dicitur *Tropologicus* à nomine Graeco *Tropos* , quod est *conversio* ; & à *Logos* , quod est *Sermo* , quasi sit sermo conversus ad animæ edificationem , & morum informationem.

20. *Anagogicus* demum, quid sit sperandum; quia tendit circa speranda in æterna beatitudine. Dicitur *Anagogicus* à nomine Greco, *Ana*, quod est *surgere*, & *Goge*, quod est *ductio*, quasi quod sit *surgere* *ductio*, seu locutio de terrenis, quibus significantur cœlestia. Præterea multoties in unico textu quatuor principales sensus inveniuntur, v. g. *Jerusalem*; litteraliter significat Civitatem Sanctam Hierusalem, in qua passus est Dominus. *Allegoricè* significat Ecclesiam militantem à nobis credendam, juxta illud Apocal. 21. *Vidi Civitatem Sanctam Jerusalem novam descendentem de Cælo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* *Tropologicè*, seu moraliter, significat animani fidem, seu nostram Sanctis operibus, & virtutibus ornandam, juxta illud Jeremij cap. 1. *Jerusalem, Jerusalem convertere ad Dominum Deum tuum.* *Anagogicè*, significat Ecclesiam triumphantem, nempe Patriam cœlestem à nobis sperandam, juxta illud Pauli ad Galat. 4. *Illa, quæ sursum est Jerusalem, est libera, quæ est mater nostra.* Consimiliter, in Aqua; in Manna; in Victoria David contra Goliath; & in Alijs Scripturæ Sa-

cræ locis, relatos quatuor sensus principales invenies.

21. Sensus accommodatius, est; quo qui Sacram Scripturam propriæ mentis sensui accommodat. Sic Orator in nova electione Duxis cuiusdam Republicæ, cui nomen erat *Prosper*, usus est versu Psalm.

44. *Intende, Prospere, procede, & regna:* Utendo equivoco Adverbij in Nomen. Et aliis, ad exprimendam Principium conventionem circa Monarchiæ Hispanæ partitionem, & Dei inexpectatam providentiam, in ea conservanda incolumi cum constitutione Regis, usus est illo Psal. 2. *Qui habitat in cœlis irridebit eos. Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Id verò notandum, Oratori non licere ad prophana, Scurrilia, & jocaria Scripturaræ Sacra verba accommodare: nam sic prohibitum est sub gravissimis poenis à Concilio Trident. ses. 4. Non enim decet, nec licet, Sacra miscere prophanis.

22. Dubitabis: Utrum argumentum desumptum à sensu accommodatio si efficax? Respond. esse efficax quando consequens continetur in alijs veritatis fidei, v. g. Christus pepercit Magdalenæ, quia pœnitentiam egit: g. itiam parcer mibi, si pœnitentiam ege-

20: consequens continetur in alijs propositionibus fidei, independenter ab antecedenti. Si vero consequens non continetur in alijs propositionibus fidei, argumentum non est multum efficax: v. g. *Christus dispensavit Eucharistiam Iudeo-peccatori*: g. idem poterit facere *Parrochus*: consequens non est contentus in alijs veritatisbus fidei: Valet autem ad persuadendum, juxta qualitatem materiae.

23 Tandem multa loca habere possunt omnes quatuor sensus, ut diximus supra §. de sensu Anagogico, & ut in Genes. c. 16. dicitur, quod Abraham duos filios habuit unum de ancilla, & alterum de libera. Ubi per duos filios Abraham in sensu *Litterali* denotantur Isaac, & Ismael: Isaac vir bonus, filius Saræ uxoris Abraham; & Ismael homo ferus, filius Agar ancillæ Saræ. In sensu *Allegorico* per duos filios significantur duo testamenta, ut exponit Apostol. ad Gal. 4. Ismael enim *Vetus* significat; Isaac vero, *Novum*. In sensu *Morali*, seu *Tropologico* significari possunt duo filii spirituales unius Prælati, quorum unus, ut Isaac proficiat: alter ut Ismael a perfectione deficiat. Et demum in sensu *Anagogico* per duos filios significa-

ri possunt Angeli, quorum multi steterunt, & sunt boni: multi ceciderunt, & sunt mali.

INQUIRES.

QUOT, ET **QUE SINT**
Concilia, quibus fulciri debet **Pradicatio?**

24

Concilia cœcumena, videlicet, Generalia, & universalia ad totum orbem Christianum pertinientia à Sede Apostolica approbata, & ab Ecclesia recepta hucusque sunt decem, & octo, Tridentino inclusio, quorum principaliora sunt prima quatuor, quæ ad authenticandam, stabilendamque fidem, quam Sacra Scriptura prædicat, convenerunt. Pro quibus, & similibus notabis, quod si aliqui in signando tempore, aut numero aliter sentiant, id mirum non esse, quia Chronologi in hisce subinde discrepant. Primum est *Nicœnum*, quod celebratum est ab anno Domini 327. usque ad annum 330. sub Silvestro Papa, & Constantino imperatore, ubi convenerunt Episcopi 318. numero quidem Sacro, quia longè ante figurato in Sacra Scriptura in illis 318. militibus, quibus Abraham victoriæ de quinque Regibus reportavit.

In

In hoc Concilio damnata fuit hæresis Arij inæqualitatem inter divinas personas ponentis, afferentis filium creaturam. Unde conc. filium consubstantiam Patri confiteretur , & proinde Symbolum fidei ab Apostolis editum denuò construxit, addendo illam particulam: *Consubstantiam Patri: statuitque ut post hymnum glorificatio- nis, qui est Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ad- deretur: Sicut erat in princi- pio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.* Item contra Quartadecimanos de die Paschate non lunā quar- ta decimā more Judaico cele- brando.

25 Secundum est *Constan- tinopolitanum primum*, quod est celebratum anno Domini 383. sub Damaso Summo Pon- tifice, & Theodosio Seniore Imperatore; ubi convenerunt 150. Patres, cui Concilio in- terfuit S. Hieronymus, contra Macedonium negantem Spir- tum Sanctum esse Deum. Ter- tium est *Ephesinum I.* quod celebratum est anno D. 434. sub Cælestino Papa, & Theo- dosio Juniore Imperatore ubi convenerunt 200 Episcopi. Causa Concilij fuit hæresis Nestorij Episcopi Constantinopoli- tani duas personas in Christo admittentis, ac proinde uni-

tas sub accidental ratione, nempe, per affectum, qui er- ror fuit damnatus , & Sanctum in duabus Christi naturis unam manere personam , nempe, Verbi; adeoque duas na- turas divinam , & humanam esse unitas substantialiter in ra- tione substantiali hypostasis, seu persona; & ex tunc in sa- lutatione Angelica additum fuit : *Sancta Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus, &c.*

26 Quartum est *Chalcedo- nense*, quod celebratum est 451. vel 454. sub Leone Pa- pa, Valentiniano , & Martia- no Imperatoribus , ubi con- venerunt 630. Episcopi contra omnes hæreses, presertim contra Euthychetem Constantino- politanum Archimandritam, in Christo unam naturam afferen- tem, & ejus defensorem Dios- corum Alexandrinum Episco- pam, ubi illi condonati fuere cum alijs hæreticis , & definitum, sic Christum de Virgine natum , ut dux naturæ, divina, & humana secundum subst- tantiam realiter distinctæ, & impermixtæ remanserint, uni- tæ solum in unitate persona Verbi; ita ut Christus verus Deus sit, & verus homo. Præ- missa quatuor principalia Con- cilia Ecclesia Sancta tanquam quatuor Evangelia amplecti- tur,

tur, & veneratur eam D. G. e-
gorio ia c. *Sicut*. distiast. 15.
De Concilijs erudité agit Bel-
larminus tom. I. controv. 4.

27 *Quintum Constantinopolitanum II.* anno 553. con-
tra Origenistas, quorum plu-
res fuerunt errores, scilicet,
animas omnes fuisse ab initio
mundi creatas, seu fuisse An-
gelos, & pro qualitate delicti
in varia corpora tanquam in
carceres mitti. Item Verbum
non esse veré, sed tantum par-
ticipativè (saltem ut aliqui
ipsis attribuunt) Deum: infer-
num nihil esse, nisi conscienc-
iæ terrorem: deemones, dam-
natosque aliquando salvos fu-
turos: Christum etiam pro dia-
bolis passum esse, &c.

28 *Sextum Constantinopolitanum III.* anno 680. con-
tra Monothelitas unam tan-
tum voluntatem in Christo assi-
rentes. 7. *Nōcēnum II.* ann.
787. contra Iconomachos, seu
imaginum impugnatores. 8. *Constantinopolitanum IV.* an-
no 869. contra Photium Patriarcham Constantinopolita-
num, ut intrusum. Nota, quod
adhuc duo alia fuerint Conci-
lia, scilicet, sub Nicolao I. &
Joanne VIII. quorum quodlibet
dicitur etiam *Ostavum*; sed
hæc duo non sunt legitima.
Videri potest Baron. ad an-
num 869. num. 64. & alij.

Nonum, *Lateranense I.* anno
1122. aut 1123. pro pace in-
ter Ecclesiam, & Imperium.
Item contra Saracenos pro
recuperanda Terra Sancta. De-
cimum, *Lateranense II.* anno
1139. pro jure Cleri. Unde-
cimum, *Lateranense III.* anno
1179. contra Albigenses (quos
aliqui Catharos, alij Waldenses
vocant) negantes necessitatem
Baptismi in parvulis; fealem
Christi in Eucharistia presen-
tiā, Corporum resurrectio-
nem, &c. Item contra Schisma-
ticos ab Anti Papis creatos.

29 *Duodecimum, Late-
ranense IV.* ann. 1215. contra
Albigenses, Joschitum, &c.
pro Ecclesiæ moribus, & recu-
peratione Terra Sancta. De-
cimum tertium, *Lugdunense I.* ann. 1245. contra Frederi-
cum Imperatorem, & pro Ter-
ra Sancta Decimum quartum,
Lugdunense II. ann. 1274. con-
tra Græcorum errores, & pro
Terra Sancta. Decimum quin-
tum, *Viennense* in Gallia ann.
1311. contra Templarios, Fra-
tricellos, Beguardos, Begui-
nos, &c. Decimum sextum,
Florentinum ann. 1439. quod
dicitur varié translatum, &
tandem Romæ 1445. finisse
contra errores Græcorum. De-
cimum septimum *Lateranense V.* ab ann. 1512. usque ad anni.
1517. ad tollendum schisma

propagatum per Conciliabulum Pisanum ann. 1511. de hoc tamen dicit Bellarm. de Concil. lib. 2. c. 13. Nonnulli dubitant, an fuerit vere generale. Decimum octavum, Tridentinum ab ann. 1545. usque ann. 1563. contra Lutherum, aliosque Hæreticos, & promorum reformatione. Hæc Sacro-Sancta Synodus est quasi totius Christianæ doctrinæ compendium; & ea omnia, quæ sunt in decretis, & canonibus definita, sunt ita clara, ut explicatione non indegant.

DE SANCTIS PATRIBUS.

30 **A**D explanationem Sacrae Scripturæ, & confirmationem doctrinæ, quam prædicamus, sententijs Sanctorum PP. & aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum uti debemus, quantum ad omnia ea, quæ ab Ecclesia universali sunt approbata, & communiter recepta; inter quos præcipue eluent Hieronymus in sensu litterali; Ambrosius, in Allegorico; Augustinus in Anagogico; Gregorius in Morali. Semper autem sunt attendenda Romanorum Pontificum sanctiones, etiam si doctrinæ sint Augustini, nam de fide est, non Augustinum, sed Romanum Pontificem ex Cathedra loquentem errare non

posse in materia fid i, aut mortum. Hinc Augustinus ipse ait cont. Epist. fun. *Non credarem Evangelio, nisi quia Ecclesia Catholicæ credo.* Immò super quamplurimis doctrinis Sanctus sancte se retractavit, pro quo librum Retractationum construxit. Adde, præfatos Sanctos Patres in aliquibus discordare, quæ Ecclesia permittit, quatenus nec contra fidem, nec contra bonos motes redundant.

31 Quando autem inter se Patres, & Doctores discordant, liberum est nobis sequi, quem volumus: abstinentia tamen est ab illis opinienibus, quæ possunt controverti, & repelli, quia non ad disputandum contra Patres, & Catholicos Doctores, sed ad populum erudiendum, pergamum ascendimus. Hinc Sacram Scripturam contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, aut contra unanimem Patrum consensum, prout Tridentina Synodus cavit, prædictori nullomodo ad suos sensus contorquere licebit: si vero aliquam novam interpretationem ab Ecclesiæ sensu, Sanctorumque Patrum sententijs non alienam, ad fidei catholicae doctrinam illustrandam, vel ut pietatis studium excitet, aliquando af-

ferre volunt, aliquid brevi
præfabitur, quo id sibi licet
humiliter petet.

32 Sententiae tamen SS.
PP. postquam latine prolatæ
fuerint, vulgari idiomate ver-
tendæ sunt ad erudiendam ple-
bem. Nec parvipendenda est
authoritas Philosophorum, il-
lorum inquam, qui non so-
lum naturæ vim, & effectus,
verum etiam morum, & vita-
normam investigaverunt, id-
que magna ex parte sunt con-
secuti, ut fuerunt Plato, Aris-
toteles, Seneca, Tullius, &
alij; istis enim usi sunt quo-
que SS. PP. in suis concionis-
bus ad majorem perditionum
fidelium confusionem.

DE RATIONIBUS.

33 Postquam authori-
tatibus probata
fuerit propositio, consequens
est illam fulcire rationibus,
quas vel Doctores, vel ipsum
ingenium dare possunt. Ratio-
nes autem deducendæ veniunt
a locis communibus, videlicet;
à *Definitione*: Definitio
est, quæ explicat naturam rei
definitæ, vel per proprium ge-
nus, & propriam differentiam,
quæ est propriè *definitio*; vel
per alia additamenta, quæ ta-
men non possunt alteri conve-
nire, & hæc vocatur *descrip-*

tio. Exemplum hujus loci dat
D. Gregorius Nissen, qui ut au-
ditores excitaret ad gratias
Deo agendas, sic hominem de-
finuit: *Homo est opus Dei ratio-
ne præditum, ad ejus, à quo
creatum est, imaginem fac-
tum*.

34 Utitur etiam Ecclesiast-
icus Orator definitionibus à
sensibus hominum ductis, ut
est definitio, quam assert Jacob.
Apost. cap. 4. v. 14. *Quæ
est enim vita vestra? Vaper
est enim, ad modicum patens,*
¶ *deinceps exterminabitur.*
Interdum etiam alienis à vul-
gari loquendi consuetudine;
quomodo D. Basilius in ora-
tione ad divites, postquam eo-
rum excusationem proposuit,
deinde arguento à definitio-
ne sumpto redarguit, dicens:
*At te ipsum pauperem esse di-
cis: & ego assentior: pauper
enim est, cui multa desunt, ut
multis autem rebus indigetas
insatiabilis habendi cupiditas
efficit.*

35 A partium enumera-
tione dicitur argumentum,
quando enumeratis alijs rebus,
quæ possent ad rem facere, præ-
ter illam ab Oratore proposi-
tam, non inveniuntur, quod qua-
ritur. Exemplum habetur in
Ecclesiaste Salomonis ad pro-
batum, quod omnia vanitas.
Item in Prophetia Jeremiæ c. 9.
ubi

ubi ostenditur in solo Deo gloriam, enumeratis rebus, in quibus homines gloriari solent, his verbis: *Non glorieatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non glorieatur dives in divitijs suis; sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire, & nosse me, quia ego sum Dominus.* Ab Ethymologia sumitur declarando rem ex vi, & natura nominis, quo res quæque prædicta est. Exemplum dat S. Hieron. qui scribens ad Heliodorum monachum, hoc utitur argumento: *Interpretare nomen Monachi: hoc est nomen tuum: quid igitur facis in turba, qui solus es?*

36 A conjugatis. Conjugata dicuntur ea, quæ ab uno orta varie commutantur, quorum usus est frequens: v. g. *Si Christiani sumus, Christiane vivamus.* Exemplum etiam præbet Apostolus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de Cœlo cœlestis, sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis.* A genere, & specie: à genere potest argumentari ad speciem, v. g. *Vitium est fugiendum: igitur fugienda est avaritia.* Item à converso à specie ad genus: v. g. ad probandum, peccata miseros ho-

mines efficere, sic construi argumentum potest: *Adulterium, homicidium separant à Deo, quæ est maxima miseria: igitur peccata miseros homines efficiunt.* A simili sic argumentum ex comparatione unius rei cum altera, quo in aliquo assimilantur, v. g. *Sicut vita naturalis illius agroti desperatur, qui naturalia medicamina spernit, ita vita gratiæ desperatur peccatoris, qui spiritualia medicamenta contemnit.*

37 A dissimili etiam sumitur argumentum per dissimilium comparationem: Exemplum habetur in libro Prover. cap. 4. ubi dicitur: *Istorum autem semita, quasi lux splendens procedet, & crescit usque ad perfectam diem: via impiorum tenebrosa.* A contrario. Quatuor secundum Ciceronem sunt contrariorum genera, *Adversa, Privantia, Relativa, & Contradicentia,* à quorum singulis potest Ecclesiasticus Orator suum ducere argumentum. Ab adversis. Adversa sunt ea, quæ sunt positivæ opposita, seu contraria, ut *Superbia, & humilitas; jejunium, & irapula, &c.* Unde ab adversis poterit sic argumentari: *Superbiæ omnium peccatorum matrem esse scimus, humiliatem ergo omnium fun-*

damentum virtutum insectemur. A privantibus. Privantia sunt illa, quæ privative opponuntur, ut forma, & ejus carentia in subiecto apto nato ad illam habendam. Ita *gratia*, quæ appellatur *lux*, privative potest intelligi opposita *peccato*, quod vocatur *tenebra*. Unde sic potest formari argumentum: *Sicut lux gratiæ est amanda, ita tenebra peccati est fugienda.*

38 A relativis. Relativa illa sunt, quorum unum referunt ad aliud, ut *Pater*, & *Filius*, *Dominus*, & *Servus*. Exemplum hujus argumenti à relativis habetur in Malachia, cap. I. his verbis: „Filius honoret patrem, & servus dominum suum: si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? A contradicentibus. Contradicentia, seu contradictionia ea sunt, quorum unum negat illud, quod alterum affirmat, ut *scire*, & *non scire*: à contradicentibus igitur potest hoc modo Orator ducere argumentum, v. g. „Qui Christum diligit, mandata ejus servat: igitur qui ejus mandata non servat, Christum non diligit.

39 Ab adjunctis. Adjuncta dicuntur ea, quæ cum rebus, vel personis quoquomo-

do sunt conjuncta, sive inseparabiliter, ut sunt proprietates, & attributa: sive separabiliter, ut locus, tempus, vestitus, comitatus, apparatus, colloquia, velocitas in incessu, rubor vultus, pallor, & alia, quæ rem magis exprimunt, & actiones aut meliores, aut deterriores, efficiunt. Hoc loco usus est S. Basilius Serm. de jejunio dicens: „Jejunantis color gravis, vitatis plenus est, non in impudentem ruborem ei florens, cens, sed pallore modesto ornatus, placidus, & lenis oculus, sedatus incessu, vultus ahimi secum loquentis index, nulla intemperantis risus insolentia, moderatio linguae, & cordis puritas, &c.

40 Ab antecedentibus, argui potest deducendo consequencias, quæ ex illis necessario sequuntur. Exemplum; dicit Apost. I. ad Corin. cap. 13. Quod Charitas patiens est, benigna est, Charitas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, &c. igitur qui est charitate praeditus, patiens est, benignus, &c. A consequentibus. Non infructuosum erit à consequentibus etiam probare antecedentia, hunc enim locum adhibuit ipse Christus in Evang. Matth. cap. 5. ubi à consequentibus probat: „Beatos esse

„ pauperes Spiritu, quia ip-
„, forū est Regnum Celō-
„, rūm. Item Beatos mites, quo-
„, niām ipsi possidebunt ter-
„, ram, &c. A repugnantibus.
Repugnantia differunt à con-
trarijs, & dissimilibus, eo,
quia illa aliquem ordinem ser-
vant inter se; illa verò neque
aliqua certa lege, neque ordi-
ne inter se opponuntur. Sic
repugnare dicuntur fatum cum
hominis libertate; invidia cum
charitate; crudelitas cum de-
litijis, &c. Hoc loco usus est
D. Ambros. in Serm. Decollat.
S. Joann. Bapt. ubi ait: „ Pos-
„, tremo (quod etiam omnes
„, Barbari horrere consueve-
„, runt) inter epulas, atque
„, convivia consummandæ cru-
„, delitatis profertur edictum,
„, &c. Et infra: Quid crudeli-
„, tati cum delitijs? Quid cum
„, funeribus voluptati? &c.

41. *A causis.* Quoniam
quatuor sunt genera causa-
rum; Materialis scilicet, ex
qua res est: *Formalis*, per
quam res est: *Efficiens*, à qua
res efficitur; & *Finalis*, cu-
jus gratia omnia sunt. Hinc
à singulis poterit Ecclesiasticus
Orator suum elicere argumen-
tum, ut infra. *A causa mate-
riali.* Quia è limo terræ forma-
ti sumus, S. Basilius in Opus-
culo: Attende tibi: hunc lo-
cum ita expressit dicens: Exul-

tas ob divitias, & ob majo-
rum tuorum nobilitatem te-
guntas, & propter Patriam,
& pulchritudinem corporis?
Attende tibi ipsi, quod morta-
lis es, quod terra es, & in
terram reverteris. *A causa for-
malis:* Ita arguit D. Bernar-
dus: O anima insignita Dei
imagine, decorata similitudine,
redempta Christi sanguine, des-
ponsata fide, dotata spiritu,
deputata cum Angelis, capax
beatitudinis, quid tibi cura
carne?

42. *A causa efficiente.* Ad-
hibet exemplum Regius Psal-
mista Psal. 93. dicens: Qui
plantavit aurem non audiet?
aut qui fixit oculum non con-
siderat? Probans per hoc,
Deum humana curare. *A causa
finali:* sic argumentari poterit
Orator: Homo ad consequendam
eternam beatitudinem est for-
matus: stulti igitur, qui in tem-
poralibus delitijs, in divitijs, in
honoribus beatitudinem colo-
cant. *Ab effectibus.* Sicut qua-
tuor sunt genera causarum; ita
quatuor genera effectuum, qui
ex illis causis oriuntur. Ab hoc
loco ostendit Christus Joann.
cap. 10. se esse bonum Pasto-
rem, dicens: Bonus Pastor ani-
mam suam dat pro ovibus suis:
mercenarius autem videt lu-
pum venientem, & fugit;
quia mercenarius est, &c. A

comparatione ; ducitur argumentum , quando arguitur , vel à majori ad minus , vel à minori ad majus , vel à pari . A majori ad minus usus est D. Hieron. scribens ad Heliodorum , his verbis : *Filius hominis non habet , ubi caput suum reclinet : & tu amplas porticus , & ingentia tectorum spatia metiris.*

43. *A minori ad majus* arguit D. Basilius in oratione ad divites : „ Mare novit terminos suos , nox non transgreditur antiquam termini descriptio- nem : at vero Avarus non ve- tur tempus , non statuit ter- minum , non concedit conse- quentias successionis ; sed ig- nis violentiam imitatur , om- mia corripit , omnia depasci- tur . A pari concinna Sanct. Aug. in quodam serm. his ver- bis : „ Et nos , & omnis po- pulus unius Domini servi sumus , & si bene agimus , ad unam beatitudinem pari- ter perveniemus ; & quare pauper tecum non capiet ci- bum , qui tecum accepturus est Regnum ? quare pauper non accipiat , vel veterem tunicam , qui tecum receptu- rus est immortalitatis gloriam ? quare pauper non meretur panem tuum , qui tecum ad convivium invitatus est An- gelorum ? ”

DE SIMILITUDINIBUS.

44. **S**imilitudines , quæ certe magna vi- tatem illuminant , & voluntatem movent , etiæ possunt , vel ex ipsis humanis actioni- bus unam cum alia compa- rando quomodo Christus D. si- militudine vigilantis Pastoris , & ovis errantis obligationem superiorum circa subditos os- tendit . Vel ex naturali histo- ria , nempe , ex proprietatibus , & natura herbarum , florarum , plantarum , & animalium , quo- modo Deus in Deuteronomio , c. 32. ostendit Hebreis curam , quam de ipsis habuit , simili- tudine Aquilæ , dicens : *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos , & super eos vo- litans expandit alas suas , & assumpit eum , atque portavit in humeris suis.* Vel ex ipsis vulgaribus rebus : quomodo ipse Christus assimulavit Ver- bum Dei semini ; quem semi- navit homo in agro suo . Ca- vendum ne similitudines inde- center , & viliter afferantur , alioquin risum , & non fruc- tum in auditoribus excita- bunt .

*** *** ***

DE EXEMPLIS.

45 **U**ltimum, quanvis non infimum locum in Sacra concione obtinent Exempla: plurimum enim valent ad movendum auditorum animos. Sumenda autem sunt præsertim Exempla ex historijs Sacris Sacrae Scripturæ, vel ex vitis Sanctorum, & Sanctorum, vel ex mirabilibus a Deo patratis in peccatoribus, sive ad ostensionem misericordia suæ, sive justæ vindictæ. Dixi: *præsertim ex historijs Sacris*: nam historiae prophanae, quæ ex vitis gentilium, vel mundanorum viorum desumuntur, quanvis aliquando pro qualitate materiae de qua agitur, probæ sint; non tamen ita frequenter, sed parce eis uti debet Sacer Orator. Historia vero naturalis, quæ ex ipsa natura sumitur, & proprietatibus rerum visibilium à Deo creatarum non inservit ad exempla, sed valde utilis est ad Verbum Dei comprobandum per similitudines, comparationes, & per argumentationem à minori ad majus.

46 Advertenda autem sunt quinque. Prim. quod quamvis utilis sit aliquando etiam Sanctorum peccata, & errores ad humanam ostendendam infir-

nitatem, & excitandam spem in magnis peccatoribus, in memoria revocare: haud tamen ita frequenter illa commemorare debemus, ne auditores inde licentia occasionem sumant, & erudiantur, ad ex,, eosandas excusationes in,, peccatis. Secund. ne insipidis descriptionibus circumstantiarum loci, temporis, vel prærogativarum personæ, vel alterius rei, quæ affertor in exemplo, detineatur Oratio, ut describendo pulchritudinem, indumenta, & similia, cum naturaliter ipsa historia producta fructum afferre possit. 3. ne colloquium inter personas historiae inducatur, nisi ipsa historia verba præbeat, vel probabiliissime inferantur. 4. ne ita breve Exemplum sit, ut cor penetrare non valeat: nec ita longum, ut tedium auditores afficiat. 5. quod à fabulis Poetarum Sacer Orator absineat, vel adeò parcè illis utatur, & breviter, ut ferè nihil sit, quando scilicet aptissimè cadant, & in talibus circumstantijs, ut pro antidoto essent, non tamen professionem rediderent: non enim bene Arca testamenti, & Idolum Dagon convenient.

INQUIRES.
QUOMODO DEBEAT
concio efformari?

47 **O** Maia Orationum genera, quæ à Rheticis efformari possunt, ad tria principaliter reducuntur, & sunt: *Demonstrativum*, videlicet, *Judiciale*, & *Deliberativum*. *Genus demonstrativum* est illud in quo laudatur, vel vituperatur. *Judiciale* in quo accusatur, vel defenditur. *Deliberativum* in quo persuadetur. *Genus demonstrativum* habet pro objecto *præteritum*, & honoratum. *Judiciale* *præsens*, & *justum*. *Deliberativum* verò futurum, & utile. His autem tribus generibus addi potest quartum, quod vocatur *Doctrinale*, & consistit tantum in edocendo veritatem, & in declarando textus, leges, & præcepta. Unde qualibet concio in uno ex his generibus potest ab Ecclesiastico Oratore efformari.

48 *Genus demonstrativum*; solum consistit in narratione. Unde concio in genere demonstrativo tunc sit, quando enarrantur mysteria fidei, vel vita Sanctorum, aut Tyrannorum, atque hominum impio-

rum facinora. In quo genere observanda sunt ea, quæ à Legistis observantur, contenta in illo versu.

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Verbi gratia, si sermo sit de aliquo Sancto, Primo memorare debet, *Quis fuerit*, scilicet ejus nomen, parentes, & patriam. 2. *Quid egerit in tota vita sua corsu, nimisrum, exercitia virtutum, heroicas actiones, prodigia, & miracula*. 3. *Ubi ea omnia patravererit*. 4. *Quibus auxilijs, videlicet, miracula, in virtute Nominis Jesu, vel signo crucis, vel invocatione B. Mariæ Virginis, aut alterius Sancti: Exercitia verò virtutum auxilio Dei, medio S. Orationis, &c.* 5. *Cur, seu ad quem finem ea omnia egerit*, scilicet, ad majorem Dei gloriam, salutem animæ suæ, & aliorum utilitatem. *Sext. quomodo*: hoc est agendo de miraculis, an illa patraverit impositione manuum, vel vestium contactu, aut Olei Unctione, &c. Si vero de virtutibus, quomodo eas exercuerit, referendo modos ab eo adhibitos in oratione agenda, in observando castitatem, paupertatem, obe-
dien-

dientiam , abstinentiam , pa-
tientiam , humilitatem , chari-
tatem , &c. 7. tandem *Quan-*
do; quo tempore illa patrave-
rit. Similiter observandum , si
sermo fiat de aliquo mysterio.
Potest etiam hoc genus De-
monstrativum ad virtutes , &
vitia adhiberi , quando , scili-
cet , concio tantummodo fisiit
in laude virtutum , vel in vi-
tuperio vitiorum , quod fit
per eorum definitiones , vel re-
censendo bona , aut mala , qua-
causant.

49 *Genus judiciale* , pro-
priè dictum , ad Ecclesiasticum
oratorem pertinere non potest:
quia in sacris concionibus mul-
lus adest reus , nullus defensor ,
nullus Judex : dicitur autem
metaphorice in genere judicia-
li versari , quando ita acriter
vitia , & perversas consuetudi-
nes reprehendit , ut accusare
videator constituendo tan-
quam reum ipsum vitium , &
structuram ex judiciali genere
desumptam adhibendo.

50 *Genus deliberativum*
exercet orator , quando scrip-
toris , rationibus , exortationi-
bus , vel minis suadet odium ,
& fugam alicujus vitij , aut
amorem , ac desiderium virtu-
tis. *Genus Doctrinale* adhibet ,
quando Concionatoris , finis , &
scopus principalis alias non est ,
quam edocere veritatem , seu

edocendo explanare aliquod
mandatum Dñi , vel Ecclesiae ,
aut exponere , sive literaliter ,
sive mystice totum Evange-
lium , vel aliquam ejus par-
tem , aut Sac. Scripturam , &
similia.

INQUIRES.

QUOT SINT PARTES orationis Ecclesiasticae?

51 **S**eptem enumerare so-
lent Rhetores ora-
tionis partes , & sunt : „ Proœ-
mium , Narratio , Probatio ,
„ Confirmatio , Confutatio ,
„ Amplificatio , & Epilogus .
Hæc tamen partium distinctio
non ita Ecclesiasticum orato-
rem adstringit , ut illæ omnes
necessariae arbitrentur : *Narra-*
tio namque non est semper ne-
cessaria , nisi in genere demons-
trativo. *Confirmatio* , & *con-*
futatio probationi subjecta est ,
& in ea continetur ; is etiam ,
qui amplificat , quodammodo
probare videtur. Et tandem
Proœmium , seu *Exordium* , &
Epilogus , seu *peroratio* admo-
nitionis , & intelligentiae causa
adhibentur ; quod haud sem-
per necessariò est agendum ,
præsertim in re facili , & nota:
Unde omnes orationis Eccle-
siasticae partes ad duas nece-
ssarias , reduci possunt , quæ sunt
Pro-

Proposicio, seu *propositum*, &
probatio; quoniam vero regu-
lariter exorditur Sacer Ora-
tor, aliqua etiam de exordio
tangam.

52. Exordium, seu proce-
mum est institutum, ut audi-
tores dociles, attenti, ac bene-
voli reddantur. *Dociles* au-
ditores reddet orator, si recto
ordine se dicturum, & argua-
tas *questiones* omissorum in-
terdum pollicebitur. *Attentos*,
si dixerit, se de salute anima-
rum sermonem habitum, &
quod ipse Deus docuerit; aut
Sancti PP. scripsierunt eauclea-
tum. *Benevolos* tandem, si
neque inanis glorie cupiditate,
nec avaricia, sed zelo Dei, &
animarum salutis dicendi mu-
nus assumptissime protistabitur.
Debent tamen Exordia modeſta
esse, seu *verecunda*, *gra-
via*, & *brevia*. *Modeſta* qui-
dem, seu *verecunda*, quaten-
us, scilicet, numquam *Prae-
dicator*, aut raro, si necessi-
tas cogat, se ipsum laudet, vel
de se ipso loquatur, sed humi-
litatem ex orationis principio
preferat. *Grave* item esse de-
bet *Exordium*, aliqua videlicet
præclara sententia illustra-
tum proprijs verbis, & mini-
me otiosis, quod dicendum
est exprimens: Et *Breve*, ut
ab omni vanitatis suspicione
alienus esse judicetur.

53. *Quantum ad loca Exor-
diorum*; exordia duci possunt
vel à re ipsa, de qua agitur,
seu ex ipsis orationis visceri-
bus; vel ab auditoribus; vel
à loco; vel à persona ipsius
oratoris; vel à similitudine;
vel ab exemplo; vel à sen-
tia Sacra Scripturæ. Majorem
etiam vim habent, si acumine,
aut novitate auditorum mul-
ceant aures. Nonnumquam
etiam ex abrupto ordiendū.
Ad hoc Ecclesiasticos oratores
moneo, ut copiam sibi Exor-
diorum, & Epilogorum è San-
ctis Patribus colligant, ut fa-
cilius, atque utilius ex tem-
pore dicant.

PROPOSITIO.

54. **P**OST Exordium uta-
tur Ecclesiasticus
orator propositione illius rei,
quam demonstrare intendit: ad
quam propositionem tria ne-
cessariò exiguntur. 1. quod sit
una, ita ut *omnia*, quæ in
conciō dicentur, sive pro-
bando, sive amplificando, si-
ve confutando, &c. ad unam
conclusionem principalem re-
ducantur: alioquin, si propo-
sitione non erit una, neque con-
cio una erit, sed multiplex:
v. g. de jejunio fieri possunt
quam plures propositiones,
ut: Quod jejunium sit meri-

,, torium : quod sit satisfactorium : quod sit antiquum, ,,&c. quæ sunt plures propositiones. Dicitur autem propositione una, quando unum habet subjectum, & unam passionem. 2. quod sit *Catholica*, videlicet, consona fidei, & Sanctæ Matris Ecclesiæ locutioni. 3. quod sit *Popularis*, quæ, scilicet, populorum infirmitati, aut moribus sit accommodata.

55 Ad orationem disponendam inservit propositionis divisio: sed cavendum est ne ita instrumento dividendi delectetur orator, ut confusione potius pariat, quam memoria consulat. In tria igitur, vel ad sumnum quatuor capita, seu puncta est propositione dividenda. Exemplum sit propositione : *Jejunium est utile animalia*. Hæc propositione potius dividitur in illa quatuor ab ipsa Ecclesia enumerata, nempè, *jejunium vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & confort præmia*. Ex quo patet, quod partes, in quas propositione dividitur, habere debent inter se aliquem nexus, ita ut omnes ad illam unam propositionem reducantur.

**

DE ARTE INVENIENDI propositionem.

56 **A**RS inveniendi propositionem est Sacram Scripturam diligenter perlegere, & ponderare, germanumque illius sensum, & non extortum inquirere, ac juxta illum firmas, & æternæ veritatis maximas efformare, quibus utetar pro temporis opportunitate. Jubat Sacros expositores, Sacrorumque Concionatorum argumenta, ac materiarum indices pervolvere, & imitari. Sed illud permaxime proderit ad firmiores, profundioresque propositiones invenidas, ad orationem mentalem configere, atque in ea exerceti. In hac enim ipse Spiritus Sanctus mentem interius illuminat, & profunda cœlestium mysteriorum arcana revelat. In hac quippe Schola Sancti Patres, scientia haud humanitas acquista, sed potius divinitus infusa tot solidas veritates, & inconcasas doctrinas didicere, torque volumina concripsere.

57 Epilogus, seu peroratio est terminus orationis. Terminatur saxe sermo sine commotione, præsertim, quando sententia aliqua explananda è Eeez Sa-

Sacris litteris sumitur, ut fecit S. Aug. in Sermonibus ad populum, dicens: *Hæc retinete, huic fide animas vestras subjigate, à Christo Domino premia consecuturi Cœlestis Regni.* Utile tamen est sàpè cum aliqua commotione animi orationem concludere: commotionis autem Christianæ, quatuor sunt species, scilicet, timor, spes, dolor, seu pœnitentia, & Lætitia. Hinc, ut auditorum animos exciter, poterit hos locos Ecclesiasticus Orator sibi præscribere, vide-lacet, ut ab illecebris diaboli, à mundi amore, à domestica voluptatum tyrannide illos abducat, aut ipse pro auditoribus pœnitentibus loquatur, aut faciat eos interdum orantes, atque deprecantes; aut deploret, deprecetur etiam cum lacrymis; non longa tamen oratione, cum nihil citius arcessat, quam lacryma.

INQUIRES,

QUO ORDINE DISPO-
nenda sit Concio?

58 IN principio Sermonis, seu in Exordio Ecclesiasticus Orator, de quo sibi dicendum sit, proponet. Deinde, quod propositum fuit explanabit: definitio-

ne uretur, divisione, rerum distinctione: brevem nonnumquam rationem subjicit: exemplo, & similitudine rem declarabit: breviter interdum digreditur, ita tamen, quod unde deflexit oratio, eo iterum redire significet: concludat interdum singulis argumentis, nonnumquam pluribus explicatis. Quæ explicaverit, cum ijs, quæ sequuntur, conjungeret, ad ea insensibiliter transiens, & tandem pro ultima conclusione ferventiora, & magis penetrantia adhibeat verba, interdum appositè, breviter recapitulando discursum, ut melius in audientium memoria permaneat. Talem etiam adhibeat methodum, ut à principio usque ad medium concessionis auditores instruat, ac deinceps usque ad finem moveat, & pios affectus ultimo loco excitet.

DE PERSPICUITATE
Orationis Ecclesiastice.

59 Petspicuitas orationis in hoc consistit, quod Ecclesiasticus Orator utatur in diceendo verbis, & nominibus magis proprijs, ac communibus, quæ videlicet, communis loquendi usu recepta sunt, non autem obscuris

Vocabulis, vel translatis, quæ non versantur in usu ; quomodo enim persuadere poterit, si non intelligatur ? Excipe tamen ea, quæ proprijs vocabulis explicata, sine vercundia, vel horrore audiri nequeunt; ut sunt quædam corporis partes, & etiam aliqua peccata nefanda, quorum nomina propria omnino sunt supprimenda, & circumlocutione explicanda.

INQUIRES.
QUOMODO PRÆDICARE
debeat.

60 **A**D hoc ut prædicatione Verbi Dei finem suum sortiatur, sex præsertim requiruntur : id est : *Divini auxilij imploratio*; *Decor Prædicatoris*; *judicium in dicendo*; *emendata locutio*; *Pro-nuntiatio*, & *Actio*.

DE IMPLORATIONE
divini auxilij.

61 **P**rincipium elocutionis, & totius Ecclesiastice eloquentiae à divini auxilij imploratione sumendum est. Quis namque audeat de Deo sine Deo fati, aut de divinis sine ope divina tractare? Idecirco, nisi meditatione præcedente, & precibus ad Deum fu-

sis, nemo debet ad verbum Dei enuntiandum assurgere, ne aliquando divino destitutus auxilio, præclarissimum hoc munus dedecoret. Hortarer etiam, ut nisi prius coelesti pane refectus, Angelicum hoc ministerium non subiret.

DE DECORE SERVANDO.

62 **N**Onnullæ præscribuntur leges, ut *Decor*, tum prædicatoris, tum prædicationis servetur. 1. Requiritur, quod vita Oratoris ab oratione non discrepet, nè de ipso dictum Salvatoris Matth. c. 23. verificetur : *Hi sunt, qui dicunt, & non faciunt*. Neque enim faciliter persuadet Orator, si illud, quod verbis docet, moribus contradicit. 2. Ne unquam falsum dicat, vel mendacia proferat, nec etiam si speret inde animas omnes peccatorum ad pœnitentiam se posse convertere: Dens enim nostris mendacijs non eget. 3. Ne auditoribus aduletur, eos varijs epithetis, & titulis frequenter laudando, quamquam aliquando, si suo loco, & tempore adhibeantur, aliquid valeant ; sed parce illis utendum est : aptius enim esset appellare *Fratres*, & *Sorores in Christo*, *animas à Deo benedictas* : *animas Christianas*.

nas : populum Dei : Filios charissimos : dilectissimos auditores ; & similibus. 4. Ne se ipse jacteret , aut suas res pulcherri- mas non antea auditas se dicturum pollicendo : vel narrando se in alijs locis dixisse , & admiratione concitasse . 5. Tandem , nè supervacaneis , & inutilibus verbis tempus conterat .

DE JUDICIO IN DICO-

63 **J**udicium , seu prædicatoris providentia , in hoc consistit , quod prius diligenter inquirat mores , & præcipua vitia illius civitatis , oppidi , aut loci , ubi est concionaturus , ad hoc , ut pro diversitate morborum opportuna adhibere possit medicamina , non enim eadem ubique colliria sunt aplicanda . Similiter concionem suam ad ingenium , & conditionem audiencium acommodare studeat ; sicut enim non decet pauperes , vel rusticos objurgare de opiparis epulis , & de vestium pompa ; ita neque decet ad ignoratos ea , quæ intellectu difficultaria sunt prædicare . Attende re igitur debent Concionatores prius statim , & conditionem audiencium , atque circumstan- tias alias loci , temporis , &c.

nè dicatur eis illud Jer. Thren. cap. 4. *Parvuli petierunt panem , & non erat , qui frangeret eis.*

DE EMENDATA LO- CUTIONE.

64 **E**MENDATAM locutionem in con- cionando commendat N. Seraphicus P. S. Franciscus Fratribus suis , in 9. cap. Regulae his verbis : „ Moneo quoque , & ex- „ hortor eosdem Fratres , ut in „ prædicatione , quam faciunt , „ sint examinata , & casta eo- „ rum eloquia ad utilitatem , & „ ædificationem populi Ad hoc igitur , ut emendate loquatur Ecclesiasticus Orator , hac ob- servate debet . Caveat 1. nè so- lecismis , ac barbarismis audi- torum aures offendat . 2. Nè verbis jocosis , vel facetijs ri- sum excitantibus , aut minus honestis Sermonibus , vel des- criptionibus obsecrabilitatem potius , quam pietatem sapien- tibus , aut fabellis , vel somnijs utatur , ne fructum animarum amittat , & suspicionem præ- beat de se ipso . 3. Nè fati fortunæ , infortunij nomine , aliaque id generis ab Ecclesiæ usu jam pridem explosa , fre- quenter usurpet . Neve deos , vel deas , nisi improbando , vel deridendo Gentilium fatuita-

tem appellare audeat , quos illi tanquam deos veneraverentur. 4. Néanicularum adhibeat proverbia.

65. 5. Né prædicet miracula falsa , vel incerta , aut prophetias per Sacram Scripturam non approbatas , & à fortiori à se ipso temerè excogitatas : dicendo , Deum , vel Christum locutum fuisse ; quod execranda hypocrisis est. De istis enim conqueritur Dominus , Ezech. cap. 13. dicens: „Veh Prophetis insipientibus, „qui sequuntur Spiritum suum, „& nihil vident. 6. Né historias narret , vel explicationes Scripturæ adhibeat , quæ ex Apocryphis Scriptoribus sunt desumptæ. 7. Né Prælatis Ecclesiæ , vel Religiosis , aut Ecclesiasticis detrahatur , vitia eorum nominatim propalando , sive verbis expressis , sive æquipollentibus. Dixi *nominatim* quia licitum est concionatori generalibus verbis , vitia etiam Prælatorum , & Ecclesiastico-rum dulciter reprehendere. Et quod dixi de personis Ecclesiasticis , etiam de secularibus est intelligendum , cum hoc tamen discrimine , quod nunquam de perversis quorundam Prælatorum , vel Sacerdotum moribus agat , quin etiam de prælatura , vel Sacerdotij dignitate , & autoritate multa dicat.

66. 8. Quod in vitijs reprehendendis à contumelijis , injurijs , & execrationibus se abstineat , non enim ad rixandum , sed admonendum Sacer Orator pulpitum ascendit. 9. Quod nunquam de prædestinatione loquatur , quia aliqua de libero hominis arbitrio attingat. 10. Quod nunquam matrimonium ita laudet , ut virginitatem ei non anteponat. 11. Né contra piam , & communem sententiam de Immaculata B. Mariæ Virginis Conceptione aliquid dicere , vel disputare audeat. 12. Né alicujus Sancti Patris sententiam temere refutet. 13. Né singulares quasque opinio-nes (ut ceteris doctior videatur) in medium afferat , sed tantum illas , quæ non sunt ab Ecclesiæ usu , & consuetudine alienæ , & quæ cum probari Ecclesiæ Doctoribus sunt consentanea proferat.

67. 14. Ne civiles Magistratus , vel Dominantes , vel Rectores Civitatum , & locorum asperius objurget , sed si aliquando opus erit , pie ad-moneat. 15. Né iratum se ostendat , eo , quia aliquando corona frequentium auditorum ipsi deficiat. 16. Tandem , quod in universum ab illis verbis abstineat , quæ decorem orationis , vel oratoris mi-nuant , aut tollunt , vel admi-

rationem , scandalum , diffamationem , jurgia , errores , & similia in audientibus causare possunt ; sed sapienter , clare , humiliter , modeste , & cum prudentia loquatur , ut decet Sacrum Oratorem .

DE PRONUNCIATIONE.

68 **P**ronuntiation , quæ est maxima artis oratorię pars in idiomate , & vocis moderatione consistit .

DE IDIOMATE.

69 **U**Nusquisque (regulariter loquendo) in illo idiomate , ac in ea lingua , in qua natus est , prædicare debet , ut maiorem , atque uberiorem fructum ex sua prædicatione auditorum animæ percipiant , maximè in propria regione , ubi aliena lingua non ab omnibus universaliter percipitur : caveat tamen vocabula nimis rudia , & aspera , quibus , scilicet , genus infimæ plebis , & mulierculæ uti solent ; sed nobiliora eligit , & præpolitæ , quæ , vide licet , à viris doctis , & civilibus communiter adhibentur .

70 **D**ixi regulariter loquendo ; quia si in aliena Regione prædicet , & præsertim ubi nativum idiomæ minime

percipitur , vel pro vili habetur , tunc studere debet in idiomate communiori , & magis accepto prædicare , quod est v. g. in Italia Idioma Etruscum cum pronunciatione Romana .

DE MODERATIONE vocis.

71 **V**Ocem debet ita Ecclesiasticus Orator moderari , ut , ab oratione non discordet , sed rebus , quas tractat vox sit accommodata . Aliud enim vocis genus , tempore acutum , & concitatum requiritur ad exprimendum zelum Dei : aliud , scilicet , humile , & demissum ad consolandum peccatores , timore propriæ conscientiæ perterritos . Ad exprimendum gaudium , vox esse debet lenis , & remissa . Ad dolorem animi manifestandum , vehemens quidam , & gravis sonus vocis requiritur . Itaque non debet Orator immoderatis vociferationibus uti , ubi remissa vox requiritur , & lenis : neque uti leni , & remissa voce , ubi aliqua facessit asperitas , ne frigida evadat Oratio . Similiter quandam vocis mollitiem , vel magnitudinem non affectet . Nimiam in dicendo tarditatem , & celeritatem effugiat . Et

tandem omnem cantinam vi-
tare studeat , sed solum fami-
liarem , liberam , & natura-
lem dicendi formam adhibeat.
Caveatque ne uno sono semper
vocis tota constet Oratio.

DE ACTIO NE.

72

ACTIO Oratoris,
qua est individua pronuntiationis comes , &
complementum , in motu , &
gestu corporis sita est. Debet
ergo Ecclesiasticus Orator eo
modo , quo vocem , gestum
rebus accommmodare , de qui-
bus tractat. Oculi sunt praci-
pui pronuntiationis comites ,
quorum intensione , & remis-
sione conjectu , & hilaritate
affectiones exprimuntur. In
gestu itaque , & motu corpo-
ris h[ab]et Concionator cavere
debet: scilicet , ne eodem sem-
per gestu , neque manu eodem
modo composita , neque sem-
per eadem vultus moderatio-
ne utatur. Ne pulpitum ma-
nibus percussat , ni quando rei
magnitudo poscit. Ne per pul-
pitum cursitet , vel saltet. Ne
in pulpito unquam corpore
annitur , vel medium corpus
demittat ; sed Rectus stet , aut
sedeat. Ne quando maximē
commovere studet , cris spe-
ciem immutet , quod risum
potius , quam commotionem

excitat , nec labia lambat , vel
mordeat. Ne caput in latus in-
clinet. Ne supercilium contra-
hat , dederat , vel remittat.
Ne humeros attollat , nec tor-
sus contrahat. Ne brachium
tanquam gladiator immodera-
te projiciat , quamvis mode-
rate projectum sit telum Ora-
tionis , quo interdam feriun-
tur anima. Ne sinistram jac-
tet ; nisi in maximo sermonis
calore. Ne manum supra eos ,
vel oculos immediate ponat ,
nec demittat infra pectus. Ne
manus ad femur apponat , nisi
raro , cum ad indignationem
moveat voluerit. Ne pede sup-
plodat , nisi cum de rebus ma-
ximis agit. Ne digitorum ges-
tum indecorum adhibeat , nec
ipsorum argutijs utatur. Ne
crebro expuat , vel tussiat , ni-
si necessitate coactus.

73 Alia indecora similia
fugiat ; studeatque , ut actio sit
libera , ac naturalis , non af-
fectata : Item nobilis , gene-
rosa , & spiritu plena , sancta ,
continens , & sine præcipita-
tione : quod rotum facillime
consequetur , si in principio
suæ exercitationis in hac arte
concionandi peritos Magistros
consulat , à quibus erudi-
tur , & corrigatur.

**

ANIMADVERSIONES
quædam pro Missionarijs, præ-
fertim ad terras Infidelium
mittendis

74 **Q**uoniam ipsum Missionarij nomen aperte satius admonet, eum, qui tam præcipuum Apostolicum opus aggredi copit, debere esse misum; dicente Apost. ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt nisi mittantur.* Ideo primo, advertat unusquisque, qui talentum Verbum Dei anuntiandi obeiuit, ne temere ad hoc munus obeundum se ingerat, sed solum, si Deo interius inspirante, ab ipso sit vocatus tanquam Aaron; quod facile dignoscere poterit, si pro unicō, & principali fine habeat, minime tempore aliquod emolumentum, sed Dei gloriam, & animarum profectum. Et tunc obtenta prius Ordinarij facultate, suorumque Superiorum benedictione, opus tam Deo charum aggrediatur.

75 Supponendum est, quod ex antiqua praxi Ecclesiæ, & ex constitutione Gregorij XIII. & Pauli V. nemo potest ad regiones infidelium accedere Evangelizandi gratia, nisi de Romani Pontificis, vel ab

eo Delegatorum licentia. Si quis verò à Pontifice Romano institutor Missionarius, nulla sibi determinata Provincia, potest per omnes mundi partes missionem exercere. Si autem ad determinatum locum, provinciam, seu nationem destinetur, ad eum tantum locum tenetur se conferre; quoniam nullus Delegatus potest exceedere limites sua delegationes ex Decreto Honorij III. & Glos. *Et andem, cap. de Causis, §. 1. de Offic. Deleg. & in specie de Missionarijs ex Constit. 56. Pij V. accepimus.* Si verò Missionarius non est Praefectus Missionum; ad destinatam Provinciam perveniens, tenetur coram suo Praefecto se sistere, eique in sua missione parere, ex Constit. 74. Clementis VIII. *Honerosa*, in §. 5. Si verò sit Praefectus, tenetur ad Provinciam sua Praefecturæ accedere, & ibi residere, ex Sac. Congreg. de Propag. Fide, die 19. Jannuarij 1644. Nec simplex Missionarius, nec Praefectus potest uti facultatibus concessis à Sancta Sede in locis extra Delegationem, sive in itinere, sive in termino, nisi expressè concedatur, excepto usu prædicationis fidei, ac baptismi, si casus urgeat necessitatis, ex decreto ejusdem Congregat. die quinta Angusti

1630. Nunc resolvuntur sequentia dubia ex nostro Arbiol.

76 Dubitabis 1. *Quales debeant esse Apostolici Missionarij in naturalibus?* Resp. quod regulariter debent habere tria hæc: 1. Ætatem proiectam, seu virilem. 2. Notitiam idiomatis Regionum, ubi facienda est prædicatio. 3. Scientiam sufficientem. Dixi regulariter; nam aliquando potest alius juvenis esse vere prudens, & prudentior senioribus ex dono Dei. Probatur prima pars exemplo Christi, in quo erant omnes Thesauri Sapientiae, & Scientiae Dei, Coloss. 2. v. 3. & tamen non coepit prædicare usque trigesimum ætatis annum. Confirm. ex decreto sæpè in Ecclesia confirmato, ut nullus eligatur in Episcopum, cuius est munus prædicare, usque ad annum ætatis trigesimum: Ita Concil. Arelat. III. c. 3. & Tolet. IV. c. 19. & Lateran. V. sess. 9. Can. cum si quis triginta, &c. Ergo, &c.

77 Secunda conditio probatur, etiam exemplo Christi, qui non permisit, ut Apostoli existent ad extraneas mundi nationes, usquèdum apparuerunt illis dispensitæ linguae: & cœperunt loqui varijs linguis, Luc. 24. Confirmatur ex Tom. III.

Concil. Viennen, & habetur in Clement. de Magistris, cap. 1. ubi linguarum Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ, & Chaldaicæ Magistros in studijs famosis haberi præcepit ad hunc effectum. Idem confirmavit Paulus V. constit. 66. & extendit decretum ad studia Regularium. 78 Tertia conditio suadetur etiam exemplo Christi, qui, quos missurus erat ad evangelizandum sic edocuit, ut præter quam quod quæcumque audiuit à Patre suo nota fecit eis, Joann. 15. v. 15. concluſit: *Multa habeo vobis dicere, que non potestis portare modò.* Cum autem venerit Spiritus Paraclitus: docebit vos omnem veritatem: g. magna scientia, & doctrina necessaria est in Apostolico Ministro. Confirm. ex Ezech. 3. cui mittenendo ad prædicandum, ait Deus: *Comede volumen istud.* Lyra hic: Comede, idest, priusquam vadat ad prædicandum, refici debet pabulo Sacrae Scripturae per lectionis, & orationis studium: g. sufficientia doctrinæ est in Apostolico Missionario requisita.

79 Dubitabis 2. *Qualis, quantavè debeat esse hæc sufficientia doctrinæ in Apostolico Missionario requisita?* Resp. quod ante omnia debet scire credenda, & agenda, quæ ad

salutem sunt necessaria. Probatur ex monito Salvatoris: *Docete omnes gentes, baptizantes eos: docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis:* sed nullus docere potest, quæ ignorat: g. &c. Verum si regula dilectorum ab Apostolico Missionario queratur? illa optima videtur, quæ ab Aug. præformata est in lib. de *Catechizandis rudibus*, cap. 3. ex qua satis aperte colligitur, quod Missionarius debet habere notitiam Sacrae Scripturae utriusque Testamenti, summariam saltem, atque compendiosam. Præterea, debet querere, & manipulare libros Authorum, qui scripserunt contra Gentiles, Mahometanos, Iudeos, & Hæreticos: & habere debet aliquod compendium Canonum doctrinalium ab Ecclesia editorum circa credenda, & agenda, librosque tractantes de catechismo, administratione Sacramentorum, & Ecclesiæ præceptis; ut si Deus conversiones concedat, possit convertendos, & conversos instruere in necessarijs ad salutem.

80 Dubitab. 3. *Utr. ad sit necessitas Missionariorum?* Respond. affirmativè, & facile quidem probatur ex parte Gentilium, aliorumque Ethniconrum, hæreticorum, & Schismatistarum in pluribus Orbis terrarum partibus degentium sine Ministris Ecclesiæ: g. Missionarijs indigent, quos utique si haberent, forsitan eorum multi converterentur, & recipiarent Evangelium. Hic venit Exclamatio S. Francisci Xavérij pro necessitate Missionariorum: Etenim cum tot infidelium animas videret, paucisque Ministros, quasi mente percurrentes omnes Hispaniarum, & Galliarum Academias ad Doctores clamabat: *Hæus, quam ingens animarum numerus vestro vitio exclusus è Cœlo deturbatur ad Inferos!* Existimabat enim, tunc verificari Salvatoris sententiam, Luc. 10. v. 2. *Messis quidem multa, operarij autem pauci,* &c.

81 Præterea, Deus vult omnes homines salvos fieri: sed nullus salvari potest sine Evangelio, seu sine Baptismo, sive extra Ecclesiam, quæ idem sunt, quoniam sine his non datur salus, ex Joan. 3. Match. & Marc. ult. & ex cap. *Firmiter de summa Trinitate, & fidice Catholica:* Ergo illi infideles egent Prædicante, ex Rom. 10. v. 14. *Quomodo autem audiunt sine prædicante?* Ergo in eis est necessitas passiva Missionariorum: Ergo adest, & clamat eorum necessitas. Ceterum ex parte hæreticorum, &

ex parte Græcorum Schismatiorum instat etiam necessitas; quoniam ipsi sunt in statu damnationis: Ergo egent Ministris docentibus veritatem. Dices; quod pauci convertuntur. Respond. non desperandum; majora visa sunt, & potens est Deus. Præterea, prædicante Paulo, Actor. 16. v. 14. ex copiosa audientium multitudine sola Lydia conversa est. Et quis es tu? Etenim ex 1. Cor. 3. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.*

82 Dub. 4. *Quales eligen- di sint Apostolici Missionari?* Respond. quod licet olim Religiosis, seu Monachis fuerint prohibitæ Missiones; nam quanvis Monachatus fuerit ab Apostolis institutus, ex Conc. Meldensi can. 9. non tamen ad finem pro tunc Evangelizandi, sed orandi, ut notat Lauræa, estque Hieronymi ad Riparium *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Postea verò ex Decreto Gregorij I. & habetur in Canon. 124. 16. quest. 1. statutum est, ut Monachi Sacerdotes prædicarent: & ex quo Regularibus sunt creditæ Missiones, magna fidei facta est propagatio, ita ut Sixtos IV. in Extravag. de de Tregua, & pace Cap. Vices dixerit: *Fratrum Prædi-*

catorum, ac Minorum doctrina, & sanctitate, illuminata, & exaltata est Ecclesia Dei. Jam ergo experientia constat, neditum capacitas, verum, & utilitas maxima omnium religionum in propagatione Catholice fidei, pro qua gloriissimè passi sunt, & patiuntur, & patientur: felices illi! De reliquis Ecclesiasticis, certum est, quod omnes sunt ad Missiones apti, & mitti possunt ab Episcopis, intra terminos suarum Diœcœsuum; à Pontifice vero per totum mundum. Episcopus in aliena Diœcesi nullum actum jurisdictionis exercere potest, ex Canone Nullus alterius, & Can. Nullus primas. Ratio est, quia ut Tractatu anteced. diximus, Episcopus vocatus est in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, & soluæ ei taxatum territorium est commiss. m.

83 Dubitabis 5. *Quenam sint moralia requisita in Apostolico Missionario?* Respond. quod septem apprime in illo postulantur. Primum est Prudentia. 2. Fortitudo. 3. Justitia. 4. Temperantia. 5. Humilitas. 6. Mansuetudo. 7. Patientia.

84 Dubit. 6. *Qualis debeat esse modus vivendi, & conversandi Apostolici Mis- sio-*

narij? Respond. primum documentum esse Matth. 10. ubi Apostolis dicitur : *In quamcumque Civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit, & ibi manete donec exeat. Quod sic exponit Glossa Ordin. Interrogate idest, testimonio vicinorum eligendus est hospes, ne ejus infamia praedicatio laedatur.* Secundum documentum est, in electa domo, dum honesta sit, permanere donec exeat Missionarius de Civitate illa, ex Divino Magistro docente : *Nolite transire de domo in domum. Tertium est, salutatio cum pace, ex Matth. 10. & Luc. 10. Intrantes in eam dominum, salutem dicentes, pax huic domui.* Quartum documentum est, quod Missionarius sit contentus cibo, & potu ei appositis Luc. 10. *Manducate que apponuntur vobis;* & se caveat ab Apostoli sentia Philipp. 3. *Multi ambulant, &c. flens dico, &c. quorum Deus venter est.* Et de S. Petro scriptum est, adeo parcum fuisse, ut Romæ paucis lupinis famem repellere consueverit.

85 Quintum documentum est de discedendo, cum non recipitur Christi Minister, nec Evangelica prædicatio, ex Luc. 10. *Quicumque non receperit vos;*

exeuntes foras, exerceat pulvrem de pedibus vestris, nihil recipientes ab eis, ut exponit S. Hieronymus : Et fugienda est contentio manendi : legatur exemplum Luc. 9. v. 37. Sextum est, quod Missionarius sit diligens in ministerio suo, ita ut per familiaritatem cum aliquo non retardetur. Sic exponit Ambrosius illud Christi, Luc. 10. *Neminem per viam salutaveritis.* Hinc discat Apostolicus Missionarius impertinentia vitare negotia. Septimum, est admonitio ex Matth. 10. Quod mituntur Missionarij *sicut oves ad lupos,* ut mansuetudine vincent. Octavum est, quod Missionarij *sint simplices sicut columbae,* ut neminem decipient, & prudentes *sicut serpentes,* ut a nemine decipientur. Nonnum est, ut sibi caveant ab insidijs. Paulus quidem aliquando fugit. Act. 23. v. 17. & Salvator noster, Luc. 4. v. 26. Decimum documentum, habere magnam confidentiam in Deo, dum quis de rebus fidei debet respondere, Matth. 10. *Nolite cogitare, &c.* idem consultatur Luc. 21. v. 14. Quod si autem compellatur a Praefide Tyranno disputare de Lege cum aliquo Sophista, simpliciter fateatur fidem, quia tunc presto aderit Spiritus Sanctus.

Undecimum est, quod si Missionarius persecutur in una Civitate, fugiat in aliam, ex Matth. 10. vide sup. Tract. I. disp. 1. q. 4. num. 5. Duodecimum est, ut maximè caveant Missionarij ab hominibus, qui veniunt ad eos in vestitu ovium; quoniam documentum hoc sèpe sèpius legimus à Divino Magistro, qui omnia novat; & certè non sine causa, jam semel dicta repetebat. Videantur alia pro Missionarijs utilissima documenta in Epist. S. Pauli Apost. ad Rom. ibi: *Obsecro vos fratres, &c.*

86 Dubitab. 7. *An sit licetum Missionarijs portare pergam, vel saculum, scilicet, eborum repositoriū?* Respond. affirmativè, cum Eminentis. Lauræ disp. 18. art. 8. n. 174. quod probat, quoniam id nō fuit prohibitum Apostolis Evangelizaturis post Christi Ascensionem, sed ante propter detestationem Philosophorum, qui vulgo appellabantur *Bacchoperita*; eo quod gloriabantur, ut contemporares seculi, & omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum portare, ut notat S. Hieronym. exponens illud, *Neque saculum, neque peram.*

87 Dubitab. 8. *An sit prohibitum Apostolicis Missionariis*

narijs habere duas tunicas? Respond. quod non. Vide expositionem illius loci 2. ad Timot. 4. v. 12. *Penulam, quam reliquit Troade apud Carpum, veniens afferit tecum.* Et expositionem S. Hieronymi super illud, *Neque duas tunicas, &c.*

88 Dubitab. 9. *An sit prohibitum Apostolicis Missionarijs virgam materialem, sive vaculum ferre?* Respond. negativè. Nam juxta expositionem S. Ambrosij in Luc. 10. *Non virgas, &c.* solum ultionis studia voluit deponere: & in sententia S. Hieronymi in Matth. 10. *Neque habere virgam, &c.* solum voluit ut nulli præsidio carnis inniterentur; præterquam quod Marc. 6. præcepit Apostolis, ut non portarent aliquid in via, nisi *virgam tantum*: reducendus igitur sensus est ad mentem S. Hieronymi.

89 Dubitab. 10. *Quenam sint Apostolicis Missionarijs specialiter prohibita circa mores?* Respond. quod principaliora reducuntur ad quinque. 1. *Vanagloria*, qua cognita in Missionario despabilis fit, & nihil proficit, quoniam cognoscitur ut filius hujus seculi. 2. *Afectio ad bona tempora lia*; nam cognita avaritia, &

negociatione in Missionario, roborantur maledicentes, & opus Christi convertit in ignominiam, & despectum praedicantis; occasioneque unius male loquuntur indifferenter de Missionariis; quapropter S. Philippus Nereus dicere solebat: *Qui vult fructum facere in anima, contineat manuum suam a bursa:* Ergo ca-vendum a desiderio, & nimia solicitudine temporalium. 3. Uti medijs mundanis, aut ridiculis in suo munere exercenti, quo iam nec Christus Dominus; nec Apostoli usi sunt humanis artificijs, & artibus curiosis; sed divino tantum auxilio freti, in nomine Domini Evangelizabant Apostoli. Videatur S. Ambros. in Luc. 10. v. 4. ibi: *Qualis beat effe &c.* Verum si obsequium aliquod civile, vel ars aliqua liberalis, aut donum aliquod speciale Dei juvare queat Missionis prosperitatem, hoc non est prohibitum, immo consulitur. 4. Uti vana eloquentia Philosophorum in suis sermonibus: nam ex Apost. 1. Cor. 1. v. 17. *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos fare credentes.* Et cap. 2. *Non in doctis humanae scientiae verbis, &c.* A contrario cogitant audientes omnem sermonem esse compositionem, & artificium dul-

ce prædictoris; & ex quo prædicatio recipitur, ut opus hominis, locum amittit opus Dei. 5. Procurare per vim, quod fidem suscipiatur. Hoc enim veritatum est Apostolico Missionario à Sac. Congreg. *Arma enim militie nostræ non carnalia sunt.* Et ex Aug. Cætera potest homo nolens, credere verò non, nisi volens. Præterea odiosi sunt Missionarij, & nihil sic proficiunt.

90 Dubitat. 11., Qualibus medijs possit, ac debeat Missionarius suadere infideles, libus veritatem Catholicæ fidem dei? Respond. debere recurere ad illa media, quæ redundunt Catholicam fidem evidenter credibilem, de quibus egimus Tract. 2. disp. 1. q. 3. n. 1. Pro hæreticis autem, & Schismaticis etiam sunt valida media, Conciliorum Generallium Decreta, Traditiones Patrum, & communis Ecclesiæ sensus in ijs, quæ ipsi hæretici negant, tanquam Scripturæ non confona.

91 Dub. 12. *Utr. sit grave damnum discordia inter ipsos Missionarios?* Respond. esse damnum gravissimum, & innumera gignens damna in Ecclesia Dei, multæque hæreses perniciose, ex hoc acceperant initium, ut latè probat Emin. Lauræ tract. de Fide, tom. 2. disp.

disp. 18. art. 10. à num. 241.
 Quapropter inter Apostolicos
 Ministros summopere procura-
 randa est pax, concordia, &
 charitas, & vitandæ sunt om-
 nino discordia, contentiones,
 & rixæ, in omni prorsus ma-
 teria. Nam signum Discipulo-
 rum Christi Charitas est, &
 mutua dilectio, juxta illam
 ipsius Magistri sententiam: *In
 hoc cognoscet mundus, quod
 discipuli mei esis, si vos in-
 vicem diligatis.* Nec sufficit, si
 dicant, quod non dissentiant
 circa dogmata fidei, nec circa
 substantialia peragenda: Nam
 præter scandalum fidelium, &
 infidelium; ex discordia, &
 contentione circa accidentalia
 deveniri potest ad substantia-
 lia. Præterea, cum Episcopis,
 eorumque Vicarijs generalibus
 multum intereat pacem servare;
 quoniam ex ore veritatis dic-
 tum est: *Omne regnum in se
 divisum, desolabitur.*

92 Dubitab. 13. *Quales
 debent esse Apostolici Mis-
 sionarij præparations ad exer-
 citium Missionis?* Respond.
 ad octo reduci posse. 1. Afs-
 dia, ac fervens oratio, & je-
 junium. 2. Quod paratus sit
 ad resistendum cum Dei auxi-
 lio varijs temptationibus. 3.
 Quod firmiter proponat, non
 se fidere, aut inniti suis viri-
 bus, scientiæ, eloquentiæ, ar-

guendi, & disputandi dexteriti-
 tati: sed in Spiritu Dei virtu-
 te, ac potentia confidat. 4. An-
 te propositionem Verbi Dei,
 curare debet esse in statu gra-
 tiae, premittendo, vel confes-
 sionem, vel contritionem, ut
 sibi etiam prossit. 5. Exem-
 plum vitæ suæ, morum, & ope-
 rationum Christianarum, quæ
 prædicare, & docere debet.
 6. Beneficentia circa omnes,
 etiam peccatores, & Gentiles,
 ut voluntate devicta, facilius
 illuminetur eorum intellectus.
 7. Distincta notitia status re-
 rum Missionis, & territorij;
 ut in eo quod possit, non cacus
 accedat, sed amplius ad dif-
 ficilia præpararet. 8. Intet
 præparatoria, & continua Mis-
 sionarij opera, maxima con-
 siderationis est, se præparare
 ad tentationes, contradic-
 tiones, & persecutiones omnis
 generis: ideoque ant, & in
 ipso Missionis exercitio debet
 se monire Minister Christi Ora-
 tionis Clypeo, ne in tentatio-
 nem inducatur, sed à malo li-
 beretur: Etenim: „Quid pro-
 „dest homini, si universum
 „mundum lucretur, anima ve-
 „rò suæ detrimentum patiatur?
 „Aut quam dabit homo com-
 „mutationem pro anima sua?

93 Dub. 14. *Qualis sit me-
 thodus servanda, dum fides
 proponitur Infidelibus?* Res-
 pond.

pond. non dari peculiarem regulam de primis proponendis; quoniam hoc pendet ab occasionum circumstantiis; ut potius incipiat Missionarius ab hoc, quam ab alio mysterio. Etenim non debet statim totam legem prolixo sermone infidelibus proponere, sed paulatim debet eos catechizare, incipiens a propositione Mysteriorum existentiae unius Dei, & ex hoc ad Mysterium Trinitatis, & Incarnationis transire; postea poterit eos instruire de alijs articulis in Symbolo fidei contentis. Deinde alia quadam Sacrae Scripturae utriusque Testamenti mirabilia sunt eis proponenda; praesertimque justificationis, & Sacramentorum doctrina est eos docenda, & pro temporis opportunitate, & pro capacitate Catechumenorum paulatim dicantur eis quaecumque credunt Catholici, tam explicitè, quam implicitè, juxta formulam regularem professionis fidei, & Catechismum Romanum Pauli Quinti. Pro his insuper a prime deseruit Apostolico Missionario liber S. Augustini de Catechizandis iudicibus,

cap. 7.

*P R A X I S , ET FORMA
reconciliandi hereticos cum
Ecclesia Catho-
lica.*

94 **N**otandum est quod si hereticus, qui cupit, & vult se reconciliari cum Catholica Romana Ecclesia habet justam causam (& nunc temporis semper habetur) dubitandi, an fuerit inter hereticos valide baptizatus, debet ante omnia Missionarius conferre illi Baptismum sub conditione, cum hac forma: *Si non est baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritu Sancti, Amen.* Diximus, quod nunc temporis semper est justa causa dubitandi de validitate baptismi ab hereticis collati, de quo potest videri Pat. Torrecilla in Summ. tom. 1. tract. 1. disp. 3. cap. 3. n. 411. ubi citat Leandrum, Quintanadueñas, Delgadillo, inimico ait, esse communem sententiam Conciliorum, & SS. PP. quia Lutherus, Calvinus, & ejus sequaces errarunt, & errant in substantia, & essentia Baptismi. Quod sonat in oppositum de Ecclesia, non est oppositum; quia loquitur, quando constat, aliquem esse baptizatum ab hereticis, juxta men-



mentem , & formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

95 Notandum est 2. quod si Missionarius, qui hæreticum reducit, non habet facultatem extraordinariam , quæ requiritur ab absolvendum ab hæresi , debet eum remittere ad Episcopum , vel alium , qui tale privilegium habeat, ut ab hæresi , & excommunicatione illi adjuncta absolvatur.

96 Notand. est 3. quod etiam debet illum instruere in punctis fidei , præsertim contentis in Symbolo Apostolorum , & in præcipuis articulis , in quibus antea disidebat ab Ecclesia Romana.

97 Notand. est 4. quod ante Confessionem Sacramentalem , debet ab hæretico exigere hæresis abjurationem , faciendo confessionem Catholice fidei , juxta formulam in Tridentino præscriptam , ut jam dabimus. Sed est advertendum , quod si qui reconciliatur , fuerit tantum occulte hæreticus , sufficit , ut occulte præstet dictam fidei professionem , aut equivalentem , cum vera contritione de sua hæresi , & firmo proposito non relabendi. Ita P. Arsdeklin , ex Thoma à Jesu *de Convers. gent.* lib.8. p.2. Si autem fuerit publice hæreticus , requiritur abjuratio publica , v.g. præsente

Tom. III.

aliquo populi cœtu in Sacro , aut Concione ; nisi tamen gravis damni periculum a publica abjuratione excusset.

98 Notandum est 5. quod etiam debet illum instruere de modo examinandi conscientiam in crdine ad confessio nem generalem suorum peccatorum ; quod commode fiet , proponendo illi præcepta Decalogi , ut explicantur in Catechismo. Ut verò exprimat commissa contra præcepta Ecclesiæ , ut est omissio Missæ , Jejunij , &c. sufficit explicare spatiū temporis , quo in hæresi versatus fuit ; ex hoc enim illa satis intelliguntur.

99 Notand. est 6. quod post absolutionem ab excommunicatione , hæresi , & peccatis , est admonendus , (nisi prudentia aliud dicit) manere irregularem , & esse incapacem ad Sacros Ordines , & beneficia Ecclesiastica , nisi accedat dispensatio Pontificis , vel alterius , cui Pontifex dispensandi potestate commisit.

*FORMA PROFESSIONIS
fidei , quam habent facere ex
Trident. & ex Bulla Pij IV.de
profes. fide cap. 13.*

1 „ E GO N. N. firma
„ „ E fide credo , &
„ profiteor omnia , & singula
Gggg „ que

„ quæ continentur in symbo-
 „ lo fidei, quo Sancta Eccle-
 „ sia Romana utitur, videli-
 „ cet.

2 „ Credo in unum Deum,
 „ Patrem Omnipotentem, fac-
 „ torem Cœli, & terræ, visi-
 „ bilium omnium, & invisibi-
 „ lium, & in unum Dominum
 „ Jesum-Christum filium Dei
 „ Unigenitum, & ex Patre na-
 „ tum ante omnia sœcula,
 „ Deum de Deo, lumen de
 „ luminae, Deum verum de
 „ Deo vero, genitum, non
 „ factum, consubstantialem
 „ Patri, per quem omnia fac-
 „ ta sunt: qui propter nos ho-
 „ mines, & propter nostram
 „ salutem descendit de Cœlis,
 „ & incarnatus est de Spiritu
 „ Sancto ex Maria Virgine, &
 „ homo factus est. Crucifixus
 „ etiam pro nobis, sub Pon-
 „ tio Pilato passus, & sepultus
 „ est, & resurrexit tertia die,
 „ secundum Scripturas, & af-
 „ cedit in Cœlum, sedet ad
 „ dexteram Patris, & iterum
 „ venturus est cum gloria ju-
 „ dicare vivos, & mortuos,
 „ cuius regni non erit finis,
 „ & in Spiritum Sanctum Do-
 „ minum, & vivificantem, qui
 „ ex Patre, filioque procedit,
 „ qui cum Patre, & Filio si-
 „ mul adoratur, & conglori-
 „ ficatur, qui locutus est per
 „ Prophetas. Et unam Sanc-

„ tam, Catholicam, & Apo-
 „ stolicam Ecclesiam. Confi-
 „ teor unum Baptisma in re-
 „ missionem peccatorum: Et
 „ expecto resurrectionem mor-
 „ tuorum, & vitam venturi
 „ sœculi. Amen.

3 „ Apostolicas, & Eccle-
 „ siasticas traditiones, reli-
 „ quasque ejusdem Ecclesiæ
 „ observationes, & constitu-
 „ tiones firmissimè admitto,
 „ & amplector. Item, Sacram
 „ Scripturam juxta eum sen-
 „ sum, quem tenuit, & tenet
 „ Sancta Mater Ecclesia, cu-
 „ jus est Judicare de vero sen-
 „ su, & interpretatione Sacra-
 „ rum Scripturarum, admit-
 „ to; nec eam unquam nisi jux-
 „ ta unanimem consensem Pa-
 „ trum accipiam, & interpre-
 „ tabor. Profiteor quoque Sep-
 „ tem esse veré, & propriè Sa-
 „ cramenta novæ legis à Jesu-
 „ Christo Domino nostro ins-
 „ tituta, atque ad salutem hu-
 „ mani generis, licet non om-
 „ nia singulis necessaria, scili-
 „ cet, Baptismum, Confirma-
 „ tionem, Eucharistiam, Poe-
 „ nitentiam, Extremam-Unc-
 „ tionem, Ordinem, & Matri-
 „ monium, illaque gratiam
 „ conferte; & ex his Baptis-
 „ mum, Confirmationem, &
 „ Ordinem, sine sacrilegio rei-
 „ tari non posse. Receptos
 „ quoque, & approbatos Ec-
 „ cle.

„ clesia Catholica Ritus in su-
 „ pradiectorum omnium Sacra-
 „ mentorum solemai adminis-
 „ tratione recipio, & admitto.
 „ Omnia, & singula, quæ de
 „ peccato originali, & de juf-
 „ tificatione in Sacrosancta
 „ Tridentina Synodo definita,
 „ & declarata fuerunt, am-
 „ plector, & recipio. Profi-
 „ teor pariter in Missa offerri
 „ Deo verum, proprium, &
 „ propitiatorium Sacrificium
 „ pro vivis, & defunctis: atque
 „ in Sanctissimo Eucharistia
 „ Sacramento, esse verè, rea-
 „ liter, & substancialiter Cor-
 „ pus, & Sanguinem unà cum
 „ Anima, & Divinitate Domini
 „ Nostri Iesu-Christi, fieri
 „ que conversionem totius
 „ substancialiæ Panis in Corpus,
 „ & totius substancialiæ vini in
 „ sanguinem: quam conver-
 „ sionem Catholica Ecclesia
 „ transubstantiationem appellat.
 „ Fatoꝝ etiam sub altera
 „ tantum specie totum, atque
 „ integrum Christum, verum
 „ que Sacramentum sumi.

4 „ Constanter tenco Pur-
 „ gatorium esse, animasque ibi
 „ detentas, fidelium suffragijs
 „ juvari: similiter, & Sanctos
 „ unà cum Christo Regnantes,
 „ venerando, atque invocan-
 „ dos esse, eosque orationes
 „ Deo pro nobis oferre; atque
 „ eorum reliquias esse veneran-

„ das. Firmissimè assero, Im-
 „ gines Christi, ac Deiparæ
 „ semper Virginis, neconon
 „ aliorum Sanctorum haben-
 „ das, & retinendas esse, at-
 „ que eis debitum honorem,
 „ ac venerationem impertien-
 „ dam. Indulgentiarum etiam
 „ potestatem à Christo in Ec-
 „ clesia relietam fuisse, illa-
 „ rumque usum Christiano po-
 „ pulo maximè salutarem esse
 „ affirmo. Sanctam, Catholi-
 „ cam, & Apostolicam Ro-
 „ manam Ecclesiam, omnium
 „ Ecclesiarum Matrem, & Ma-
 „ gistram agnosco: Romano-
 „ que Pontifici Beati Petri
 „ Apostolorum Principis suc-
 „ cessori, ac Iesu-Christi Vi-
 „ cario, veram obedientiam
 „ spondeo, ac juro.

5 „ Cætera item omnia à
 „ Sacris Canonibus, & cœcum-
 „ nicis Concilijs, ac precipue
 „ à Sacrosancta Tridentina Sy-
 „ nodo tradita, definita, &
 „ declarata, indubitanter re-
 „ cipro, atque profiteor; si-
 „ mulque contraria omnia, at-
 „ que hæreses quascumque ab
 „ Ecclesia damnatas, & rejec-
 „ tas, & anathematizatas, ego
 „ pariter damno, rejicio, &
 „ anathematizo. Hanc veram
 „ Catholicam fidem, extra
 „ quam nemo salvus esse po-
 „ test, quam in præsenti spon-
 „ té profiteor, & veraciter te-

„ neo , eamdem integrum , &
 „ inviolatam usque ad extre-
 „ mum vita spiritum , constan-
 „ tissime (Deo adjuvante) re-
 „ tinere , & confiteri , atque à
 „ meis subditis , vel illis , quo-
 „ rum cura ad me in munere
 „ meo spectabit , teneri , doce-
 „ ri , & prædicari , quantum
 „ in me erit , curaturum. Ego
 „ idem N. N. spondeo , voveo ,
 „ ac juro. Sic me Deus adju-
 „ vet , & hæc Sancta Dei Evan-
 „ gelia .

6 Explicit Tertius Tomus
 Cursus Theologici , finisque
 datur Theologia Minorum
 Discalceatorum. Faxit Deus ,
 ut quæ in ea scripta sunt , ce-
 dant in gloriam Sacro-sanctæ ,
 & individuæ Trinitatis , uti-
 litatemque Sanctæ Romanæ Ec-

clesiæ , cujus pedibus univer-
 sa , quæ in hoc triplici Tomo
 continentur , iterum , atque ite-
 rum , & semper , humiliiter ,
 & libentissimè subjicimus , ni-
 hil aliud in animo habentes ,
 quam loqui , scribere , vivere ,
 & mori in fide Orthodoxa.
 Cedant etiam in honorem Im-
 maculatæ Dei Genitricis , at-
 que Seraphici Doctoris Divi
 Bonaventuræ , in cuius die 14.
 Julij , nos huic operi ultimam
 manuum imponimus , anno
 Domini , 1757. Cedant de-
 nique in laudem Seraphici Pa-
 tris nost. S. Francisci , S. Jo-
 sephi , S. Petri de Alcantara ,

S. Antonij Paduani , &
 omnium Sanctorum .

Amen.

FINIS.



INDEX

TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, Questionumque, quæ in hoc tertio Tomo Cursus Theologici continentur.

TRACTATUS PRIMUS.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

- Q**uest. I. Praembula. Quid sit virtus in genere, & quotplex? pagin. 2. Inquires. Quid sit medium in quo consistit virtus? pagin. 13. n. 11.

Quæst. II. Praemb. De insuf-

sione virtutum Moralium.
pag. 9.

DISPUTAT. PRIMA.

DE FIDE.

- Q**uest. I. Quid sit Fides, & quodnam ejus objectum, tam materia- le, quam formale? pag. 13. Quæst. II. An denter, & quæ sint aliqua motiva, qua reddant objectum fidei evi-

denter credibile? pag. 17. Inquires. An potestas miraculorum adhuc permaneat inter fideles Catholicos Romanos? p. 21. n. 11. Quæst. III. An sit, qualiter, & quibus necessaria fides ad fa-

INDEX.

- salutem consequendam? pagin. 24.
- Inquir. Quandonam aliquis tenetur actum fidei, saltem internum, elicere? pag. 33. n. 18.
- Quæst. IV. Quot, & quæ sint præcepta Fidei? pag. 36.
- Inquires 1. An sit licitum aliquando negare fidem? pagin. 37. n. 4.
- Inquir. 2. Numquid saltēm licet fugere ex iis locis, ubi ex odio fidei Christiani multopere vexantur? Ibidem num. 5.
- Inquir. 3. An sit licitum simulare falsam Religionem? pag. 38. num. 6.
- Inquir. 4. An possit aliquis occultare suam fidem quibusdam signis ab infidelibus usitatis? ibid. num. 7.
- Inquir. 5. Licitne Catholico peregrinanti, aut degenti inter hæreticos vesci carnibus prohibitis, v. g. diebus venoris, & sabati? pagin. 39. nam. 8.
- Inquir. 6. Utr. peccet, qui templo infidelium, & hæretorum ingredieretur, eorumque Concionibus intresset, &c.? ibid. n. 9.
- Inquir. 7. Quia necessitate sit necessaria fidei confessio? pag. 40. num. 10.
- Quæres 1. An liceat suscipere Sacraenta cum hæreti-
- cis? pag. 43. num. 16.
- Quær. 2. An matrimonia inter Catholicos, & hæreticos licita sint? ibid. n. 17.
- Quær. 3. An disputare liceat de rebus fidei? pagin. 44. n. 18.
- Quær. 4. An loqui, & conversari liceat cum hæreticis? ibid. n. 19.
- Quær. 5. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum Pœnitente Catholico accusante se conversatum esse cum Judæis? ibid. nam. 20.
- Quær. 6. An possint Christiani cum Judæis contractus emptionis, & venditionis, alias licitos celebrare, & mercaturam licite exercere? pag. 45. n. 22.
- Quæst. V. Quot, & quæ sine peccata contra fidem? pagin. 46.
- Quær. 1. Potestne Ecclesia cogere infideles non baptizatos ad fidem suscipiendam? pag. 49. n. 9.
- Quær. 2. Habetne Ecclesia jus prædicandi Evangelium in terris infidelium? ibid. numer. 10.
- Quær. 3. Potestne Ecclesia, vel Princeps Christianus infideles subjectos cogere ad audiendam Prædicationem Evangelij? ibidem num. 11.
- Quær. 4. In quo differat blasphemia hæreticalis ab hære-

INDEX.

- refi? pag. 50. num. 13.
Quær. 5. An blasphemia pos-
sit esse venialis ex sola levi-
tate materiæ? pag. 51. nu-
mer. 14.
Quær. 6. An blasphemus de-
beat intendere Deum inju-
riari, vel ipsius honoris de-
trahere? ibid. n. 15.
Dubitabis 1. Qualis fuerit pri-
ma hæresis, quæ post ad-
ventum Christi reperitur?
pag. 52. n. 18.
Dubit. 2. Qualis fuerit causa
moralis, sive origo omnis
hæresis? ibid. num. 19.
Dub. 3. Circa quam materiam
potest contingere hæresis?
pag. 53. n. 20.
Dubit. 4. Utr. præter hæresim
formalem, sit etiam admit-
tenda hæresis objectiva? p.
56. n. 25.
Dubit. 5. Utr. hæretici interni
sismal, & externi tertiæ
queant ab Ecclesia, puniri,
& coerceri? ibid. n. 26.
Dubit. 6. Quibus peccatis sunt
hæretici puniendi? pag. 57.
num. 27.
Dubit. 7. Ex quo tempore, &
á quo statuta sit pena mor-
tis contra hæreticos, & quod
genus mortis? ibid. n. 28.
Dubit. 8. Quibus titulis, &
qualitatibus propositiones
oppositæ veritatibus fidei
solent ab Ecclesia, & á Sum-
mis Pontificibus reprobari?
- pagin. 58. numer. 30.
Dubit. 9. Quando aliqua per-
sona est suspecta de hæresi?
pag. 60. n. 36.
Quæst. VI. In qua resolvuntur
aliqua dubia circa Marty-
rium, pag. 61.
Dubit. 1. Quid sit Martyrium?
pag. 62. n. 2.
Dubit. 2. Qui sunt Martyrij
effectus? pag. 62. n. 3.
Dubit. 3. Quæ acceptatio mor-
tis requiritur in adultis ad
Martyrium? pag. 63. n. 4.
Dubit. 4. Quæ dispositio requi-
ratur ad Martyrium? p. 64.
num. 6.
Dubit. 5. Quid esset de illo qui
existens in peccato mortali,
& dormiens in odium
Christi occideretur? ibid.
num. 7.
Dubit. 6. Quinam hæretici Mart-
yrium improbaverunt? pag.
65. n. 9.
Dubit. 7. Si conservatio vitæ
sit homini naturalis, qua
ratione potest inculpabili-
ter se voluntariè martyrio
exponere? pag. 60. n. 10.
Dubit. 8. Si quis pro suis pec-
catis, & Cœlo securius ac-
quirendo, se ipsum intetime-
ret, esset ne Martyr? ibid. n.
11.
Dubit. 9. Qua ratione ergo Ec-
clesia celebrat Martyria qua-
rumdam Virginum & Con-
fessorum, qui se ipso in flu-
men,

INDEX.

- men, aut ignem projecerunt?
pag. 67. n. 14.
- Dubit. 10. Utr. liceat carnem
macerari jejunijs, flagellis,
vigilijs, & aliæ pœnitentia
modis, & instrumentis, qui
bus citius mors infertur?
pag. 68. n. 16.
- Dubit. 11. Utr. hæreticus oc
citus pro vero articulo fi
dei, sit verus Martyr? pag.
69. num. 17.
- Dubit. 12. An si Catholico pec
catori occidendo à Principe
infideli propter delicta, offe
ratur liberatio, & vita, si
neget fidem; ipse autem nol
let fidem negare, sed mot
rem sustinere, sit vere Mar
tyr? ibid. n. 18.
- Dubit. 13. An Martyrium ca
dat sub præcepto? pag. 70.
n. 19.
- Dubit. 14. Quot sint gradus
martyrij? ibid. n. 20.
- Quæst. VII. An sit, & in qui
bus obligatio de propagan
da fide? pag. 70.
- Inquires. Quo anno Romam
pervenerint Petrus, & Pau
lus? Pag. 71. n. 4.
- Dubit. 1. Au, & à quibus pro
hibi debeant libri hæretico
rum? pag. 75. n. 12.
- Dub. 2. Utr. hæreticorum libri
vnam tantum hæresim con
tinentes, sunt prohibiti? ibid.
n. 13.
- Dubit. 3. An sit differentia in
ter libros prohibitos? ibi
dem num. 14.
- Dubit. 4. Quinam libri dicar
tur tractare de Religione,
vel hæresim continere? pag.
76. num. 15.
- Dubit. 5. An, & qua pœna li
getur, qui legit hæretico
rum libros, hæresim conti
nentes, vel de Religione trac
tantes? pag. 76. n. 16.
- Dub. 6. An requiratur, quod
Author sit damnatus? ibid.
n. 17.
- Dub. 7. Utr. incurrit censu
ram, qui non legit sed au
dit legentem librum prohi
bitum? pag. 77. n. 18.
- Dub. 8. An scienter legens li
brum hæretici, simul hære
sim continentem, & de Re
ligione tractantem duplici
Excommunicatione inno
detur? ibid. n. 19.
- Dub. 9. Utr. qui cognoscit, se
habere libros prohibitos hæ
reticorum, possit ex semet
ipso eos comburere; vel te
neatur alicui Superiori con
signari? ibidem, n. 20.
- Dub. 10. An ad censuram Bul
lae incurrendam sufficiat le
gere manuscripta ab hæreti
co, si hæresim contineant,
aut de Religione tractent?
ibid. num. 21.
- Dub. 11. An excusatetur ab Ex
communicatione legens li
brum hæretici hæresim con
ti.

INDEX.

- tinentem, non malo animo,
sed ex sola curiositate, aut
ad confutandos hæreticorum
errores ? pag. 78. num. 23.
- Dub. 12. An excommunicati-
tione Bullæ innodetur, qui
librum hæretici hæresim con-
tinente, oculis percurrit,
cum advertentia mentis ad
ea, quæ in ea scripta sunt,
quanvis ore nil proferat?
ibid. n. 24.
- Dub. 13. An si legens librum
hæreticum non intelligat, id,
quod legit ? legit Rusticus
librum lingua latina scrip-
tum, sed, quod legit, non
percipit? pag. 79. n. 25.
- Dub. 14. An parvitas materia
in legendō excusat ab incur-
su hujus censuræ? ib. n. 26.
- Dub. 15. Quomodo Confessa-
rius se gerere debeat cum
legentibus, & retinentibus
libros hæreticorum hæresim
continentes, vel de Religio-
ne tractantes? pag. 80. n.
27.
- Dub. 16. An legens libros pro-
hibitos teneatur seipsum de-
nunciare? ibid. n. 28.
- Dub. 17. An reus in legendō,
& retinendo præfatos libros,
teneatur denuntiare compli-
cem? pag. 81. num. 29.
- Dub. 18. Quomodo tempore
Jubilæi se gerere debeat
Confessarius cum legentibus
libros præfatos, in quo da-
Tom. III.
- tur facultas absolvendi ab
omnibus casibus, etiam in
Bulla Cœnæ contentis? ibid.
num. 30.

DISPUT. II.

DE SPE, ET CHARI- TATE.

Quest. I. Quodnam sit ob-
jectum Spei, tam ma-
teriale, quam formale?
pag. 83.

Inquir. 1. An sit licitum opera-
ri intuitu mercedis æternæ?
pag. 84. n. 6.

Quest. II. An sint, & quæ præ-
cepta Spei, & quæ sint vi-
tia opposita? pag. 85.

Dub. 1. Utr. possimus sperare
in homine? pag. 86. n. 4.

Dub. 2. Utr. sit certa Spes?
ibid. n. 5.

Inquires. Qualis timor sit, qui
comitatur Spem? pag. 87. n.
6.

Inquir. 2. Quid repræsentan-
dum sit præsumptuosis; &
quid proponendum est des-
perabundis? pag. 88. n. 8.

Quest. III. Quid sit Charitas, &
quodnam ejus objectum,
tam formale, quam mate-
riale? pag. 50.

Inquir. An Charitas habeat
rationem verae amicitiae in-
ter Deum, & hominem? pag.
92. n. 6.

Hhh

Quæ

INDEX.

- Quæritur, quænam sint ista ob-
jecta materialia secundaria,
& quo ordine sint ex chari-
tate amanda, seu diligenda?
pag. 94. n. 12.
- Inquires. Quid est amare
Deum ex toto corde? pag.
95. n. 14.
- Quæst. IV. In qua resolvuntur
aliqua quæsita circa præsen-
tem materiam, pag. 98.
- Inquires 1. An habitus infusus
Charitatis, quo diligitur
Deus, sit distinctus ab ha-
bitu, quo diligitur proxi-
mus? ibid. num. 1.
- Inquir. 2. An detur præcep-
tum de diligendo Deum, &
proximum? pag. 99. n. 3.
- Inquir. 3. An teneamur dilige-
re Deum super omnia inten-
sivè? ibid. num. 4.
- Inquir. 4. An Deus ita sit su-
per omnia diligendus, di-
lectione appretiativa, ut
non solum debeat esse super
omnia ipsi Deo contraria
mortaliter, sed etiam con-
traria ipsi venialiter? pag.
101. n. 7.
- Inquir. 5. Quandonam tenetur
homo ad actum amoris Dei
super omnia appretiativè?
pag. 102. n. 9.
- Inquir. 6. Quandonam obliget
præceptum Charitatis erga
proximum? pag. 103. n. 13.
- Quæst. V. Quot, & quæ sint
vitia Charitati opposita? p.
107.
- Quær. 1. Quid, & quotuplex
sit odium? pag. 108. n. 2.
- Inquir. 1. An Deus possit odio
haberi? pag. 109. n. 5.
- Quær. 2. Quid sit Schisma? pa-
gin. 110. n. 7.
- Inquir. 2. An ligetur excom-
municatione Bullæ Catholi-
cus, qui in Anglia obe-
dientiæ signa exhibet erga
Regem, uti Caput Ecclesiæ,
quanvis firmiter credat,
nón ipsum, sed Romanum
Pontificem esse Vicarium,
& Ecclesiæ Caput? pagin.
111. n. 8.
- Inquir. 3. Quæ sint pœnae, qui-
bus subjacent Schismatici?
pag. 112. n. 11.
- Inquir. 4. An, qui negaret
hunc numero Papam, v. g.
Benedictum XIV. esse verum
Pontificem, & Ecclesiæ Ca-
tholicæ Caput visibile, es-
set Schismaticus, & hære-
ticus? pag. 113. n. 12.
- Inquir. 5. Quid faciendum,
quidque consulendum, dūm
in Ecclesia eodem tempore
duo reputantur Summi Pon-
tifices? ibid. n. 13.
- Quær. 3. Quid, & quotuplex
sit Bellum? ibid. n. 14.
- Inquir. 6. An licite possit fie-
ri bellum contra hæreticos?
pag. 117. n. 22.
- Inquir. 7. An licitum sit Prin-
cipi Christiano, quando bel-
lum est justum, vocare in
au-

INDEX.

- auxilium suum infideles ad militandum contra fideles? pag. 118. n. 24.
- Inquir. 8. Quibus sit licitum militare, seu bellare? ibid. num. 25.
- Inquir. 9. An bona in bello justo accepta, possint liceat retineri? pag. 120. n. 28.
- Inquir. 10. An in bello justo liceat uti insidijs? ibid. numer. 29.
- Inquir. 11. An bellum possit indici cum sola opinione probabili, relictâ opinione magis, vel æquè probabili de causa justa? pag. 121. num. 30.
- Inquir. 12. An miles dubitans
- de iniustitia belli (quod Principi notum fuit esse iniustum) juxta regulas , & non alias militavit , peccaverit? ibid. n. 31.
- Inquir. 13. An innocentes licite occidi possunt? pagin. 123. n. 35.
- Inquir. 14. Petrus discessurus ad bellum contra Turcas instrui petit , an liceat sibi ipsorum pueros occidere? ibid. n. 36.
- Inquir. 15. An liceat militibus Naves proprias combure , né ipsi in manus hostium perveniant? pag. 124. n. 37.



INDEX.

TRACTATUS III.

DE VERA RELIGIONE.

ADVERSUS HETHERODOXOS , TUM
antiquos , tum recentes.

PRIMUM PRÆLUDIUM.

DE VARIA DISPOSITIONE ADVERSARIO-
rum , & quomodo cum singulis agen-
dum , pag. 127.

SECUNDUM PRÆLUDIUM.

DE CAUSIS , QUÆ IMPEDIUNT MULTOS
adversarios , nè ad fidem Convertantur ,
pag. 131.

DISPUTATIO PRIMA.

DE QUIDDITATE , ET QUALITATIBUS
veræ Religionis.

Quest. I. An detur in mun-
do vera Religio , seu
vera Ecclesia ? pagin.
140.

Quæst. II. Utr. vera Religio
sit nobis visibilis , & quo-
modo ? pag. 150.

Quæst. III. Quænam sit hæc ve-
ra Religio , seu vera Ecclesia ?
pag. 162.

Quæst. IV. In qua amplius of-
tenditur Anglicanam sectam
non esse veram Dei religio-
nem ; magisque roboratur
veritas præcedentis quæstio-
nis. pag. 182.

Proponuntur , & diluuntur
aliqua illorum argumenta.
pag. 191.

Quæst.

INDEX.

Quest. V. Quænam sint ratio-
nes aliæ , quibus ostenditur
veritas Ecclesiæ Romanæ , &
falsitas Sectarum ? pag. 197.

DISPUT. II.

DE MEMBRIS ECCLE- SIE.

QUÆST. I. Quid Clerici,
& Laici importent no-
mina ? pag. 208.

Quest. II. Quid , & quotplex
sit electio , vocatio , & mis-
sio Ministrorum Ecclesiæ ?
pag. 210.

Q. I. De ordinaria vocatione
Ministrorum novi Testa-
menti , pag. 212. n. 4.

Q. II. De extraordinaria voca-
tione Ministrorum novi Tes-
tamendi , pag. 215. n. 12.

Q. III. An Lutherus ordinariè
vocatus sit ? pag. 217. num.
15.

Q. IV. An Lutherus extraordi-
nariè vocatus sit ? pag. 219.
n. 20.

Q. V. An Lutherus partim or-
dinariè , partim extraordi-
nariè vocatus sit ? pag. 223.
n. 30.

Quest. III. In qua resolvuntur
aliqua quæsita circa præci-
puos Ecclesiæ Ministros , Emi-
nentissimos , scilicet , Car-
dinales , pag. 230.

Inquir. 1. Quod fuit initium,

& progressus Romani Cleri-
ci ? pag. 231. n. 3.

Inquir. 2. Qua de causa hæ
Parrochiæ Tituli dicti sunt?
ibid. n. 4.

Inquir. 3. Horum Titularum
quis erat numerus ? pag.
232. n. 5.

Inquir. 4. Quis Presbyteris if-
tis Diaconos adjunxit? ibid.
num. 6.

Inquir. 5. Quæ erant illa loca,
quæ Diaconiæ appellaban-
tur ? pag. 233. n. 7.

Inquir. 6. Quot sunt Episcopi
Cardinales , & ad quid af-
sumpti ? ibid. n. 8.

Inquir. 7. Quid hoc nomen
Cardinalis significat ? pag.
234. n. 9.

Inquir. 8. Unde hoc nomen
Romæ ortum habuit ? ibid.
n. 10.

Inquir. 9. Quis erat veterum
Cardinalium numerus ? ibid.
n. 11.

Inquir. 10. Quis præsens Car-
dinalium numerus ? pag. 235.
n. 12.

Inquir. 11. Quot pro nunc ex
tribus ordinibus , in quolibet
ordine sunt Cardinales ?
ibid. n. 13.

Inquir. 12. Quot sunt Cardi-
nalium congregations ? p.
236. n. 14.

Inquir. 13. Quid est Concla-
ve , quod dicitur Cardina-
lium ? pag. 237. n. 16.

INDEX.

- Inquir. 14. Quodnam fuit principium istius conclavis? ibid. n. 17.
- Inquir. 15. Unde constat, quod ita fuerint inclusi Cardinales, & quod tectum conclave fuerit apertum, & ablatum? pag. 238. n. 19.
- Inquir. 16. Estne magna Cardinalatus dignitas? pag. 239. num. 21.
- Inquir. 17. Episcopi qui sunt Apostolorum successores, numquid majores sunt Cardinalibus? ibid. n. 22.
- Inquir. 18. A quo tempore Summorum Pontificum electione demandata est solis Cardinalibus? pag. 240. num. 23.
- Inquir. 19. Quandonam coperunt Cardinales vestibus indui purpureis? ibid. numer. 24.
- Inquir. 20. A quo tempore dicuntur Cardinales Eminentes? pag. 241. n. 25.
- Quæst. IV. In qua resolvuntur aliqua quæsita circa Illusterrimos Episcopos, pag. 241.
- Inquir. 1. An Episcopatus sit ordo distinctus à Sacerdotio? ibid. n. 1.
- Inquir. 2. An jure divino in potestate Ordinis, & jurisdictionis sit major Episcopus, quam Presbyter? pag. 242. n. 3.
- Quæst. V. An potestas jurisdictionis Episcoporum derivatur immediate à Summo Pontifice? pag. 244.
- Quæst. VI. In qua resolvuntur aliqua quæsita circa Monachos, & alios Religiosos, pag. 254.
- Inquir. 1. Quis fuisset primus author status Religiosi? pag. 258. n. 7.
- Inquir. 2. Quinam fuerunt primi Religiosi? pag. 259. num. 8.
- Inquir. 3. Quot sunt Religiosorum Ordines? ibid. n. 9.
- Quæst. VII. De opere Monachorum, & de illorum vicetu ex eleemosina, pag. 261.
- Quær. 1. Utr. debeat institui Religio aliqua ad opera virtutæ activæ? pag. 264. numer. 9.
- Quær. 2. Utr. congrue instituatur Religio aliqua ad militandum? pag. 265. n. 10.
- Quær. 3. Utr. possit institui Religio ad Prædicandum, vel audiendum confessiones? ibid. num. 11.
- Quær. 4. Num instituenda sit Religio ad studendum? ibid. num. 12.
- Quær. 5. An Religio, quæ vacat virtute contemplativæ, sit nobilior ea, quæ se applicat ad opera virtutæ activæ? ibid. n. 13.
- Quær. 6. Utr. habere aliquid

INDEX.

- in communi, diminuat perfectionem Religionis? pag. 266. n. 14.
- Quær. ultim. An perfectior sit Religio in societate, quam in solitudine? ibid. n. 15.
- Quæst. VIII. in qua resolvuntur alia dubia, pag. 266.
- Inquir. 1. Quot sunt Ordines Mendicantes, & quare mendicantes dicuntur? ibid. numer. 1.
- Inquir. 2. Fuitne expediens ut in Ecclesia Dei instituerentur Religiones quædam? p. 267. n. 2.
- Inquir. 3. Cum tot Sancti Ordines, & approbatæ Regula fuerint; cur Sanct. Franciscus novam Regulam facere voluit, quasi non sufficerent priorum instituta Sanctorum? ibid. n. 3.
- Inquir. 4. Quæ Religio est melior? pag. 268. n. 4.
- Inquir. 5. Quæ est boni, & veri Religiosi vita? ibid. num. 5.
- Quæst. IX. In qua resolvuntur aliqua quæsita circa fideles laicos, pag. 270.
- Quær. 1. An politica potestas sit bona, & Christianis licita? ibid. num. 1. & 2. pag. 271.
- Quær. 2. An politica potestas amittatur per peccatum? n. 1. & 4. pag. 272.
- Quær. 3. An Magistratus, &
- Christiani Principes possint leges condere, exercere iudicia, & punire nefarios? n. 1. & n. 5. ibid.
- Quær. 4. An Christianis bellare liceat? num. 1. & n. 9. pag. 274.
- Quær. 5. An Magistratus sit Religionem defendere? n. 1. & n. 12. pag. 275.
- Quær. 6. An Magistratus debeat hæreticos, ab Ecclesia judicatos, temporalibus multare pœnis? num. 1. & n. 15. pag. 277.

DISPUT. III.

DE CAPITE ECCLESIAE.

- Quæst. I. An Christus Dominus, quomodo, & quando fuerit Caput Ecclesiæ? pag. 279.
- Quæst. II. An Episcopus Romanus sit verus Petri successor in jurisdictione, & auctoritate Capitis Ecclesiæ? pag. 287.
- Quæst. III. Utrum sit de fide Benedictum XIV. regnante, & in Romanu Episcopatu sedentem, esse Ecclesiæ Universalis Pastorem, Vicarum Christi, & successorem Petri? pag. 337. 1305
- Quæst. IV. In qua resolvuntur aliqua dubia de Romano Pontifice, pag. 310.

Du-

INDEX.

Dubitabis 1. An Summus Pontifex sit supra Concilium generale, vel contra? ibid. num. 1.

Dubit. 2. An decretalia Summi Pontificis loquentis ex Cathedra, sive facta sint in Concilio, sive extra, sint infallibilia, seu objecta materialia divinae fidei? p. 313. num. 6.

Dubit. 3. An aliquis aliquando Pontifex erraverit in fide? pag. 314. n. 8.

Dubit. 4. Utr. Petrus dum Christum negavit, fidem amiserit internam? pag. 316. n. 10.

Dubit. 5. An Summus Pontifex possit errare in approbatione religionum? ibid. n. 11.

Quæres. An Pontifex possit condere leges obligantes in conscientia? pag. 317. numer. 13.

Quæst. V. An standum est sententia Papæ, vel judicio Patrum, si contingat controversia de definitione fidei, cultus, & disciplina inter Pontificem, & Patres? pag. 319.

Inquires. An communis sententia de infallibilitate Summi Pontificis patiatur alias limitationes? pag. 341. num. 51.

DISPUT. IV.

DE JUDICE CONTROVERSiarum.

Q uæst. 1. Quid, & qualis sit Sacra Scriptura? pag. 344.

Dubitabis 1. Quot fuerint editiones Sacrae Scripturæ, & quæ sit præferenda? p. 349. num. 10.

Dubit. 2. An omnia, quæ in Sacra Scriptura continentur sint objecta credibilia fide divina? pag. 350. n. 11.

Dubit. 3. An omnia Scripturæ Sacrae puncta, apices, incisiones, & commota sint a Deo dictata, & revelata? ibid. n. 12.

Dubit. 4. An omnia, quæ debemus credere continentur in Sacra Scriptura? pag. 351. n. 14.

Dubit. 5. Quanam sit totius nostræ fidei resolutio? ibid. num. 15.

Inquires. An vera Ecclesia probanda sit ex Scriptura, vel contra? pag. 356. n. 22.

DUBIUM LATERALE.

Inquires, de quo Psalterio loquatur Seraph. Nost. Parentis dum in cap. 3. regulæ ait: Clerici faciant divinum offici.

INDEX.

- officium secundum ordinem
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ex-
cepto Psalterio, ex quo (id est
divino officio) habere pote-
runt Breviaria? pag. 358.
- Quæst. II. An Sacra Scriptura
sit obscura? pag. 367.
- Quæst. III. Quæ sit causa obs-
curitatis Scripturæ? pag.
368.
- Quæst. IV. An præter Verbum
Dei scriptum, seu præter
Sacram Scripturam, admit-
tenda sint Traditiones Aposto-
lico-Divinæ, quæ æqua-
lem cum Sacra Scriptura au-
thoritatem habeant? Vel, ut
alij proponunt: an præter
Verbum Dei scriptum, sit
aliud Verbum Dei non scrip-
tum, sed traditum? pag.
382.
- ¶ I. De traditionibus veteris
Testamenti, pag. 383. n. 5.
- ¶ II. De Traditionibus novi
Testamenti, pag. 386. nu-
mer. 14.
- Quæres. Quomodo Traditio
possit habere parem vim, &
authoritatem cum Scriptu-
tura? pag. 387. n. 16.
- ¶ III. Adversariorum senten-
tia, pag. 392. n. 33.
- Quæst. V. An Sacra Scriptura
sit Judex controversiarum,
fidei, & morum? p. 402.
- Objectiones adversariorum di-
luuntur, pag. 429.
- Tom. III.
- Quæst. VI. An Pontifex Ro-
manus sit Judex infallibilis
controversiarum fiduci, &
morum? pag. 435.
- Quæst. VII. An Rex, seu Prin-
ceps laicus sit Judex con-
troversiarum in materia fi-
dei, & Religionis? pag.
451.
- Quod sit ergo officium Re-
gis circa Catholicam Eccle-
siam? pag. 453. num. 6.
- Quæst. VIII. An Romano Pon-
tifici potestas conveniat in
temporalia Principum? pag.
456.
- Inquires. An clavis, seu po-
testas spiritualis in Pontiffi-
ce excludat dominium tem-
porale? pag. 465. n. 24.
- DISPUT. V.
- DE SACRA EUCHARIS-
TIA, de Sacrificio Missæ, de
Communione sub una specie,
de Purgatorio, de Indulgen-
tijs, & de Cœremonijs, qui-
bus utitur Ecclesia Catholica
Apostolica Romana, necnon
& de invocatione Sanc-
torum.
- QUÆST. I. An Christus Do-
minus verè realiter, &
substantialiter sit præsens
in Eucharistia? pag. 471.
- Quæst. II. An Sacrificium Mis-
sæ sit verè, & propriæ Sacri-
- lii. f.

INDEX.

- ficium novæ Legis , seu Legis Evangelicæ pag. 478 .
- Argumenta adversariorum diluuntur , pag. 496 . num. 42 .
- Quæst. III. De communione Laicorum sub una specie , pag. 502 .
- Quæst. IV. An detur Purgatorium ? pag. 506 .
- Quæst. V. Ut in Ecclesia Christi detur potestas concedendi Indulgencias ? pag. 509 .
- Quæst. VI. An Cæmoniæ , quibus utitur Catholica Romana Ecclesia sint utiles , bonæ , & meritoriae ? pag. 511 .
- Quæst. VII. De invocatione Sanctorum , pag. 513 .
- §. I. An invocatio Sanctorum cedat in injuriam Dei ? pag. 514 . num. 4 .
- §. II. An invocatio Sanctorum cedat in injuriam Christi ? pag. 515 . n. 8 .
- §. III. An invocatio Sanctorum sit signum dissidentiarum ? pag. 516 . n. 12 .
- §. IV. An invocatio Sanctorum sit inutilis , eo , quod ipsi non audiant nostras preces , neque sciant , quid apud nos geratur ? pag. 517 . num. 15 .
- §. V. An ideo non licet invocare Santos , quia non habemus de hac re præceptum divinum ? pag. 521 . n. 26 .
- §. VI. An invocatio Sanctorum fuerit usurpata in primitiva Ecclesia ? pag. 522 . num. 28 .
- §. Incidens. De usu , & cultu Sacrarum imaginum , pag. 525 . num. 40 .

TRACTATUS III.

DE ALIQUIBUS QUÆSTIONIBUS Libertinorum.

Quæst. I. Utrom , qui jurat , se permansurum in aliqua falsa secta , v. g. in Lutherismo , teneatur præstare ? pag. 534 .

Quæst. II. An sit licitum habere contractus cum hæreticis ?

Pag. 541 .

Quæst. III. An si pacificari cum Hæreticis , fides servanda sit ? pag. 544 .

Quæst. IV. An Princeps Catholicus possit tolerare hæreticos in sua Provincia ? pag. 548 .

Quæst. V. An Rex Catholicus pos-

INDEX.

possit hæreticos propter solam hæresim pena Capitis punire ? pag. 552.

Quæst. VI. An Princeps, vel

Magistratus possit Iudiciorum tollerare in sua Civitate, aut Provincia ? pag. 559.

TRACTATUS IV.

DE MUNERE, ET METHODO Prædicandi.

Inquires I. Quis prædicare debeat ? pag. 564. n. 1.

Inquir. II. Quis debeat esse Prædicatoris finis ? ib. n. 2.

Inquir. III. Quid prædicare debeat ? pag. 565. n. 3.

Inquir. IV. Quibus rebus fulciri debeat Verbum Dei, & quo ordine ? ibid. n. 4.

DE SACRA SCRIPTURA.

Ibid.

Inquires. Quis, & quotupliciter sit sensus Sacrae Scripturæ ? p. 566. n. 6.

An autem ejusdem textus Sacrae Scripturæ possint esse plures sensus litterales ? pag. 568. n. 14.

Dubitabis. Utrum argumentum desumptum à sensu accommodatio sit efficax ? pag. 571. n. 22.

Inquires II. Quot, & quæ sint Concilia, quibus fulciri debet prædicatio ? pag. 572. n. 24.

De Sanctis Patribus, pag. 575. num. 30.

De Rationibus, pag. 576. n. 33.

De similitudinibus, pag. 580. num. 44.

De Exemplis, pag. 581. n. 45.

Inquires I. Quomodo debeat concio efformari ? pag. 582. n. 47.

Inquires II. Quot sunt partes Orationis Ecclesiastica ? pag. 583. num. 51.

De Propositione, p. 584. n. 54.

De Arte inveniendi propositionem, pag. 585. n. 56.

Inquires. Quo ordine disponenda sit Concio ? pag. 586. n. 58.

De perspicuitate orationis Ecclesiastica, ibid. n. 59.

Inquires. Quomodo prædicare debeat ? pag. 587. n. 60.

De implorazione divini auxilij, ibid. n. 61.

De decoro servando, ib. n. 62.

De judicio in dicendo, pag. 588. num. 63.

De emendata locutione, ibid. num. 64.

De

INDEX.


- De Pronuntiatione , pag. 590.
.. n. 68.
- De Idiomate , ibid. n. 69.
- De moderatione vocis , ibid.
num. 71.
- De Actione , pag. 591. n. 72.
- Animadversiones quædam pro
Missionariis , pag. 592. n.
74.
- De Missionariis ad terras In-
fidelium mittendis , ibid. n.
83.
- Dubitab. 1. Quales debeant
esse Apostolici Missionariorum
in naturalibus ? pag. 293.
n. 76.
- Dubit. 2. Qualis , quantavé de-
beat esse sufficientia doc-
trinæ in Apostolico Mis-
sionario requisita ? ibid. n.
79.
- Dub. 3. Utr. adsit necessitas
Missionariorum ? pag. 594.
num. 80.
- Dubit. 4. Quales eligendi sint
Apostolici Missionarij? pag.
595. num. 82.
- Dubit. 5. Quænam sint mora-
lia requisita in Apostolico
Missionario? ibid. n. 83.
- Dubit. 6. Qualis debeat esse
modos vivendi , & conver-
sandi Apostolici Missionaria-
rii? ib. num. 84.
- Dubit. 7. An sit licitum Mis-
sionariis portare peram , vel
sculum , scilicet , ciborum
- repositorium? p. 597. n. 86.
- Dubit. 8. An sit prohibitum
Apostolicis Missionariis ha-
bere duas tunicas ? ibid. n
87.
- Dubit. 9. An sit prohibitum
Apostolicis Missionariis vir-
gam materialem , sive va-
culum ferre ? ibid. num. 88.
- Dubit. 10. Quænam sint Apo-
stolicis Missionariis specia-
liter prohibita circa mores?
ibid. n. 89.
- Dubit. 11. Qualibus medijs
possit , ac debeat Missiona-
rius suadere infidelibus ve-
ritatem Catholicæ fidei , pag.
598. n. 90.
- Dubit. 12. Utr. sit grave dam-
num discordia inter ipsos
Missionarios ? ibid. n. 91.
- Dubit. 13. Quales debeant esse
Apostolici Missionariorum præ-
parations ad exercitium
Missionis ? pag. 599. n. 92.
- Dubit. 14. Qualis sit methodus
servanda , dum fides pro-
ponitur infidelibus ? ibid. n.
93.
- Praxis , & forma reconciliandi
hæreticos cum Ecclesia
Catholicæ , pag. 600. n. 94.
- Forma Professionis fidei quam
habent facere ex Tridentino ,
& ex Bulla Pij IV. de
professione fidei , cap. 13.
pag. 601. n. 1.

F I N I S.









B. J. H.

Wit.

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

g

3.451